DE ANTIQUA GALLIAS INTER, ATQUE HISPANIAS IN DIUINIS, ET HUMANIS REBUS...

Francesco Marchese, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

8
3 B
39

8.-3.B.39

Digitized by Google

A IV a 39

DE ANTIQVA GALLIAS INTER, ATQVE HISPANIAS IN DIVINIS, ET HVMANIS REBVS Communione.

Authore PETRO ROSELLO,
Sacerdote Gallo.

S. Andrea

Della Valle.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVGDVNI,
Ex Typographia IOANNIS GREGOIRE,
in vico Hospitalis, ad Imaginem S. Rochi.

M. DC. LX.
SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO REVERENDISSIMOQVE DOMINO

IVLIO MAZARINO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO,

E T

EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. LVD. MENDEZ DE HARO,

DVCI-COMITI DE OLIVARES,

Marchioni del Carpio, &c.

Regij ſtabuli ſummo Præfecto, PHILIPPI IV. *Hiſpaniarum Regis ab arcanis Conſiliis, eiuſque primo Adminiſtro.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ILLVSTRISSIMVM *D. Cyrilli Alexandrini Theodoſium iuniorem Imperatorem quondam gloriosè triumphantem ſuis aduerſus Iulianum libris Patronum ambientis exemplum ſequutus, Ad Vos* (CARDINALIS EMINENTISSIME, AC PRINCEPS EXCELLENTISSIME) *me ſupplex, ac venerabundus Celſitudinis veſtræ pedibus ſiſto, hocce præſens*

Digitized by Google

opuſculum de antiqua fauſtiſſimaque ſemper Gallias inter ac Hiſpanias communione dicaturus: Enimuerò ſanctiſſimus Præſul datis ad Imperatorem litteris ſic perorauit: Igitur, ô Theodoſi Rex Chriſtianiſſime, dum vobis alij exhibent victorias, coronas, gratulatoriaſque voces, & alia quibus Regis potentia iure honoratur; noſtri, qui diuino fungimur ſacerdotio, muneris fuerit offerre libros ad diuinam potiſſimùm gloriam compoſitos. *In hoc ergo feliciſſimo, exoptatiſſimoque inter potentiſſimos amborum Regnorum Monarchas pacis ac concordiæ, veſtris potiſſimùm ſtudiis, operaque ſancitæ nuntio, cum alij non modo vtriuſque Regni, ſed & totius Chriſtiani orbis ciues vobis exhibeant victorias, gratulatoriaſque voces, eóque maioribus, quò ampliùs expectatis inſolitæ plaudant lætitiæ argumentis, iure quidem optimo mei, qui diuino (licet omnium immeritiſſimus) fungor Sacerdotio, munus erit volumen offerre, ad diuinam potiſſimùm (ſolus enim Deus Pacem dare poteſt) inuictiſſimorum quoque Regum, veſtramque ſimùl gloriam compoſitum.*

Plures equidem Ampliſſimi Principes certatim veſtra ambiunt patrocinia, nulliſque ſibi, quàm veſtris felicioribus auſpiciis, ſtudent conciliare ſplendorem; Verùm nemo ſanè iuſtiori hæc vnquam requiſiuerit titulo, atque mihi demerenda exiſtimauerim: Hæc etenim quæ de mutua, intimaque Iberorum, ac Gallorum conſuetudine ipſiſmet Regnis, imò toti fere orbi percommoda rudiori quamuis ſtylo per ſingulas ætates hocce commentario digeſta proponuntur, ictæ nuper iſtius concordiæ nexu, ac fauſtiſſimo Chriſtianiſſimi Regis Connubio validiſſime firmata,

mata maximam vestri adaugent nominis gloriam, quòd ad felicissimum eius exitum tot exoptatum votis vestram potissimùm nauastis operam, totisque vestræ authoritatis, prudentiæ, ac pietatis viribus in tam arduo, eóque præclariori opere impensis, illud tandem feliciter absoluistis: Qua autem ratione ad te (CARDINALIS AMPLISSIME) *accedere formidarem ingenioli mei tenuissimum fructum oblaturus, cum Lipsij dictum optimè tibi conuenire intelligam?* Inter præclaras & eximias virtutes tuas, *inquit*, In Critic. maximè tamen quasi è sublimi specula se ostendit, & extollit benignitas illa tua, & innata tua erga litterarum studiosos propensio, quæ ita in te elucet, vt videatur te ad hanc vnam virtutem natura genuisse, voluntas exercuisse, fortuna seruasse.

Liceat hîc mihi (FORTVNATISSIME CARDINALIS) *ad te apte referre, quæ sanctissimus Viennensis Præsul Auitus dudum Galliis obtigisse fatebatur*: Inuenit nostro tempore diuina dispositio Arbitrum, vt status nostros benigniùs disponeret, successuque felicium triumphorum, quos per vos Gallia gerit, ipsa Religionis primitùs imperio (sine corruptela prauorum dogmatum) Principisque Christianissimi sublimiori gloria sine obumbratione micans expansis toto orbe radiis præfulgeret: *Enimverò Te publicis priuatisque Gallici Regni commodis singulari Dei munere Franciæ datum totus fere orbis gratulatur; Tuo nempe studio, operaue Religionis Orthodoxæ dignitatem in regno vindicatam, Augustissimi Regis potentiam, Maiestatem, gloriamque amplificatam, dilatatam vbique Francorum famam, non tam Imperij istius, quàm Christianæ Reipublicæ hosti-*

bus pauorem incuſſum admiramur : Nunc vero in dulciſſimæ huius pacis fœdere, quam tuarum imprimis manuum opus eſſe neminem latet, vnde Eccleſiæ honos, Fidei magis dilatandæ opportuna commoditas, Regni tranquillitas, incrementumque, ſecura tandem populorum felicitas abundè promanat, ſummam in omnium animis excitatam tui admirationem, tuique nominis venerationem omnes vnà profitentur : Quare meritiſſimo iure in eorum numero cooptaris, quorum D. Remigius ſignatis paulò ante obitum apicibus Magnum Clodouæum admonebat, vt Conſiliarios adhiberet, qui famam ſuam ornare ſcirent ; *A multis enim ſæculis Gallia tam gloriosè Sceptri ſui faſtigium non extulit, nec ei tot ſimul proſpera conceſſère, quàm ex quo eiuſdem Regni adminiſtrationem ſuſcepiſti ; fortunatiſſimi bellorum euentus, aliaque præclara geſta, quibus Francica gens immortalem præcipuè hac noſtra ætate ſibi nominis ſplendorem tuis auſpiciis comparauit, omnibus admiraculum fere expoſita famæ ſuæ ornamenta, quibus eam inſignire non deſinis, abunde deprædicant ; Emicat in te præſertim ingenium in omnem rem intentum, curæ ac fidei capaciſſimum, publicis rebus nec impromptum, nec impar,*

Vellei. 2. p. Hoc *enim* omnibus, *verius dicam, quàm Romanus Scriptor*, ſentiendum ac prædicandum eſt, eſſe mores tibi vigore ac lenitate mitiſſimos, & vix quemquam reperiri poſſe, qui aut otium validiùs diligat, aut faciliùs ſufficiat negotio, & magis quæ agenda ſunt, curet

S. Auguſt. l. 83. q. 31. Cicer. 2. Rhet. ſine vlla oſtentatione agendi : *Es quippe internũ mentis oculum prudentiam amplexus, quæ in agendarum fugiendarumve rerum cognitione ſita, præteritorum memoriam euentuum, præeuntium intelligentiam actionum, futurorum denique*

nique prouidentiam ſequitur ducẽ; quid ergo mirum, ſi vbique es idem, & provt rerum & temporum varietas exigit, ita te accommodes tempori, nec te in aliquibus mutes, ſed potius aptes, ſicut manus quæ eadem eſt & cum in palmam extenditur, & cum in pugnum adſtringitur. Magnus *profectò* Deus eſt, *vetus cecinit ſapiens*, recta prudentia, *nam quod fortitudinis vires exuperat, hoc ipſum politica ſic apte exequitur prudentiæ ſolertia, vt intricatiores quoſque difficultatum labyrinthos extricare doceat induſtriæ ſuæ ſtudioſos; hoc ipſum luce clarius demonſtrauit* (PRVDENTISSIME CARDINALIS) *ſagaciſſima tua in omnibus agendi ratio, quæ ſuperioribus annis in alternantis fortunæ, volubilemque rerum mutantis ſtatum viciſſitudine tàm lucidos ſapientiæ radios emiſit, vt quod cæterarum virtutum magnam licet exhaurire potentiam videretur, hoc ipſum prudentia tua facili negotio ſit aſſecuta.* D. Martin. Epiſcop. Dumienſ. in formula honeſt. vitæ, to 6. p.2.Bibl. Patrum. Sophocl.

Quamobrem verè confugit in ſinum tuum concuſſa Reſpublica *(Plin.) dictis addere mihi liceat) concuſſa fere vndique Chriſtiana Reſpublica, vt antiquo Francici Imperij adiumento in hoc pacis otio fulciatur:* O veri Principis munus reconciliare æmulas ciuitates, (*dicam de te veriùs ac ſublimiùs*) *æmula Regna, imperiaque*, & populos non tàm imperio quàm ratione compeſcere: poſtremò velociſſimi ſyderis more omnia inuiſere, omnia audire, & vndecumque inuocatum ſtatim velut Numen adeſſe, & aſſiſtere: *Optimi ſane moderatoris partes te expleuiſſe hucuſque Francia teſtatur, cum Politicis in rebus ad ipſiuſmet ſplendorem maximè conferentibus ſummam animi tui prudentiam, atque in arduiſſimis* In Epiſt.

negotiis

negotiis dexteritatem est admirata: Cum autem amula modò Regna, totoque nunc orbe florentissima inuicem conciliare decreuisti, ex quo publica indigenarum, externorumque populorum quies, plurimaque Christianæ Religioni commoda deriuant, non modo Gallia, verum totus fere Christianus Orbis te faustissimum veluti sydus ad exoptatissimum pacis portum Fideles pene omnes feliciter perducens summa animi iucunditate intuetur, ac veneratur.

Quare cum Francorum Regnum præcipuum Ecclesiæ propugnaculum His Cardinibus glorioſe firmiterque fulciti in præsentis huius pacis otio noua bella aduersus Fidei perduelles te Duce (vti sperare licet) meditetur, Annon Christianam Rempublicam, quòd iamiam per te, tuaque præsertim studia ab hostium iugo sese liberari sentiat, in sinum tuum confugere, citra omnem adulationis metum clara voce deprædicamus? Intueri (PRÆCLARISSIME CARDINALIS) *præcelsum, quem in Ecclesia tenes locum: Recole, amabo, tam sublime, quod possides in Francia validissimo ac ferè vnico militantis Ecclesiæ præsidio auctoritatis fastigium; Te inuictum Christi Sponsæ Athletam facit purpura, cuius stabiliendo supra lunatorum eius hostium ruinas imperio sanguinem venis bullientem profundere non recuses, quem totum orthodoxæ Religionis propagationi lubens consecrasti; Te supremi status Ministri gradus publicæ populorum tranquillitatis arbitrum, vitæque, si fas est dicere, ac mortis dispensatorem tanti honoris culmen nullo refragante constituit; Ecquid vetat quominùs perennem Ecclesiæ tot bellorum ac seditionum procellis agitatæ, penèque submersæ restituas serenitatem? tyrannicam immanissimi tenebrarum Principis minuas dominationem? insolescen-*

tes

tes perduellium comprimas animos? Solymæos Gallorum vnici Turcarum flagelli ac terroris renoues triumphos, terramque Theandrici sanguinis imbre madidam Christianis euincas viribus, quas innumeri Cruce signandi ad minimam supremi Ecclesiæ Pastoris classicum sonantis vocem lubenti animo superimpendere sibi ducent glorioſum? quòd si Cœlum iustis bonorum omnium annuat votis, breui Christianissimum Regem nostrum perillustri GRÆCIÆ RESTAVRATORIS *Elogio decorandum Te duce, ac comite speratur, qui cum istius hæreticorum sæculi, vti Clodouæus Arrianorum, & Ludouicus Albigensium vires attriuerit, Orientalium quoque populorum infidelem comprimet audaciam.*

Sed iam ad Te (EXCELLENTISSIME PRINCEPS) *& incomparabilis Heros Ludouice præcipuum nostra ætate liberorum decus, generis splendore, armis, consilio, virtute, ac pietate præfulgentissimum, qui haud impari studio, solertiaque terminandis iucundissimæ istius concordiæ tractatibus, describendisque faustissimi Regij Connubij tabulis desudasti, sermonem tuæ obsequentissimus Excellentiæ audeo conuertere; Annon decuit à tanto Nomine aliquem huic operi splendorem affundi, vt si lucem aut ferre non posset, vel certe non auderet, tui nominis inscriptione consecratum sese præfidenter iactaret? Quamobrem magni Cœnobiarcharum Parentis Antonij monitum sequutus ineruditum auctorem ita instituentis:* Elige ad tui voluminis protectionem virum nobilem, sanctum, benignum, munificum, præstantem robore militari, qui sciat aduersus obtrectatores aciem dirigere potestatis: *Optimi Mæcenatis huiusmodi insigniis ornatissimi nobilibus auspiciis hoc meum qualecumque opus Excellentiæ*

tuæ patrocinium ambiendo muniri, dignißimeque ornari placuit: Nam Si Nobilis Vir *à me eligendus; Nunquid inclyta Harorum domus generis nobilitate conſpicua, progenitorum tuorum ſanguine ac dignitatibus illuſtrium decorata fulgoribus inter præſtantißimas Ibericæ Nobilitatis Familias ſeſe exhibet ſuſpiciendam? Maiorum ſane tuorum intaminata Nobilitas ex te vno poſſet incrementum accipere, ex te, inquam, qui auitum eorum decus tam illuſtri cumulas ſplendore, vt dubitandum ſit, maioremne ab Auis gloriam acceperis, an potiùs reddideris: Quare non ego hîc commemorabo fortia gentis tuæ geſta; in te vno ſatis illa laudantur; Niſi forſan eximia eorum facinora narraſſe hoc habeat operæ pretium, quod poſito calculo ac facta comparatione, facile conſtare poterit, quantus Heroas illos potueris aut imitatione exprimere, aut rebus geſtis ſuperare, aut certe maioribus obruere: Meritò ſuffunderer pudore ſi ſtemmatis tui gloriam niterer exponere notam cunctis, cum mores videant tuos, ingeniumque tuum nobilitatis iubar ſuperare, adeo vt cum Ennodio dicere au-*

In vit. Ant. Lirin. *deam*: Fulgorem ſtirpis morum radiis obumbraſti, vincens decorem ſanguinis vitæ claritate, dum coruſcantem germinis tui lampadem actuum ſerenitate tranſcendis, & factus es ſtemmatis victor tui, per quod pleroſque mortalium naſcendo ſuperaſti: *Si* Sanctus *mihi quærendus; plura ſunt (*PRINCEPS RELIGIOSISSIME*) quæ eximiam pietatem, Catholicæque Fidei propugnandæ feruorem in te mirificè coruſcantem deprædicant, pluribus tamen parco*, ne (*vt cum Sidonio Apol-*

Li. 9. ep. 14. *linari loquar*) impudenter verecundiam tuam laudibus nimiis vltrò premamus; præconia enim tua iuſtiùs

ſtiùs, libentiúſque de te, quam tibi dicimus: Si benignus; *mirificè te omnibus gratum, cunctiſque peracceptum reddunt comitas atque humanitas ſingularis, quas tamen grauitas ſine faſtu temperat, condit ſine ſupercilio ſeueritas; Arduum enim ac magnum illud obtinuiſti, quod Plinius iunior nimium aiebat Principibus difficile*, Seueritatem pari iucunditate condire, ſummæque grauitati tantum comitatis adiungere, non minùs difficile quàm magnum eſt: Si munificus; *omnium votis, ſummiſque laudum præconiis apud Iberos munificentia tua commendatur, ac potiſſimùm inter cætera præſtantiſſimæ huius virtutis monimenta à magno tuorum præclarè geſtorum Encomiaſte dignis effertur laudibus, cum Auſtriacam Marianam Philippo IV. Hiſpaniarum Monarchæ nunc gloriosè regnanti in vxorem datã Mantuã Carpetanorum appropinquantem feſtiuis plauſibus excepiſti; totius enim orbis diuitias in illam celebritatem animo congeſſiſti, ærariа fere euacuaſti, vt triumphales auguſtoſque fornices erigeres*: Si denique robore militari præſtans; *à parentibus hereditarium hoc habes; Didacus enim Lopez de Pharo, ſeu Haro cognomento Albus Alfonſum Aragonium præliatorem ſecutus aduerſus Mauros glorioſum fortitudinis ſuæ ſpecimen edidit: Lupus Diaz de Haro Alfonſo IX. Zuritam obſidenti præſto auxiliaturus adfuit, ibique conſtantiſſimè adſtitit, donec Rex arce potitus pugnam abſoluit: Didacus Lopes de Haro cognomento bonus, cuius laudes ab eius temporum ſcriptoribus abunde celebrantur, Regis Alfonſi nobilis ſummus Vexillifer cunctis præliis, quibus Mauri impetiti fuêre, ſuprema poſt Regem auctoritate præfuit, glorioſiſſimaſque de iiſdem victorias reportauit; Lupus Diaz*

Li. 4. ep. 3.

Naxera in Ioſue t. 2. in Epiſt. dedic.

*de Haro Caput audax dictus Sanctij maximus Vexillifer aduersus rebelles fidelissimè decertauit, ac Regibus assistens, Mauros non semel repressit: Lupus Lopez de Haro parentum more variis bellorum factionibus clarus restitit: Necnon Lupus Roderici vel Ruiz de Haro, aliique inclyti Harorum domus Heroës, de quibus Garibay, aliique recentiores Hispanicarum Scriptores rerũ meritissimis dissertunt præconiis: Igitur aduersus malignos huiusce operis obtrectatores potestatis aciem dirigas (*HEROS MAGNANIME*) nam quæ in hoc Commentario recensentur aliquatenùs sunt tua, quod enim retroactis temporibus à Gallis vna cum Iberis in mutuæ, intimæque consuetudinis argumentum feliciter gestum (de hac nempe toto hocce volumine agitur) nouo pacis, mutuique Hispanos inter ac Gallos commercij vinculo, ad quòd manum tam feliciter admouisti, posterorum commodis firmatum contemplaberis.*

Patiamini ergo (MAGNANIME CARDINALIS, AC PRÆSTANTISSIME PRINCEPS) *quod vestrũ quodãmodò est opus, inclyti vestri inscriptione nominis suo in ortu fulgere, inaugurationemque suam ab augustissimis vestris titulis mutuari, quibus facilem sibi aditum, viamque ad qualemcumque Lectorum existimationem sternere possit; sat citò, feliciterque in augustissimum munificæ benignitatis vestræ sinum conuolabit, si sat benè, suis nimirum vtcumque numeris absolutum vestris arrideat sensibus; & si forte ingratum quid, asperum, minusve digestum occurrerit, præcocem nimium, sex vtique mensium fœtum præproperè in lucem editum, & quasi per vim regiarum celebritati nuptiarum ex authoris manibus auulsum excusare non dedignemini: Interim continuas Deo Opt. Max. gratias, quòd hac tempestate,*

qua

quæ ſapientiſſimis indigebat Nauarchis, defenſando vtrique Regno tantos donauerit viros, & vt vos inſignes conſiliorum prudentia, animi conſtantia, cordis benignitate, pectoris fortitudine Miniſtros eſſe dedit, ita etiam famoſis inpoſterum Eccleſiæ perduellium, Infideliumque cladibus in Fidei columen, vtriuſque Regni ſplendorem, ac diuturnam populorum quietem clariſſimos efficiat, ſuis deprecabitur votis,

EMINENTIÆ
ac VESTRÆ,
CELSITVDINIS

Humillimus, & obſequentiſſimus ſeruus,
PETRVS ROSELLVS.
Sacerdos Gallus,

Lectori Beneuolo.

QVISQVIS noſtri huius Opuſculi paginas euoluere non grauaberis, permitte me tecum pauca ſuper iis proloqui: Habes à me volumen, cui à nimia, qua ad primum pacis nuntium ocyſſimè conceptum, & iam prodit in lucem, celeritate non poſſim laudem flagitare, nihilominùs excuſationem meretur, cum tempore commodo in apertum prodire exambierit, vt fauſtiſſimum nuptialis LVDOVICI XIV. Regis Chriſtianiſſimi, & MARIÆ TERESÆ AVSTRIACÆ Connubij Epithalamium canere aliquatenùs poſſit; & ſi fortè capita minùs digeſta, nec ſectionibus, aut paragraphis, punctiſque interciſa, minùs proinde grata reperies; hiſtoricas plerumque narrationes vnum & continuum ſermonis tenorem, ne quid excidat memoriæ, exigentes, toto voluminis decurſu exaratas in cauſa fuiſſe memineris; ingenuè quod rei eſt, fatebor, nimia temporis breuitate hoc accidit, quæ hominem ſub immẽſa rerum tractandarum varietate, ac penè infinita materiæ copia fatiſcentem in tumultuoſam operis productionem egit præcipitem; vnde ſi præter auctoris intentionem ex duabus clariſſimis in toto orbe nationibus, quarum nonnulla Hiſtoricæ ſyluæ fragmenta ſibi ſumpſit enucleãda, vni plus æquo interdum fauere, reſque ſuæ

ſplen-

ſplendori patriæ accommodas ornatiùs explicare videbitur; id ſingulis à natura inſitæ hominibus propenſioni lubens conceſſeris, mihique faciliùs condonaueris, ſi in extremo voluminis capite Gallorum pro Eccleſiæ ac Fidei dilatatione præclarè geſta fuſiori quam Hiſpanorum ſtylo recenſuerim, nec ea mutuò inter ſe compoſita, ac immediatè ſectiones ſectionibus quaſi par pari adiungendo cohærentia typis mandauerimus, quippe qui domeſtica Noſtratium exempla habuerimus ad manum, remotiora verò Fœderatorum, nec adeò nota atque perſpecta ſecundo loco pro virili deſcribere tentauerimus; qui pro ſua ſingulari prudentia, atque humanitate felici modò ſancitæ inter vtramque Nationem concordiæ gratulari, beneque precari ſinent, noſtrumque in rebus arduis conatum haud improbabunt: Euolue iam, Lector, ac fruere; nam de his te ritè præmonitum, initiatumque in aditum operis vltra non moror.

Apprō

Approbatio Doctorum.

NON sine magna animi voluptate Nos infrascripti Facultatis Parisiensis Doctores Theologi peruoluimus Librum *De Antiqua Gallias inter & Hispanias Communione, ac de mutuo inde bonorum incremento, à Reuerendo Domino Petro Roſello Sacerdote Gallo* compositum, tùm propter materiam subiectam præsenti feliciter accommodatam pacis tempestati, tùm propter eximiam styli elegantiam, tùm demùm quia huiusce Operis Author non modo Historici, sed & Philosophi Moralis personam in eo præclarè sustinet, nihilque prorsus proponit, quod à Fide Catholica, aut probis moribus sit alienum: Quare hoc Opus dignum censemus, quod typis mandetur: Lugduni, die 16 Iunij 1660.

Fr. CYRILLVS MOREL,
Carmeli Lugdunensis Prior.

Fr. ALEXANDER RICHARD,
Prior FF. Prædicatorum Lugd.

SYLLABVS CAPITVM totius Operis.

MVTVA *amborum Regum Colloquia, fœdera, aliaque intimæ inter eos necessitudinis officia, Cap. 1. pag. 1*

Mutua regiarum vtriusque gentis puellarum Connubia, ac præclariora earum gesta, Cap. 2. pag. 36

Summorum Pontificum ex Galliis oriundorum in Iberos, & ex Hispaniis erga Gallos studia, ac collata beneficia, Cap. 3. pag. 73

Gallorum in Hispanias, & Hispanorum in Gallias Legationes, necnon aliquorum Cardinalium vtriusque nationis in iis Regnis gesta, Cap. 4. pag. 140

Fides in vtroque Regno propagata mutuo amborum Nationum studio, ac commercio vbi de Concilijs simùl habitis, Cap. 5. pag. 176

Antistites Gallica orti prosapia ad Hispanicas sedes euecti, necnon Hispani ad Gallicanas, eorumque præclarè gestorum Epitome, Cap. 6. pag. 236

Religiosæ Familiæ in iis Regnis mutua vtriusque gentis consuetudine mirum in modum propagatæ, Cap. 7. pag. 294

Feruentissimus in Hispaniâ erga sacras Sanctorum Galliæ exuuias, atque in Franciâ erga Hispanorum Reliquias cultus, Cap. 8. pag. 436

Scientiarum omnium progressus ex mutua Gallorum & Hispanorum in Academiis communicatione per vastas vtriusque Regni Prouincias magno cum fructu sese diffundens. Cap. 9. pag. 499

Continuum vtriusque Regni ad promouendam Catholicam Fidem, atque ad contundendos eiusdem perduelles studium, faustoque hoc LVDOVICI XIV. *cum* MARIA TERESA AVSTRIACA *Connubio firmatum, Cap. 10. pag. 529*

Gallorum Regum pro Catholicâ Religione tuenda, augendaque per

perennis ardor & studium, Sectio 1. pag. 532
Clodouæus Rex Primus inter Francos Reges Christianus & Catholicæ Religionis acerrimus propugnator, § 1. pag. 533
Childebertus, Clotarius, Dagobertus, & Clodouæus II. Clodouæi I. pro Religione zeli æmulatores, §. 2. pag. 535
Carolus Magnus, Ludouicus Pius, aliique Secundæ Reges stirpis eximij Catholicæ Religionis zelatores, §. 3. pag 537
Claræ Hugonis Capeti, Roberti, Henrici I. Philippi I. Ludouici VI. Philippi II. Ludouici VII. Gallorum tertiæ stirpis Regum zeli erga Religionem studia, §. 4. pag. 540
Sancti Ludouici, Philippi Audacis, Philippi Pulchri, Philippi Valesij, aliorumque tertiæ stirpis Regum magni pro Religione sensus, atque Heroica facta, §. 5. pag. 544
Insolitus Galliæ Regum pro Apostolicæ Sedis splendore, & contra ipsius persecutores defensione, necnon summorum Pontificum in suam Sedem restitutione zelus, perenneque studium, sectio 2. pag. 550
Carolus Martellus, Pipinius, & Carolus Magnus erga Sedem Apostolicam bene affecti, suum erga Religionem probant affectum, §. 1. pag. 551
Singularis Ludouici Pij, & Lotharij Impp. Hugonis Capeti, & aliorum tertiæ Regum stirpis in summos Pontifices reuerentia & amor; atque in eorum defensionem zelus, §. 2. pag. 556
Gallorum Regum in profligandis hæresum monstris zelus, verè Catholicus, sectio 3. pag. 567
Clodouæus, Childebertus, Carolus Martellus, Carolomannus strenui Hæreticorum profligatores, §. 1. pag. 568
Insignis Roberti, Henrici I. & Ludouici VIII. in Hæreticorum ruinam ardor, §. 2. pag. 571
S. Ludouici, aliorumque tertiæ Regum stirpis in Hæreticorum ruinam studium, §. 3. pag. 574
Egregia Francorum Regum pro Catholica fidei defensione, maiorique exaltatione facinora, sectio 4 pag. 581
Heroica & Christiana Francorum primæ & secundæ stirpis magnanimitas in fidei hostes, §. 1. pag. 582
Sacra Francorum tertiæ Regum stirpis, & aliorum Heroum contra Orientales Sarracenos bella, §. 2. pag. 586
Prima S. Ludouici in Orientem profectio, eiusque præclara aduersus

uersus Sarracenos facinora, §.3.pag 592
Secunda S.Ludouici contra Africæ Infideles expeditio, ac gloriosa de hostibus palmæ pretiosa morte coronatæ, §.4.pag 595
Philippi Audacis, Philippi Pulchri, Philippi Valesij, Ioannis, & aliorum tertiæ stirpis Regum pro sanctæ eiusdem terræ recuperatione glorioſi conatus, §.5.pag.599
Feruentissimi in Religionis conseruandæ, augendæque studio Hispaniarum Monarchæ, sectio 5.pag.604
Athanagildi, & S. Hermenegildi Martyris pro Religione ardores, §.1.pag.605
Reccaredus, Vuamba, Aldephonsus, & Alphonsus Castus multa Religionis signa edidêre, §.2.pag.608
Ferdinandi III. cognomento Sancti, & Ferdinandi Catholici semper vigens Religio, eiusque fructus. §.3.pag.612
Carolus V. Imp. nitidissimum Christianæ Religionis speculum, §.4.pag.616
Philippus II. Philippus III. & Philippus IV. Maiorum in Religione æmulatores, §.5.pag.621
Hispanorum Regum in Apostolicam Sedem reuerentia, sectio 6. pag.627
Hispani Capitales Hæreticorum hostes, sectio 7.pag.632
Hispani pro Christianæ fidei penes Infideles, ac Turcos propagatione zelosissimi, sectio 8.pag.639
Conclusio totius operis ad Episcopos vtriusque Regni potissimùm directa, pag.649.

LICENTIA.

VIsa Approbatione Doctorum editionis Libri, cuius titulus est, *De Antiqua Galliæ inter & Hispaniæ communione, ac de mutuo inde bonorum incremento*, lubenter annuimus. Lugduni die 23. Iulij, 1660.

DENEVFVILLE, *Vic. Generalis.*

PERMISSION.

VEv les susdites Approbations, ie n'empesche pour le Roy, que soit permis à Sieur Iean Gregoire, Marchand Imprimeur de cette Ville, d'imprimer, & mettre en lumiere le Liure mentionné en icelles, auec defences à tous autres en tel cas requises. Faict à Lyon ce 23. Iuillet, 1660.

VIDAVD.

CONSENTEMENT.

SOit fait suiuant les Conclusions du Procureur du Roy. Ce 23. Iuillet, 1660.

SEVE.

DE

DE ANTIQVA GALLIAS INTER ET HISPANIAS *Communione*

AC DE MVTVO INDE BONORVM INCREMENTO

Ex quo

Christianus Orbis perpetuò duraturam hanc concordiam fausto Connubio LVDOVICI XIV. Regis Christianissimi

Cum Serenissima Principe MARIA TERESA AVSTRIACA *filia primogenita* PHILIPPI IV. *Hispaniarum ac Indiarum Regis solemniter instauratam*

Augustissimis amborum Regnorum Monarchis felicissime auguratur.

Mutua amborum Regum Colloquia, fœdera, aliaque intima inter eos necessitudinis officia

CAPVT PRIMVM.

CVm de antiqua Gallos inter ac Hispanos diuinarum humanarumque rerum Communione, necnon de innumeris ex illa fœlici animorum concordia partis bonorum omnium incrementis dicere aggrediamur, ecquis inter mortales reperiatur, qui nobis ad primum vnionis ac pacis sonum non gratuletur? *Tale namque bonum est*, Augustino teste, [a] *bonum*

[a] Aug. li. 19. de Ciuit. Dei c. 11.

pacis, vt etiam in rebus terrenis atque mortalibus, nihil gratiosius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil melius inueniri, nihil postremò vtilius queat possideri: & alio loco: [b] *Pax est,* inquit, *serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis: hæc est quæ simultates tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida, nescit extolli, nescit inflari:* Papæ! quem non delectet mater cuius proles tam clara est? nam si membra regni, (vt Æmilius prudenter monebat [c]) parteſque inter se consentient, constabuntque, corpus vniuersum salubre erit; publica salus priuatorum res ægras sustentat; moribunda, & affecta Respublica priuatas res vel validissimas secum trahit in excidium: Concordia aureum est, ac adamantinum vitæ vinculum, regina, heraque, omnia in pace, vita, festiuitate tenet:

[b] Idem de verbis Dñi. Serm. 57.

[c] Paul. Æm. lib. 3.

Enimvero Athenienses (vti refert Orosius) [d] suis malis edocti, concordia minimas res crescere, discordia maximas labi, cunctaque vel bona, vel etiam mala quæ foris geruntur, internis esse radicata & emissa principiis, domi abstersere odia, & foris bella presserunt, reliqueruntque posteris suis de ruina sui exemplum, de reparatione consilium: Quare nemini mirum videri debet, si fratrum inter se concordiam [e] Anthistenes dixerit quouis muro firmius munimentum; quod sapienti olim responso Agesilaus Rex egregie confirmauit; [f] cuidam enim percontanti quam ob causam Sparta mœnibus non cingeretur, ostendit ciues armatos & vnanimes; hi, inquiens, sunt Spartæ ciuitatis mœnia; ciuitatemque non saxis ligniſve, sed pro vallis ac mœnibus incolentium virtute muniri oportere asseruit:

[d] P. Orosius hist. l. 2. c. 17.

[e] Diog. Laer. l. 6. c. 1.

[f] Plutarch. in Apophtegm.

Quamobrem si à quolibet regno summis votis pax ista ac concordia expetenda est, iuxta Cassiodori placitum; *Omni quippe regno desiderabilis debet esse tranquillitas, in qua & populi proficiunt, & vtilitas gentium custoditur; hæc est enim bonarum artium decora mater, hæc mores excolit, facultates protendit,* &c. à florentissimis Galliarum Hispaniarumque regnis potissimùm ambienda, ex quorum mutua consuetudi-

[1. var 1.]

ne;

ne, ſinceraque animorum coniunctione immenſi bonorum omnium cumuli in vtramque nationem, ſimul & totius Chriſtiani orbis populos exundabunt: Hinc fit quod cum pax, quæ, teſte Chryſologo, *præſentes ſociat, abſentes inuitat*, me etiam toto propenſum affectu ad dicendum ſimul & gratulandum inuitet, depromendaque priſcis abhinc retro ſæculis parta vtrique nationi ex innata huiuſmodi communione bonorum incrementa ſuauibus quibuſdam lenociniis allicere videatur. Quam profecto vnanimem tam in diuinis, quam in humanis Gallos inter ac Hiſpanos ſuperioribus quibuſque Chriſtianorum ſæculorum periodis viguiſſe, florentiſſimamque vtriuſque gentis rebus faciem induxiſſe nemo vir prudens inficias iuerit, qui præclara veterum ac recentiorum hiſtoriarum monumenta vtcumque euoluerit, quique noſtri huius opuſculi qualeſcumque tandem paginas vel vnico beneuoli aſpectus intuitu leuiter percurrerit. Serm. 138.

Atenim mutuæ huius beneuolentiæ, quæ primis ab vſque temporibus potentiſſimos inter Galliarum ac Hiſpaniarum Reges ſemper floruit, à quonam potiori iure ducamus exordium, quam ab inuictiſſimo, & nunquam ſatis prædicando Rege Clodouæo? quippe qui diuino afflatus numine cæterorum Franciæ Regum primus Chriſti religionem in diuina dilectione, mutuoque animorum conſenſu præcipue fundatam amplexus fuerit; Et certe magnanimus ille princeps ſuperſtitioſæ adhuc cruenti martis veneration addictus, feroces bellorum ac diſſenſionum numinis animos induerat, immitiſque ac humani ſanguinis auidæ Sicambrorum, quos ſceptro regebat, gentis feritate imbutus, nonniſi hoſtium ruinam, cædeſque ſpirare, necnon fœda prouinciarum depopulatione imperij dilatationem meditari videbatur; At vbi fœliciſſimo prorſus euentu à ſanctiſſimo Rhemorum antiſtite Remigio ſacris Chriſtianorum legibus optime inſtructus, luſtralibuſque baptiſmi aquis immerſus, Chriſto per idem regenerationis lauacrum in vitalem omnium vitiorum mortem conſepultus Chriſtianæ dilectionis ſpiritum hauſit, depoſita penitùs lupi rapacis crudelitate, bene-

ficos mitiſſimi agni mores induit; quin & pacem bonorum omnium matrem, perennemque cum finitimis principibus concordiam procurare non deſtitit: cui quidem mutuæ regnorum ſocietati promouendæ, propenſiſſimum Alarici Gothorum regis animum reperit, quemadmodum in ipſo Orationis limine occurrens Magni apud Gallos Gregorij Turonenſis authoritas ſuffragatur, qui ardentiſſimum vtriuſque regis ſtudium in hac ſtatuenda ſocietate ſuauiſſimis hiſce verbis expreſſit.[a] *Igitur Alaricus Rex Gothorum cum videret Clodouæum Regẽ gentes aſſidue debellare, legatos ad eũ dirigit dicens: ſi frater meus vellet, inſideret animo, vt nos, Deo propitio, pariter videremus; quod Clodouæus non reſpuens, ad eum venit; coniunctique in inſula ligeris, quæ erat iuxta vicum Ambiacenſem territorij vrbis Turonicæ, ſimul loquuti, comẽdentes pariter ac bibentes, promiſſa ſibi amicitia pacifici diſceſſerunt*: Verum vndenam, amabo, victoriæ à Rege Chriſtiano, ſibique finitimo tam feliciter partæ non modo Gothici Regis animum inuidiæ zelo, ac in eum æmulationis ſtudio (vt plerumque accidit) minime inflammarunt, quin immo ad arctiſſimum cum eodem rege amicitiæ fœdus externis quoque officiis humaniſſime inſtaurandum concitarunt? Hoc ſane ex ingenita Hiſpanicæ genti in Gallos beneuolentia prodiiſſe merito putarim; adeo vt Gothus princeps de alieno tanquam ſuo lætus triumpho, non ſolum per legatos ſit ei gratulatus, ſed & ipſemet præſens comiter eum alloqui, blandis oculis intueri, denique cariſſimum veluti fratrem ſuauiter amplecti exoptarit: ſi frater meus vellet, dicendo, inſideret animo, vt nos Deo propitio pariter videremus: Deus immortalis! quanti inpoſterum ex hac ſolemni vnione prouentus ambos inter reges eidem nunc addictos fidei, ac repetitis tot connubiorum cæremoniis affines expectandi erunt? cum tantus Alaricum hæreſis Arianæ cultorem inter, ac Clodouæum mutuæ ac familiaris omnino neceſſitudinis cultus interceſſerit; Quibus ſane accinit Ioſephi dictum de Hebræis ter intra labentis vnius anni circulum in tabernaculo, vti ſacræ[b] pluribus in locis nos docent paginæ, ſacrificia diuino Numini offerentibus: *Vt*[c] *conuenientes, adinui-*

[a] Greg. Tur. hiſt. Franc. l. 2. c. 35.

Anno Chriſti 449.

[b] Exod. 23. 14 Deut. 16. 16.

[c] Ioſeph. l. 4. antiq. c. 6.

inuicem, & epulantes, amici sint, & vt aspectu & loquela memoriam sui semper obtineant, si enim alterutris impermixti sunt, extranei sibimetipsis putabuntur.

Sin autem Gothus Rex tanta mentis alacritate Gallum adire contendit, vt singularem nobis ipsius ardor moueat admirationem, Francum modo regem ad Hispanum non minori studio properantem, eleganti, si lubet, Ioannis Marianæ stylo prosequamur: *Incesserat Ludouicum Regem Galliarum, cui Iuniori cognomen fuit, cupido videndi Hispaniam, inuisendi socerum; socer Imperator vtroque filio, & Vasconum Rege Sanctio stipatus genero obuiam Burgos vsque processit: confluxerunt ex vniuersa Hispania tum proceres, tum magna multitudo, tot reges sub eisdem tectis visuri: hoc apparatu compostellam itum est, votisque rite persolutis Toletum festinatum est; quò ex vtraque gente Mauris & Christianis, qui imperio parebant, conuentus indictus erat, amplioris potentiæ scilicet ostentandæ causa; sed & procerum cultum, & elegantiam Ludouicus Rex contemplatus; præterea rei pro qua venerat veritate explorata, negauit se curiam splendidiorem in Europa atque Asia, quas prouincias præsens obierat, elegantioremque vsquam vidisse, gratiasque pro diuino munere agere dixit, quod Alfonsi filiam, Raimundi Aragonij sorore genitam vxorem haberet: ludi magnifice editi, donaque regi hospiti oblata, ex quibus carbunculum tantum insigni magnitudine & pretio accepit, cætera remisit, latusque in patriã rediit:*[d] Hic cum sagaci Roderico, Lector, animaduertas velim, à quibusdam nimirum priuati contra ius omne commodi studiosis ambos inter reges pestilentis odij semina spargere molientibus, regisque sui auribus de eius vxore patris furto vilissime nata insusurrantibus Ludouicum veritatis indagandæ gratia ad conficiendum hoc iter fuisse compulsum; Verum haud aliter istis, quam Diuæ Elisabethæ Hungariæ regis filiæ obtrectatoribus multis post annis contigit, quibus Ludouicus Lantgrauius Thuringiæ princeps respondit: [e] *Si hic quẽ videtis mons à radice vsque ad summum aureus esset, hunc ego facilius omnino potiùs contemnerem, quàm Elisabeth coniugium refutarem; eius matrimonio nihil præpono:* Nec absimilia protulit verba Ludouicus Galliæ Rex, cum

Io. Marian. l. 11. c. 3. *Anno Christi* 1154.

[d] lib. 7. c. 9.

[e] Surius in vita S. Elisabeth.

iam in Hiſpanias aduenisſet: *Benedictus Deus*, ait, *quod filiam tanti Domini ex ſorore tanti principis, id eſt Comitis Barcinonenſis habere merui in vxorem:* Tanti intereſt vt reges diſſidiorum origines, quæ à nonnullis interdum finguntur, alacri ſtudio, ac propriis, ſi fieri poſſit, oculis, Ludouici Hiſpanias luſtrantis exemplum ſequuti, perſcrutari non omittant: Illud [a] ſane numeroſo aulicorum gregi præ cæteris nimium familiare videtur, [a] quod Artaxerxes Rex in Epiſtola pro Iudæis ad vniuerſas regni ſui prouincias data inter cætera teſtatur, vt videlicet, *Mendaciorum cuniculis conentur reges ſubuertere, dum aures principum ſimplices, & ex ſua natura alios aſtimantes callida fraude decipunt:* Vnde non immerito D. [b] nardus ad Eugenium III. Summum Eccleſiæ Hierarcham ſcribens: [b] *Eſt vitium*, inquit, *cuius ſi te immunem ſentis, inter omnes quos noui ex his qui Cathedram aſcenderunt, ſedebis me iudice ſolitarius; facilitas credulitatis hæc eſt, cuius callidiſſimæ vulpeculæ magnorum neminem comperi ſatis cauiſſe verſutias:* Et hoc quidem ſalutari monito cauti ſummorum principum animi, ne veneficorum ipſos inſipienter incantare tentantium nugaci faſcino obſcurentur, res ipſas contrectent manibus, propriis diſcutiant oculis, omnibus denique veſtigiis indagent neceſſe eſt; quod ſi Ludouico Iuniori Hiſpanias adire negligenti excidiſſet, mendacibus profecto primatum conſiliis deluſus, luctuoſam in illius gentis regno inteſtini belli flammam incendiſſet, plurimo deinceps ſubditorum vtrimque militum ſanguine nullatenus extinguendam: Huius autem ſapientis placiti non immemor Philippus Francorum Rex, quamuis illi, ne Hiſpano ſua in Caſtellam iura cederet, à nonnullis ſuggereretur, ipſe tamen ſeruandi cum eo icti fœderis auidiſſimus alia omnino conſilia prudenter ad modum ſequi decreuit.

[a] Esther 16.6

[b] Bern l.2. de conſid. c.13.

Anno 1286. Iampridens Sanctius Caſtellæ Rex per legatos à Gallo pacem expetierat, qui tamen vix facta regem adeundi poteſtate, [c] multis etiam affecti contumeliis, nec non aſperis aulicorum ſcommatibus, ac mordacibus verborum aculeis laceſſiti receſſere; illos enim legationis ſpecie Francorum apparatum exploraturos adueniſſe fama erat;

[c] Io. Marian. l.14. c.10.

repe

repetita iterùm à Sanctio legatione, vti seruandæ Galli regis amicitiæ studiosissimo, legati Francum Regem mutui colloquij celebrandi causa Baionam venturum impetrarunt, quod prospero tamen euentu frustratum est, cum reges ob exortas inter vtramque gentem suspiciones nequaquam sint colloquuti: Neque vero Sanctius ab instaurando cum Gallis fœdere destitit, adeo vt vehementi suspicione Aragonij Regis tunc à Francis plurimùm auersi animum perculerit, vtpote qui Sanctium in Gallos propensissimum cerneret; Lugduni tandem ictum fœdus anno Domini millesimo centesimo octuagesimo octauo inter Castellæ & Franciæ Reges, vbi ea de causa Pontificis Legatus Ioannes Chauletus aderat; [b] nondum tamen mutui congressus data facultas, donec post duos circiter annos inter eosdem potentissimos principes mutui colloquij spe tentata, tempore, locoque constitutis, Baionæ conuentum esset; pace itaque inter vtramque gentem tunc primùm firmata, Rex Francorum iure decessit, quod illi tanquam Blancæ nepoti in regnum Castellæ nonnulli proceres destinarant: [c] Hæc autem cum Gallis concordia adeo in votis Sanctio fuit, vt cum Ioannes Lara, Castellæ, Aragoniæ, ac Lusitaniæ Regibus ab armis quiescentibus, in Galliam abiisset, Sanctius Gonsaluum Archipræsulem Toletanum sine mora ad Francum regem miserit, eiusdem sibi conciliandi studio, ne Ioannis infensum sibi animum gerentis delationibus fidem adhiberet, fœdusque se cum Aragoniis tunc Galliæ hostibus percussisse intestini belli necessitate compulsum affirmarit.

Anno 1188.

[b] Id. Ibid. c. 13.

[c] Idem l. 14. c. 15.

Anno 1293.

Aragonium [d] quoque Regem Montem Pessulanum adiisse Gallum Regem conueniendi cupidum ex Mariana constat; ac proinde fugatis odiorum tenebris perfecta vnione conciliati sunt, dimissis vtrimque alienis, quæ ab vtroque quouis iure possidebantur; Barcinonenses inprimis & Catalani antiquo Gallorum dominio penitus exempti fuere, quo regiones illas ab excusso Maurorum iugo inuaserant; quin etiam scriptis Isabellam inter Regis Aragonij filiam natu minimam, & Philippum Galliæ regis minorem filium sacri connubij tabulis, stabilito inter se arctiori fœdere, copulati

[d] Idem l. 13. c. 11.

Anno 1285.

mioribus inposterum necessitudinis fraternæ vinculis copulati sunt; Adeo semper mutui istorum Regum congressus, habitaque aliàs colloquia plurima populis commoda, pacem regnis, ac summam fœlicitatem, maximam denique inter eosdem Reges beneuolentiam peperere; [c] *Seuerior enim illa grauitas* (vt rectè Synesius Arcadio Imperatori insinuat) *vos domi penitùs clausos, & à vobis ipsis quasi obsessos detinet, vt pauciſsima & videatis, & audiatis, à quibus rerum agendarum prudentia colligitur:* Quod si fortunati illi congressus suo nonnumquam euentu frustrentur, priuata potius aliorum studia, quam ipsorum regum animos sibi inuicem addictos insimules: Vti plane accidit cum Ludouicus Franciæ, & Henricus Castellæ reges pro Aragoniis rebus colloquuturi prope castellum Vrtubiam conuenere: de quo Spondanum differentem audiamus: [a] *Sic enim cum nulli inter Christianos essent principes, qui arctiori inter se fœdere deuincirentur, quam Francus & Castellanus, quippe quod esset regis cum rege, regni cum regno, viri cum viro cum obligatione illud seruandi sub magnis execrationibus; Heu quantum postea mutati ab illis! quid non potest liuor! quid non ambitio! nihilominus postquam hi reges semel bisque congressi sunt, simul & colloquuti, quamuis nihil antea inter eos controuersiæ, aut discordiæ intercessisset, numquam tamen deinceps amici fuere, conuentus aculeis, & derisionibus confectus nullo alio operæ pretio solutus est, quam quod inter proceres regis Castellæ seminatæ sunt conspirationes, quibus regem suum ad miserrimam conditionem redegerunt*: Hæc autem dissidia summi præcipuè vtriusque curiæ primates fouere nisi sunt; cum enim Henricus vestium forma quamuis splendida, Gallis tamen ingrata, contra vero Ludouicus humili cultu, perbreui veste, ac vili galero, plumbea imagine assuta vteretur; inde vtrimque irrisiones, cachinni, sannæque ortum duxere: Ac licet tenuis hic dissensionum igniculus initio videretur, dolosis tamen aulicorum flatibus subinde inflammatus, in maximum, proh dolor! vtriusque gentis excreuit incendium, ac luctuosam prouinciis vastitatem conciliauit.

[c] Synes. de regno ad Arcadium.

Anno 1463.

[a] Henricus Spondan. hoc ann. n. 1

Anno denique supra milleſimum quingenteſimo Francis

contra

contra Aragonios certantibus pro regni Neapol. iuribus Alexandri VI. P. M. authoritate ad Ludouicum XII. Francorum, & Ferdinandum Aragonum Reges orator missus est, qui legationem dignissime obiuit, colloquiumque duorum regum impetrauit; Ferdinandus autem in Hispaniam rediens cum Ludouico apud Sauonam, ad mare Ligusticum colloquutus est; nec indonatus à rege Legatus abscessit, honorem enim Lilium in scuto deferendi præcipuis regni dignitatibus impertitum obtinuit, lituoque sacro, Arelatensi Ecclesia Pastore destituta, eiusdem Regis auctoritate honestatus fuit.

Hactenùs de mutuis regum congressibus, sincerum inter eosdem amorem salutis populorum fautorem parientibus; nunc ad fœdus cum Clodouæo & Alarico sancitum reuertamur: quamuis autem post aliquot annos Clodouæus vnà cum Gundebaldo Burgundionum rege aduersus Alaricum acies traduxerit, hoc potissimum laudabili, si Gregorio Turonensi credimus, ipsius tuendæ religionis zelo ascribendum videtur, si quidem Gothorum Rex adhuc Arianus Catholicæ religioni nimium quantùm infensus, piissimum Christianissimi Regis animum ad mouendum proaris & focis bellum incitabat: [b] Igitur *Clodouæus Rex ait suis* (Gregorij verba sunt) *valde molestè fero quod hi Ariani partem teneant Galliarum; eamus cum Dei adiutorio, & superatis iis, redigamus terram in deditionem nostram; cumque placuisset omnibus hic sermo, commoto exercitu Pictauos dirigit, vbi tunc Alaricus commorabatur:* Quis non videat belli istius originem ex eo potissimum prodiisse, nempè quod Christianissimus Rex Arianum in Galliis hominem dominari iniquo prorsus animo ferret? forte etiam à Gallis ipsis ad hoc certamen ineundum fuisse prouocatum ominari liceat: *Gens enim illa* [a] (pergit Gregorius) *ab exordio nascentis Ecclesiæ catholicis semper assueta dogmatibus, haud facile patiebatur Arianum barbarum nobiliorem Galliarum partem, vtpote Italiæ magis propinquam obtinere: mouebantur amplius cum nouum regem eundemque catholicum, barbarum licet, summa tamen religione nitentem regnare scirent in Gallis Clodouæum: quare cum inter alios Quintianus Ruthenorum Episcopus*

[b] Greg. Turon. lib. 2. Hist. Franc. c. 37.

[a] Idem Ibid. c. 36.

id ſe cupere teſtaretur, vt Rex Catholicus Catholicis dominaretur, à delatoribus delatus ad Gothos, & ab eiſdem quæſitus ad necem, factus eſt extorris, &c. Huic [b] pariter certaminis cauſæ fauere videntur Theodorici Italiæ Regis litteræ ad Clodouæum & Alaricum datæ, in quibus leuem quandam inter eos verborum contentionem extitiſſe affirmat; neque enim Theodoricum Clodouæi, ob eius filiam iam antea ſibi matrimonio iunctam, adeo affinem, neque per litteras, neque per Legatos eius animum ab ineundo aduerſus Alaricum prœlio auertere omnino potuiſſe, vllo modo probabile videtur, ſi tam leuis, tamque parui momenti, verborum dumtaxat contentio inter eos extitiſſet: grauiori igitur certaminis occaſione, nempe religionis excitum diſſimilitudine, arma in Gothum mouiſſe reſtat nobis affirmandum, cui ſane opinioni Aymoïnus non aduerſatur; [c] quamuis enim Clodouæum ad arma contra Alaricum capeſſenda commotum ex eo præcipuè aſſerat, quod Gothus ipſe Rex inſidiosè ad eum acceſſiſſet, nihilominùs idem author hanc pugnam à Clodouæo ideo inchoatam, *quia Gothi Arianæ hæreſeos ſicut Burgundiones erant*, paulo ante teſtatur. Hic Lector mecum, ſi lubet, aduertat, cum diſſidia, prœliaque, inter Gallos ac Hiſpanos Reges primum orta à religionis potiſſimum diſcrimine emanarint, peculiari Numinis beneficio eadem fide in vtroque regno firmiores in dies radices agente, rariorem pariter ſeditionum ac turbarum materiem extitiſſe, tot ac tantis proinde populorum votis optatam pacem, felicemque ac diuturnam ſedatis bellorum motibus tranquillitatem polliceri.

[b] Baron. *Ann.* 507.

Idem Greg. Hiſt. Franc. l. 2. c. 20.

Nec omittendum à Theodorico tunc temporis Italiæ dominante Legatos protinus miſſos, vt diſſidentes Regum animos ſtricto pacis fœdere conciliaret, atque ad ipſos Eulorum Guarnorumque Reges, itidemque ad Tuingorum Regem litteras dediſſe, vt omnes ſimul Clodouæo pacem ſuadere ſtuderent: Extant apud Caſſiodorum litteræ ad Burgundionum Regem Clodouæi fœderatum [c] Theodorico ſcriptæ, in quibus hæc inter cætera habentur: *Conuenit enim tales tantoſque reges non inter ſe lamentabiles rixas quærere, vt*

[c] Caſſiod. l. 3. variar. Epiſt. 1.

vt de ſuis & nos poſſint caſibus ſanciare: Recitanda autem hic eſt magna ex parte ipſius Theodorici Epiſtola ad Clodouæum miſſa, qua ipſum ad pacẽ cum Alarico ſeruãdam ſumma animi contentione adhortatur: [c] *Adeo inter reges affinitatis iura diuina coaleſcere voluerunt, vt per eorum placabilem animum proueniat quies optata populorum &c. Quæ cum ita ſint miramur animos veſtros ſic cauſis mediocribus excitatos, vt cum filio noſtro Alarico Rege duriſſimum velitis ſubire conflictum, vt multi qui vos metuunt, de veſtra concertatione lætentur: Ambo eſtis ſummarum gentium reges, ambo ætate florentes; Abſit ille conflictus, vbi vnus ex vobis deleri poterit inclinatus; abiicite ferrum, qui in meum pugnare vultis opprobrium; iure patris vobis interminor, & amantis: ille nos & amicos veſtros patietur aduerſos, qui talia (quod non opinamur) crediderit eſſe temnenda:* Cum autem Francorum ac Burgundionum reges amantiſſimis hiſce litteris minime acquieſcerent, Theodoricus promptam Alarico Gentili ſuo ferre opem decreuit, expeditionemque aduerſus eos quamprimùm adornauit: Ex hoc paterno Theodorici ſtudio tot litterit ac legationibus pro conciliandis iſtorum regum animis ſtudioſe impenſo, quis non facile coniiciat vnanimem tantorum principum concordiam ipſi gratam cum primis fuiſſe, ac publicæ vtilitati non parum conſuluiſſe, cuius magis ac magis ſtabiliendæ cæteris Chriſtiani orbis Monarchis omnem nauandi operam æternum reliquit exemplum. [c] Idem Ibid. l. 3. c. 4.

Porro Amalaricus vix regendas Gothici regni habenas ſuſceperat, cum Childebertus poſt Clodouæi obitum Galliarum Rex ipſi ſororem Crotildem matrimonio iunxit; adeo finitimi illi reges familiari inter ſe vti conſuetudine oblectabantur, vt neque præterita ab eorum parentibus inita certamina eos ab inſtauranda per nuptias cognatione reuocarent; eadem tamen diſſimilis fidei cauſa, quæ, vt diximus, Clodouæum mouit in Alaricum, mox Amalaricum bello turbauit: [f] *Crotildis enim* (vt loquitur Turonenſis) *multas inſidias ab Amalarico viro ſuo propter fidem Catholicam patiebatur: Ad extremum autem tanta crudelitate dicitur eam cecidiſſe, vt illa infectum de proprio ſanguine ſudarium* *Ann. 526.* [f] Greg. Tur. l. 3. de geſt. Franc. c. 10.

fratri tranſmitteret, vnde ille maxime commotus Hiſpanias appetiuit: Quomodo autem Amalaricus à quodam Gallo milite lancea ſauciatus ſit, pluribus Gregorius proſequitur, cui concinit Procopius, [g] eandemque refert belli inferendi cauſam, tametſi pro Clodouæi filio Theodebertum nominet, qua in re Baronius eum ritè erroris arguit, cum Theodebertus Clodouæi nepos fuerit, non filius, vt eſſet Crotildis frater: Quare non eſt cur pactam iterum antiquam hos inter reges concordiam violatam miremur, cum Ariani principis erga fidem odium in regium Francorum ſanguinem, cui per vxorem coniunctus erat, manus iniicere compulerit, ac proinde æquiſſima tam indignis affectæ contumeliis germanæ defenſio ad vlciſcendam armis iniuriam Franci Regis animum prouocarit:

[g] Procopius l. de bello Goth c. 1.

Amalarico autem è viuis ſublato, nonnulla cum Theudo, aliiſque Gothorũ regibus, ac Childeberto, Clotarioque Clodouæi filiis certamina interceſſere, quæ à diuerſo præſertim religionis cultu ortũ habuere: Pax vero reddita ſub ipſis Athanagildi in Hiſpania regni primordiis, [h] *qui*, vt ait Tudenſis, *fidem Catholicam occulte tenuit, & Chriſtianis valde beneuolus fuit*: adeo vt in ſuburbio Toletano Agalienſe Monaſterium ædificarit, vnde inſignem eius pietatem Diuus Ildephonſus hoc epigrammate celebrauit.

[h] Baron. anno. 567

Cœnobium Eulaliæ Rex Athanagildus & ædem
Noſter auus inſte, ſed prius inſtituit.
Vir fuit iſte pius, nulli pietate ſecundus,
Sed clam propter eos qui viguere Gothos:

Tum firma Brunechildis eius filiæ cum Sigeberto Francorum rege Rhemis ſedem regni tenente, ac Geleſuinthæ alterius maioris natu filiæ cum Chilperico Gallo itidẽ rege apud Sueſſiones imperante nuptiis pax Francos inter & Gothos renouata eſt: de quibus regiarum Puellarum nuptiis nos ſuo loco fuſius: Interim ex dictis colligere ſufficiat priora diſſidia inter vtramque gentem inolita mox ſub Rege nomen, licet occulte, Chriſto dante, feliciter terminata, ac gemino filiarum coniugio pacem mutuo ſtabilitam: [a] *In ſolis enim fidelibus* (ait Iſidorus) *religata eſt lex, teſtante*

[a] Iſido. l. 3. ſent. c. 12. c. 12.

Domino

Domino per prophetam: liga testimonium, signa legem in discipulis meis, ne eam intelligat hæreticus, quia non est Christi discipulus; vnitatem quippe pacis, quam Christus docuit, non sequitur.

Et quamuis Leovvigildus Athanagildo in regni administratione, non autem in fidei cultu successor fuerit, Legatum tamen ad Brunichildem Reginam destinauit, vt filiam Ingundem Hermenegildo filio suo futuram coniugem daret; cum autem ob immaturam adhuc puellæ ætatem res in septennium dilata esset, demùm anno Domini quingentesimo septuagesimo nono Leovvigildus Euphemium Toletanum Pontificem virum imprimis Catholicum misit in Gallias, Ingundem iam sexdecim annos natam in Hispanias quantocyùs traducturum: Aliam quoque in Gallias ad Chilpericum direxit legationem, vt Rigunthem eius filiam pro natu minori Reccaredo impetraret: huius legationis munere idem Agila functus est, de quo superiùs mentio facta est: hic Arianæ hæresis sectator, iter faciendo Gregorium Turonensem ad disputandum prouocauit; quæ autem inter vtrumque transacta fuerint idem [b] Gregorius pluribus recenset. Verum huiusmodi inter vtramque gentem concordia, (vt leuis est ac vana hominum natura) haud diu stetit, vtpote quæ in Gothis hæretico adhuc veneno infectis male fulciebatur; quam perfidæ gentis inconstantiam, simul & nequitiam graphice depingit [c] Gregorius his verbis: *Nec Ingundem Gosuintha auia passa est in religione Catholica diu commorari, sed vt rebaptizaretur in Ariana hæresi, blandis cœpit sermonibus inducere, sed illa viriliter reluctauit; quare auia Goisuintha iracundiæ furore succensa adprehensam per comam capitis puellam in terram collidit, & diu calcibus verberatam ac sanguine cruentatam iussit spoliari, & piscinæ immergi:* Hæc glorioſa Catholicæ fidei propugnatrix post consummatum ab Hermenegildo fidelissimo sponso martyrij agonem ab Imperatoris exercitu derelicta, in Africa defuncta est. *Anno 572.*

[b] Greg. Tur. hist. Franc. l. 5. c. 43.

[c] Id. Ibid. c. 39.

Quid ergo mirum si Guntheramnus Rex ac Childebertus Sigeberti filius fortissimo exercitu muniti Hispaniæ

oras attigerint; cum barbaram nequissimæ huius fœminæ crudelitatem, necnon implacabile erga fidem odium sæuissimi germanis fratribus prœlij ansam præbuisse nemo non videat, solamque, vt iam sæpius adnotauimus, religionis antinomiam Francorum Hispanorumque animos, inter sese alioqui coniunctissimos distraxisse prudens quisque rerum æstimator agnoscat, præsertim cum post conserta inter se cruenta prœlia mutuis statim coniugiis, posthabitis plerumque etiam regiis exterarum fœminarum nuptiis nouam contraxerint societatem, quod ab eo potissimum tempore contigit, ex quo Gothi reiectis Arianismi erroribus sinceræ veritatis luce collustrati veram ac germanam Catholicæ fidei, nempe filij consubstantialitatis, vt loquuntur, id est eiusdem cum patre substantiæ, doctrinam complexi sunt, quod mox in Reccaredo clarius patebit.

Eminentissimus historiæ Ecclesiasticæ parens nostro fauere videtur instituto, [d] cum anno redempti orbis quingẽtesimo octuagesimo septimo asserat Reccaredum secundo regni sui anno cum iam Catholicus esset, nonnisi Catholicam iugalem sibi quærere, ideoque sanctis dogmatibus institutam, probeque educatam Chilperici Francorum regis filiam sibi in matrimonium dari missa legatione petiisse, quod & feliciter consequutus est, accepta in coniugem Badda virgine maxime pia: Eandem autem addit fuisse Clodosuindam Childeberti Regis sororem, Baddam videlicet mutato nomine appellatam, vel certe eiusmodi inditum ipsi cognomen: verum etsi luculento tanti viri testimonio perennem sæpiùs atque indiuiduam potentissimos hosce inter amborum regnorum Monarchas interceſſisse beneuolentiam societatemque comprobetur, nonnullam tamen hic Baronij locus, meo quidem iudicio, pati videtur difficultatem, quam ad nostri huiusce operis calcem in Notis, quarumdam rerum dubiarum elucidationis gratia, appositis explanabimus: His vero omissis quæ dubia sunt, magnum eundem Annalistam in rebus certis audiamus. *Reccaredus*, [e] *vt Christianum principem decet, filius pacis quantum*

[d] Baron. *Anno Christi* 587. n. 29.

v. notas in fine.

[e] Idem *Anno* 588. b. 30.

quantumlibet victor, pacem tamen missa legatione à Guntheramno rege Francorum petiit hoc anno: sed cum non obtinuerit, sequenti rursus anno alia missa legatione idipsum enixius postulasse constat; verum eam minime consequutum eum Gregorius tradit: Merito hic exclamare liceat, ô insolitam tanti Principis, sed & victoris clementiam! ô singularem moderati animi humanitatem! ergone post tam insignem de Francis triumphum præclarissimus Rex veluti supplex ab hoste pacem humilibus verbis expetit, ac denegatam iterum enixius exorat? vbinam quæso inuictus ille animi vigor? vbi dilatandi regni ardor? vbi de Legatis toties ab hoste turpiter dimissis vlciscendæ iniuriæ studium? Hæc plane omnia è pij principis memoria exciderunt, cum sincera non solum amicorum sed & hostium dilectione ex Christi legis præscripto imbutus Arianam perfidiam detestari cœpisset; quapropter insolitæ huius comitatis ac concordiæ studium erga Francum regem adeo sibi infensum Catholicæ religionis cui sese iampridem deuouerat, præclarum extitisse fructum nemo iure negauerit, præsertim si vel postremum Gregorij, quam subiicimus, authoritas in pertinacissimis quibusque animis obtineat locum, sic enim prosequitur: [f] *Post hæc* (nempe postquam Catholicæ legi colla subdidit) *legationem ad Guntheramnum atque ad Childeberum direxit pacis gratia, vt scilicet sicut in fide se asserebat vnum, ita & in charitate se præstaret vnitum:* Legatis postmodum à Guntheramno repulsam passis, ea nimirum de causa, quod, vt asserebat, Gothorum Regi fidem seruare minime poterat, vtpote qui neptem suam Ingundem in captiuitatem tradidisset, eiusque carissimus sponsus per violentas eiusdem regis insidias de medio sublatus esset: Reccaredus, cui summa renouandæ cum Gallis societatis inerat cura, à Guntheramno repulsam passus, nuntios ad Childebertum decernit, vt feruentibus à se votis exoptatam cum ipso concordiam instauraret: Legatos perhumaniter à Childeberto exceptos, atque hæc inter alia humili oratione Regi exposita pergit Gregorius recensere: *Vult* [g] *se Dominus noster frater tuus Reccaredus de hoc crimine exuere quod ei imponitur,*

[f] Greg. Tur. hist. Franc. l. 9. c. 16.

[g] Idem ibid.

nitur, quasi in mortem sororis vestræ fuisset conscius; deinde datis gratiæ vestræ decem millibus solidorum, charitatem vestram habere desiderat, vt & ille vestro vtatur solatio, & vos eius, si necesse fuerit, beneficiis potiamini: An vero germanus frater cum fratre suauius agere, eumque maiori poterat alloqui comitate, quam Hispanus Rex victoria elatus infenso Galliæ regi tam propenso animi studio exhibuit? suscepta nempe ab eo nuper Catholica fides tantum principem verum Childeberti Franci regis fratrem nomine, reque ipsa effecit: *fratres enim*, inquit Clemens Alexandrinus, *eos appellamus, qui sunt regenerati, idque propter mutuam charitatem & beneuolentiam:* Quamobrem ne ab Apostoli sententia recederet dicentis; [h] *Frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles*; vix Catholicis initiatus institutis pacem ab hoste tanquam à fratre amantissimo impensiùs postulauit: quo quidem egregio facinore cæteris regni ac fidei successoribus præclarum sanciendæ cum Christianis principibus societatis, posthabitis humanæ prudentiæ rationibus monimentum reliquit: [a] Nec absimili comitate Francum Regem Reccaredi Legatis responsum dedisse Gregorius confirmat; nam Rex vna cum matre de seruanda cum eo beneuolentia ac societate, datisque muneribus à Guntheramno de Clodosinda sorore Reccaredo in vxorem designanda consensum extorquere totis viribus conaturum promissa dedit: Quomodo autem regia puella Authare Longobardo, cui pacta erat, prætermisso, in Reccaredi thorum migrauerit, sequenti capite dicturi sumus: Gundemarus Vviterico occiso Gothorum regnum protinùs obtinuit, quod tamen Francorum viribus maxime adiutum inuasisse recte coniicit [b] Ioan. Mariana, ex annùo scilicet vectigali, quod Francis ab eodem Gundemaro solui consueuisse ex litteris Bulgarani Comitis ea tempestate Gothicam Galliam pro Rege gubernantis aperte constat.

[h] 1. Cor. 6. v. 6.

[a] Idem ib.

Anno 610.

[b] Io. Maria. lib. 6. c. 2.

Sisibuto clementissimo Hispaniarum rege vita functo, [c] cum Suinthilla seu Sentila eius successor nimia in subditos crudelitate vteretur, quæ non mediocrem ipsi Primatum

[c] Scrip. hist. Franc. in gestis Dagoberti n. 30.

regni

regni indignationem conciliauit; Siſenandus ex proceribus vnus cæterorum conſilio incitatus, Francorum Regem Dagobertum adiit, quo auxiliares ab eo copias impetraret, quibus Suintillam regno depelleret: in cuius beneficij gratiam nobiliſſimum ex Gothicis theſauris aureum munus, quod Thureſmundus Rex ab Etio Patricio ſuſceperat, regi dare pollicetur; Gallus vero Rex in Siſenandi opem totum Burgundici regni exercitum conuocari præcepit, quo audito Gothorum copiæ, Siſenandi ſeſe ditioni abſque mora ſubiecerunt, omneſque fere Gothi de vniuerſa propemodùm Hiſpania apud Cæſarauguſtam conglobati, Siſenandum Abundantio & Venerando Regis Dagoberti ducibus ſtipatum regem ſuum proclamant: ducenta vero ſolidorum millia dicti muneris pretium à Siſenando, Hiſpaniciſque proceribus dono acceptum Dagobertus ad promouendam Sandionyſiani Templi fabricam regia prorſus munificentia contulit: Ad huius magnifici templi conſpectum, cuius ornatu Hiſpaniarum theſauri non parum contulere, vos vniuerſi Galliæ incolæ tantiſper greſſus figere cuperē; enimvero, *vobis tacentibus lapides iſti clamare videntur*; & quid potiſſimum? niſi quod æterna veluti Hiſpanicæ gentis in Francorum Reges grati animi pignora, ad intimam cum eiſdem ſanciendam animorum conſenſionem perpetuo clamore vos adhortantur, Auguſtino ſuffragante, dum priſcos olim fideles ſalutari monito edoceret; [d] *quod factum corporaliter videtur in parietibus, ſpiritualiter fieri in mentibus, lapides ſe pacificè innectunt, ſe inuicem, cohærendo ſibi, quodammodo amant, ita lapides viui coædificantur, ſi charitate compaginantur.* *Anno 630.* [d] Aug. ſerm. 256. de tēp.

Hic notandum, opinor, inuictiſſimum Regem Hiſpaniarum Vvambam, cum aduerſus Ildericum ac Paulum Duces ſæuiſſimos Tyrannos in Gallia Narbonenſi Gothorum imperiis adhuc parente prœlium ſumma felicitate confeciſſet, quamuis Vaſconum ac Francorum copiis roboratos hoſtes vidiſſet, Galli Regis amicitiam violare ſummopere veritum, Siſenandi enim, atque aliorum ſui deceſſorum regum ſummam felicitatem ex Franciâ potiſſimum *Anno 674.*

ope, amicaue ſocietate promanaſſe ipſum neutiquam latebat; ecqua dein ratione victricia militum arma, ſuumque regio bullientem ſanguine animum de hoſte adeo glorioſe triumphantem cohibere potuit, ne in Francos ſuis maxime fauentes hoſtibus alacriter inſiliret, niſi quod Hiſpano Regi Superioribus annis præſtiti à Gallo beneficij, & antiquæ inter eos communionis memoria ipſa arma è manibus excuſſit? quod ex ſequentibus Marianæ verbis clarius innoteſcet: [c] *Cum Vuamba audiſſet Chilpericum Regem Francum eo nomine ſecundum propediem cum copiis affore, eius aduentum in caſtris dies quatuor expectauit: verum ſatis ſe ad victoriæ fructum, & ad nominis exiſtimationem tuendam tantis rebus confectis profeciſſe iudicans, & ne vltio lacteſſendi Francos fœdus quod inter vtramque gentem diu ſteterat violaſſe prior videretur, Galliæ rebus compoſitis in Hiſpaniam redire parat.* Et quamuis temerarium Lupi cuiuſdam ducis cum valida Francorum manu agros deuaſtantis auſum ſtrenue confeſtim retudiſſet, numquam tamen aduerſus ipſum Chilpericum acies direxit, adeo tanto principi à Gallis licet armorum viribus laceſſito antiquum ſeruare fœdus in votis fuit.

[c] Io. Marian. l. 6. c. 13.

Sed iam vberrima ad noſtrum inſtitutum offertur ſeges aurea Caroli magni ætate haud minus in Hiſpaniis quam in aliis Chriſtiani orbis prouinciis excellentiſſimi principis ſtudio, ac pietate ſingulari exculta: Carolum magnum potentiſſimum Francorum Regem ac piiſſimum Imperatorem Sarracenis Hiſpanias depopulantibus bellum mouiſſe omnes fere tam Hiſpanicarum quam Francicarum rerum ſcriptores vnà teſtantur, deque ſolo huiuſce aduerſus Sarracenos expeditionis tempore inter ſe diſcrepant: Antiquiores enim ac recentiores fere omnes, qui res Hiſpanicas ſtylo proſequuti ſunt, ad Regis Alphonſi cognomento caſti tempora, paulo ante eiuſdem Caroli obitum; [b] Baronius vero cum paucis aliis ad annum Domini ſeptingenteſimum ſeptuageſimum octauum poſt Synodum Paderburnæ celebratam huiuſce belli motus referunt: ſic enim Annales ſub Ludouico pio Caroli Auguſti filio ſcripti ab eius domeſtico

Anno Chriſti 778.

Baron. an. 778. n. 2. & 812. n. 15. 16. & 17.

loquun

loquuntur: *Venit iisdem loco & tempore ad regis præsentiam de Hispania Sarracenus quidam nomine Ibinalarabi cum aliis Sarracenis sociis suis dedens se ac ciuitates, quibus eum rex Sarracenorum præfecerat:* & inferius: *Persuasione ergo Rex prædicti Serraceni spem capiendarum quarumdam in Hispania ciuitatum haud frustra concipiens profectus est:* [c] Idem constat ex S. Ludgeri Monasterienſis Episcopi epistola ad Xixfridum Traiectensem Præsulem data: *Postremò*, ait, *imperante Carolo Magno Rege Francorum, cum is subiugatis potenter Saxonibus & Vvestphalis decreuisset cum grandi exercitu Christianorum contra gentiles Hispanos, Sarracenos videlicet in Hispania degentes ire in Hispaniam, & eos mittere sub iugum fidei Domini Dei nostri* IESV *Christi, anno scilicet à Natiuitate eiusdem Domini nostri septingentesimo septuagesimo octauo, Indictione prima, ferociſsimi & perfidi Saxones, & Vuestphali excitati spiritu satanæ, cum præfatus Carolus Rex esset cum toto suo exercitu in Hispania, putantes ac videntes se habere tempus aptum vlciscendi damna à Carolo & Christianis ipsis sæpè illata, conglomerati inuicem præceptis satraparum ipsorum venerunt validissimis ac grandibus agminibus strenuorum & ferocium armigerorum depopulantes longe lateque crudeli ferro, & edaci flamma cuncta quæ erant Christianorum, &c.* Ex productis hisce testibus Carolum magnum ab Alphonso Casto, qui post aliquot annos Hispaniis iura dedit, nequaquam aduersus Saracenos (vt scriptores fere omnes Hispanici affirmant) in Hispaniam euocatum fuisse clarissime deduci nemo iure negauerit; Verum cum [f] Io. Mariana in scribenda rerum Hispanicarum historia accuratissimus asserat, *Carolum cognomento magnum Francorum Regem non semel venisse in Hispaniam fama fert, veterum scriptorum constanti fide fundata, vt Mauros ab eo regno eiiceret*: procul dubio affirmare fas erit Baronium priorem illam Caroli expeditionem dicto anno septingentesimo septuagesimo octauo rite assignasse, ac proinde Carolum ab Alphonso tunc in Hispanias ad Mauros profligandos minime prouocatum fuisse; à veritate tamen non abscedere authores veterum potissimum authoritate scriptorum (vt ait author) constanti fide fundata, dum

[c] Idem anno 778. n. 4.

[f] Io. Marian. l. 7. c. 11.

aiunt Carolum pluries in Hispanias aciem direxisse ad Mauros omnino deuanstandos, verum erroris tantum nota conuinci eos posse, quod cladem illam, quam Carolus passus est in saltu Pyrenæo, ad Regis Alfonsi tempora referant: Cum igitur constet Carolum non semel in Hispanias aduentasse, necnon Alfonsum Castum etiam iuxta Baronium varias de Mauris regnum inuadentibus victorias retulisse, adeo vt Carolo per Legatos triumphi insignia aliquando miserit, post prædictum septingentesimum septuagesimum octauum annum Carolum ab Alfonso in Hispanias euocari potuisse, asserendi potestas clarè nobis conceditur; quapropter illum à vero minime aberrare fatendum est, qui ex antiquioribus erutum monumentis istud protulit: [a] *Alfonsus iterum Carolum monuit opportunum iam aduenisse tempus, quo Saraceni ex Hispania prorsus pelli, aut domari possent cum magno rei Christianæ emolumento:* Ex dictis duo nobis colligenda occurrunt; primum quod Carolus dum Francicis vallatus copiis pluries Hispanias infestissima illorum Christiani nominis hostium peste exemerit, non tam conseruandis Hispanici Imperij finibus, quam propagandæ in illis partibus Christianæ religioni plurimum allaborarit: quo præclaro facinore maximam sibi apud posteros laudem, summamque proprio imperio felicitatem comparauit; D. Fulgentio occinente: [b] *Magis Christianum regitur atque propagatur imperium, dum Ecclesiastico statui per omnem terram consulitur, quam cum in parte quacumque terrarum pro temporali securitate pugnatur:* Alterum est quod Alfonsi cum Gallo rege amicitiæ cultus eo vsque processerit, vt finitimas suis regnis vrbes non paucas non modo exteri regis dominio permiserit, verum etiam ad tam illustre ipsummet facinus litteris ac legationibus allexerit; tanto enim amplificandæ religionis ardore Christianorum principum animos inflammari decet, vt pro nihilo habitis proprij status vtilitate, regnique carissimi commodis, externorum etiam regum ditioni, si opus fuerit, aliqua dominij sui parte æquo animo cedant, dummodo fidei hostes à suis procul finibus arceantur.

Ann. 798.

[a] Serrar. in Carolo magno.

[b] S Fulgent. l. de verit. Prædest. & gratiæ.

Neque

Neque hic omittendum ducimus, quod Eginhardus in Caroli vita testatur: [c] *Adeo Adelfonsum Gallicæ atque Asturiæ Regem sibi societate deuinxisse, vt is cum ad eum litteras, vel Legatos mitteret, non aliter se apud illum quam proprium suum appellari iuberet*: Quare Alphonsus non solum post deprædatam Vlisipponam victoriæ insignia ac captiuos Carolo direxit, verum etiam alteram eidem per Froium legationem destinauit, vt ei papilionem miræ pulchritudinis intimæ veluti beneuolentiæ argumentum simul, ac pignus suo nomine deferret: Quo tandem mutua hæc potentissimorum Principum familiaris agendi inter se consuetudo peruenerit, ex Mariana audiamus. [d] *Alfonsus iam annis grauis, pluribusque fessus præliis, quæ in Mauros continue gerebat, Carolum in Hispanias, breui sperans eius armis totam prouinciam à barbarorum iugo fore eripiendam, accersere decreuit, &c.* Hæc autem potissima animaduersione digna prosequitur inferius: *Prole ipse carebat, nauatæ operæ mercedem commodum visum est regni successionem proponere, quam conditionem Carolus non abiecit:* Quam quidē beneficam Alfonsi voluntatem, quæ alienigenarum Principum in Hispanias dominium inuectura videbatur, primarij aulæ proceres tam ægre tulerunt, vt Regem suum à Carolo non solum abalienare, sed & Galli exercitum magnis iamiam itineribus in Hispanias properantem, ne vlterius progrederetur, summa ipsum contentione arcere nisi fuerint, nunquid reciproca istorum regum beneuolentia vlteriùs progredi vnquam potuit, quam quod hæreditaria totius regni administratio FrancoRegi ab ipsomet legitimo Hispaniarum moderatore oblata successione remissa fuerit! Ecquis ô Superi! generosam hanc Alfonsi mentem dignis vnquam efferat laudibus, mentem, inquam, proprij commodi oblitam, magisque Catholicæ religionis, cuius augmento Carolus eximiam nauabat operam, amplificandæ studio, quam seruandis, vt regum mos est, humanæ Politicæ institutis deditam, nedum vllum ex Gothicis principibus ac primatibus, quibus nonnulla erat obstrictus necessitudine, sui imperij hæredem nominare meditantem! His autem laudum

[c] Baron. an. 798. n. 8.

[d] Io. Marian. l. 7. c. 10.

BIBLIOTECA REALE ROMA

præconiis omnino indigni proceres illi, qui prudentiæ carnis nimium quantum fautores piiſſimi principis mentem mundanæ ſapientiæ rationibus ab optima ſententia reuocare non dubitarunt; de quibus eorumque ſimilibus optime Ambroſius: [c] *An vero idoneum eum putabo qui mihi det conſilium, cuius animum auaritia ſubiuget, cupiditas perturbet, quatiat metus?* De laudabili autem in profligandа per Hiſpanias graſſante hæreſi Caroli ſtudio nos ſuo loco dicemus.

[c] Ambroſ. l.1.offic.c.12.

Cum vero de multiplici in Hiſpanias aduerſus Saracenos Caroli expeditione facta à nobis mentio fuerit, non abs re fore exiſtimarim, ſi alias hoc loco Hiſpanicæ genti ab ipſis etiamnum Gallis præſtitas repetitis vicibus ſuppetias recenſendo complectamur.

De Sanctio Hiſpaniarum Rege Alfonſi Imperatoris filio apud Marianam legitur, [a] ipſum penitus animo iam conſternatum, validis nempe Vaſconum copiis, vndequaque obſeſſum, quibus circa annum reparatæ ſalutis milleſimum centeſimum quinquageſimum ſeptimum ſupra modum fatigatus, in extremas continuo redigendus anguſtias videbatur, inſperato Francorum ſuperuentu militum, quorum auxilium iampridem euocarat, repente quaſi nouis reſumptis viribus animatum, confirmatumque, rurſus in arenam deſcendere, nouamque prœlij aleam tentare nequaquam veritum fuiſſe; eodem proinde loco, eiſdemque veſtigiis decertatum eſt, verum tanta Sanctij exercitus alacritate, tantoque militum ardore, vt primo congreſſu inito Vaſconum permulti ingenti clade perculſi, manus dederint, cæteri vero facili negotio deuicti ceciderint.

[a] Io. Marian. l.11.c 5.

Ann. 1212. Exardeſcente iterum Mauros inter & Hiſpanos cruenti Martis ardore, Innocentius III. Pont. Max. anno Domini ſupra milleſimum ducenteſimo duodecimo ad Galliarum præſules litteras dedit, quibus Alfonſo Caſtellæ regi, immaniſſima Maurorum excurſione Caſtellæ agros deuaſtante laceſſito dolenti admodum animo compati teſtatur: [a] *Recipimus*, inquit, *litteras dolore plenas, & timore non vacuas, quibus*

[a] Innoc III. lib.14.Epiſt. 155.

Cariſſi

Carißimus in Christo filius noster Alfonsus Rex Castellæ illustris significare curauit, quod Saraceni hoc anno intrantes Hispaniam, &c. Tum plures Gallos Deo afflatos in Hispanias ad propugnanda religionis iura conuolasse Tudensis narrat, qui etiam addit Rodericum Toletanum Archiepiscopum Gallias petiisse, atque Innocentij authoritate munitum vrbes obiisse, populosque ad suscipiēdam contra Sarracenos crucem inflammasse: parta tandem de hostibus victoria, de qua audiendæ sunt litteræ ipsius Castellæ regis ad Pontificem directæ, in quibus post nonnulla sic habetur: *Quocirca eum litteris vestris nuntios nostros, quos ad hoc exequendum idoneos reputauimus, ad partes Franciæ non distulimus destinare, addentes etiam, vt omnibus militibus venientibus ad bellum, & omnibus seruientibus, prout decebat, expensas victui necessarias largiremur, quibus possent commode sustentari; vnde fuit, quod audita remissione peccatorum, quam vos venientibus indulsistis, venit magna multitudo militum de transmontanis partibus, necnon Archiepiscopi Narbonensis & Burdegalensis, & Episcopus Nannetensis fuerunt, qui venerunt vsque ad duo millia militum cum suis armigeris, & vsque ad decem millia seruientium in equis, & vsque ad quinquaginta millia seruiētium sine equis, &c.* Huiusmodi autem rei promouendæ Ludouicum huius nominis octauum studiosissimum fuisse, cui Blanca Hispani regis filia connubio iuncta erat, iure nemo negare poterit: Quamuis autem Gallorum exercitus prælij exitum minime expectarit; non defuere tamen qui pro ingenita sibi alacritate, obuioſque hostes lacessendi ardore, Maurorum copiis generose obstiterint, Hispanosque sibi confœderatos strenue iuuarint.

Apud eund. l. 15. Ep. 179.

Nec vero impari fretus auxilio Ferdinandi Castellæ regis exercitus, cum Valentiam expugnare conabatur, fortiter decertauit; [a] tunc enim Præsules vnà cum proceribus, ipseque Petrus Æmilius Narbonensis Episcopus cum delecta Gallorum manu in Hispani regis auxilium peruolarunt, cum Maurica classis circa annum Christi supra millesimum ducentesimum quadragesimum tertium ad Septam appulsa, ac vniuersis Africæ viribus contractis valde numerosa maximam

Anno 1232. & 1247.

[a] Io. Maria. lib. 12. c. 19.

Anno 1243.

ximam Hispanis incuteret formidinem: *Rem Christianam*,
[a] Io. Matia. l. 16. c. 61. [b] ait Mariana, *periculo proximam Diui Tutelares Hispaniæ sustentarunt, nam vno tempore ex Anglia, Gallia, & Vasconibus numero & virtute valida manus aduenit:* quibus Hispani roborati suppetiis feliciter dimicarunt: [c] Philippum etiam sextum Francorum Regem de excindendis Granatensibus
[c] Oder. c. Raynald. Anno 1351. n. 29. Mauris consilium cepisse meminit, qui Ranulphum Bochafortium ad Alfonsum regem Aragonum oratorem legauit, vt de coniungendis cum ipso armis, ad extirpandas ex Hispania Mahometanorum reliquias pacta iniret, seque laborum ac gloriæ socios Angliæ, Scotiæ & Nauarræ reges, Gallos item principes, Delphinumque, Sabaudum denique Ducem adducturum pollicebatur. Pecuniæ quoque munificentiam à Gallis regibus pro conficiendo eodem prœlio Hispanis suppeditatæ præ cæteris Alfonsus Castellæ Rex expertus fuit, cum enim ab externis pecuniam mutuari compulsus Gallum regem per Ægidium Toletanum Legatum adiisset, quinquaginta aureorum millia ab eo impetrauit, quibus potissimum munitus ad debellandos Maurorum cuneos in-
Anno 1366. trepidus properauit: Quid de Henrico Petri Castellani Regis fratre memorem? Qui optato Galli Regis subsidio recreatus, in illis regionibus summa rerum potitus est, cum enim Petrus diro admodum, immitique subditos sibi Hispanos imperio vexaret, Manassi haud absimilis euasit, quem
[a] S. Zeno l. 1. serm. 28. [a] Zeno Veronensis *Virum cruentum, & prodigum genealogiæ* vocauit; ac proceres tandem, Petro deiecto, Henricum fratrem eius nothum regem proclamarunt, cui perficiendo status consilio Gallorum copiæ plurimum contulere, quas Francus Rex contra validissimum Anglorum exercitum regno interitum minitantem magnis expensis comparatum Castellano ire obuiam iussit, pecuniasque ad honestum commeatum non modicas munifica manu submini strauit: cuius immotrali laude dignissimi beneficij memoriam, gratũque animum ab Henrico religiose conseruatũ fuisse patebit in-
Anno 1305. ferius: modo ad acre illud Castellum inter ac Lusitanum Reges dissidium oculis subiiciendum festinat oratio: & hic primum quidem occurrit Ioannis Riæ pro Gallo Rege Legati

gati munere fungentis elegans ad Castellanum sermo, quo regia castra sequutus concinne admodum apud eundem perorauit; eius vero partem ex Mariana [a] depromptam, certissimam veluti Gallicæ erga Hispanos ab hostibus tutandos propensionis tesseram recensemus: *Hospes*, inquit, *vtque externus, cui audire æquius erat, consilium tamen iussus do; si proficuum vtimini, si ineptum parcite; meo in vestram nationem studio, beneuolentiæque venia danda, atque huic ætati, in qua nulla arrogantiæ aut leuitatis suspicio subesse potest, eaque omnibus bellis, quæ in Gallia gesta sunt exacta diuturno vsu didici nulla re magis in bello peccari, quam acie ad pugnam perperam instruenda: Nunc hostes quamuis minori numero, loco tamen muniti sunt, cornua nostrorum nulli vsui futura: Censeo igitur à pugna abstinendum &c. Ipse sane, quodcumque tandem consilium Rex ceperis, periculi particeps esse non recuso; sed nisi audaciam frænatis, vtinam falsus vates sim, luctum, ignominiam, exitium vobis, nominique vestro sempiternum haud dubium comparabitis:* Non aduertis, lector, externum hominem Galli regis legatum Castellani exercitus sequacem, optima principi consilia suggerentem, erumpentesque iam præcipiti impetu militum animos efficacissimis rationibus compressos ab ineundo tunc temporis certamine ardenti studio reuocantem? Quorsum verò istud? nisi quia Gallum regem, cuius auxiliares fœderato amico ipse partes ducebat', carissimum Dominum suum Hispanicis commodis intentissimum Castellanis forte copiis præsentem affuturum, opemque tanto gratiorem, quanto minus expectatam saluberrimis regi consiliis suppeditaturum sibi facile persuaderet: Atque vtinam Hispani milites sapientissimis optimi legati monitis acquieuissent; equidem immani illa clade, qua paulo post cæsi periere, nequaquam obruti fuissent, summis eorum ducibus, ac ipsomet Gallo legato mitiori mortis genere dignissimo, aliisque magni nominis proceribus bello extinctis, vrbéque ipsa Castellæ à Lusitanis expugnata.

[a] Ioan. Marian. lib. 18. cap. 9.

Proximo autem anno in Galliam, [b] vbi certissimum rebus asperis calamitosisque præsidium fore arbitrabantur,

Anno 1386
[b] Oderic. Rainald. Ann. Eccles. *Anno* 1385, n. 10.

miſſi ex Caſtella nuntij eximiæ nobilitatis viri, qui patriæ ſuæ calamitates Lutetiæ coram Senatu lugubri oratione retulerunt: *Dolere ſe,*[b] *aiebant, quod oneri toties eſſe cogerentur, cum nulli vſui ante fuiſſent, certe exiguo, quoniam tamen ita res tulerunt: ſed Caſtellæ regnum Galliæ beneficium Henrico patri collatum, debere ipſos in filios tueri*: Vix legati perorauerant, cum Galli primates promptiſſimis animis Regi amico & fœderato abſque vlla mora præſtandam opem decernunt; deſtinata igitur auxiliari duo equitũ millia duce Ludouico Borbonio Galli regis Patruo, centum millia francorum in prima ſtipendia, *additumque*, ſubdit idem author, *niſi ea præſidia bello deferendo ſatis eſſent, Regem ipſum cum Galliæ copiis omnibus & viribus auxilio venturum*: Hic ſingula ferè verba expendere libet, quibus citatus author Hiſpanorum in Gallias legationem, procerumque comitatem Gallorum, qua ipſis perhumaniter exceptis tanta polliciti fuere adiumenta deſcribit: Et ſane ni Scriptor Hiſpanus eſſet, vix fide dignus haberetur, cum videlicet mutuum hunc animorum inter vtramque gentem conſenſum longa annorum ſerie perpetuo auctum, tam ſuauibus, vt ita dicam, verbis exprimere contendat:

[b] Ioan. Marian. l. 10. n. 10.

Viden quo pacto ad Gallias tanquam ad tutiſſimum aſylum Hiſpaniæ, & Caſtellæ præcipuè regna ab hoſtibus impetita confugiſſe referat? Caſtellæ regnum Galliæ beneficium nuncupet? Francorum regis peculiare munus aſſerat, gratiam in Hiſpanis filiis propagare, quam eorum parentibus contulerat? Francorum regis, procerumque animos ad ferendam Caſtellanis opem propenſiſſimos eſſe? tot millium francorum data ſtipendia, ipſum regis Patruum copiarum ducem ad eas oras miſſum, eundemque Francum regem, ſi opus eſſet, cum totis viribus aduolaturum, vt regnum illud hoſtium tyrannide eximeret, non obſcure, ſed diſertis verbis inſinuet? Et adhuc non ſcriptoris fidem, ſed vnanimem vtriuſque gentis atque intimam fere ſemper vltro citroque ſeruatam neceſſitudinem in dubium quis reuocare audeat?

Anno 1410. Illud mihi pene exciderat aliqua ſaltem ponderatione nequa

nequaquam indignum, quod anno salutis quadringentesimo decimo supra millesimum defuncto Martino Aragonum rege contigit, quo tempore grauis Francos inter & Castellanos de successore mota est altercatio, quæ incalescentibus ambarum partium studiis in tantum repente creuit incendium, vt nonnisi effuso militarium copiarum sanguine extinguendum iactaretur: Huc accedit quod Ioanne Henrici filio adhuc infante, Toletanus Præsul, vtpote nimium honoris & gloriæ auidus, non sine magna reliquorum procerum querimonia, feruentique obtrectatione, regni curam omnem sibi sumere pertentaret; quare ad consuetum totque vicibus expertum Gallorum necessitudinis profugere solatium, quod tamen agitata turbarum ac seditionum motibus Gallia, suorumque intus lacerata discordiis Castellanis sibi quamuis adeo caris deferre neutiquam potuit: Nihilominùs Castellæ reges crebris deinde nuptiarum solemnitatibus, sacrisque cum Gallis Connubiorum vinculis constricti, promptam eorum opem repetitis vicibus experti fuere, non sine magna regum Aragonum inuidia, quibus hæc mutua Castellanos inter ac Francos Reges consuetudo suspecta malorum sibi imminentium timorem incussit, quem continua tam sancti fœderis violatione, quantum in ipsis fuit, excussere, de quo nos alibi: Quid ad hæc ipsa luce clariora, ô Inclyti Hispaniarum Monarchæ, tam familiaris, tamque erga vos beneficæ necessitudinis argumenta? numquid sparsa hæc in sterilem ingratæ terræ sinum fœcundissima fraternæ beneuolentiæ semina? Scripta hæc fortassis in labentis aquæ tabulis beneficia? hæc marmore digna tam cito vobis exciderunt vestræ cara salutis pignora? minime vero; non impari siquidem virium contentione, nec minori alacritate animi Hispaniarum reges toti in exemplum orbi propositæ fœderatorum in se Galliæ regum amicitiæ iteratis sæpiùs officiorum muneribus respondere tentarunt; in præsenti quippe periculo Francis præsto fuere, vastataque hostili furore eorum regni prouincias subita copiarum accessione tueri, intestinos sedare tumultus, fugatamque regum inter se dissidentium odiis ac discordi

Anno 1418. Io. Marian.

conflictu optatæ tranquillitatis serenitatem, vbi sese illis dedit occasio, reducere conati sunt; vti ex variis historicarum paginarum locis aperte nobis colligere licet.

Anno 1209. Enimuero Alfonsus Castellæ Rex totus pacandis nimio Christianæ reipublicæ damno inter se digladiantibus Galliarum & Angliæ regibus intentus, numeroso cinctus exercitu in Aquitaniam penetrauit, [a] ei potissimum genti vim paratus inferre, quæ pertinaci quodam liuoris impetu acta in præceps sana pacis consilia reiecisset; quid vero non molitus, vt grassantem per vrbes & oppida seditionum luem compressam penitùs ex amici regno in extremas barbarorum terras amandaret? quod sane indefessum Alfonsi studium felicissimo prorsus euentu ad sempiternam posterorum memoriam claruisset, nisi horrẽdum in modum accensa discordiarum flamma in Galliam pene vniuersam exundasset, bellique Maurici metus, ac legitimæ defensionis apparatus ipsum in Hispanias reuocasset: Quis vero nesciat Ferdinandum Castellæ regem à Blancâ matertera euocatum in Gallias ad procerum, regis adhuc infantis ætate contempta, Rempublicam perturbantium vim compescendam? ancipiti suspensus hærebat animo, vtrum Galliam peteret, quo reginæ viduæ, regis infantis imbecillitati, euidentique periculo proxime occurreret, an vero Bæticæ expeditioni instaurandæ vacaret: cum autem Bæticæ arcem à Mauris obsessam, illiusque regem à suis orta seditione per summam nequitiam obtruncatum, militesque præsidiarios non longe à violenta morte, sæuissimaque strage abesse audisset, vicit eum sententia potius belli aduersus fidei perduelles ineundi, quam materteræ, regisque, quorum præ cæteris salutem deperibat, iura defendere; nihilominus saluberrimis per frequentes internuntios monitis Blancæ pro sedandis iis motibus, ac felici totius regni administratione optima consilia suggerere non destitit: qua autem ratione eosdem externis licet destitutos præsidiis confirmarit, miraque agendi dexteritate regni tumultus sedauerit, inferius patebit:

[a] Io. Maria. lib. 11. c. 22.

Anno 1217.

Neque omittendum inter alias icti cum Gallo ac Sanctio regibus

regibus circa annum milleſimum ducenteſimum octogeſimum ſeptimum fœderis conditiones hanc potiſſimam fuiſſe, [b] quod Caſtellæ rex mille equites auxilio regi Gallo Aragoniam inuadere meditanti dirigeret, tutumque iter Gallicis, ſi opus foret, per Prouinciam copiis præberet: Henricum autem Petro fratri Gallorum ope in regno, vti diximus, ſuffectum duodecim Caſtellæ triremes Franco regi miſiſſe auxilio [c] Mariana teſtatur: atque eo amicitiæ vinculo Henricus cum Gallo ſeſe obſtrinxit, [a] vt accepti beneficii memor Vaſconum regi Madritum appulſo, à Gallica ſe neutiquam communione receſſurum expreſſis verbis ſignificarit, quam pernicioſus ille malorum incentor animorum coniunctionem data rupturus illuc opera conuenerat: moriens vero hæc Ioanni filio dedit mandata per Ioannem Manricum Seguntinum Epiſcopum; [b] in Pontificum diſſidio non temere in alterutram partem inclinandum, Deum, Eccleſiæque commoda præ oculis perpetuo habenda, Gallorum concordiam ac beneuolentiam omnibus ſtudiis ſeruandam, captiuos omnes chriſtiano addictos nomini libertati reſtituendos &c. *regni igitur ſuſcepta cura Ioannes nihil antiquius* [c] (vt Mariana loquitur) *Gallorum amicitia habuit*: Itaque continuo claſsis inſtructa, & aduerſus Ioannem Montfortium Ducem Armoricum, quem Lutetiæ Senatus Angliæ fauentem ceu publicum Galliæ hoſtem pronunciarat, ordinata; quare ea littora Caſtellæ triremium aduentu longe lateque deſtructa, arx capta, pluresque cæteris fugatis cæſi ſunt: Hac vero nequaquam clade contentus, paterni haud immemor moniti de fouenda ſcilicet cum Gallis amicitia, viginti triremes, duce Touario maris præfecto, aduerſus Anglos in Francorum regis gratiam ſubuexit, quæ Hiſpali in Angliam appulſæ aduerſo Tameſi amne in Londini conſpectum peruenere, ingentique clade Anglorum claſſem profligarunt.

Anno. 1287.
[b] Io. Maria l. 14. n. 11.
[c] Idem l. 17. c. 12.
[a] Ibid. c. 18.
Anno 1379.
[b] Idem l. 18. c. 2.
[c] Idem Ibid. c. 3.
Anno 13[illegible]

Iam vero cuius ferrei pectoris viſcera non moueat calamitoſa ſub Carolo eo nomine ſeptimo Galliæ ſub grauiſſimo Angliæ tyrannidis iugo magna ex parte gementis facies? & quamuis, Romani Oratoris iudicio, *habeat præteriti doloris*

Anno 1429.
Tull. in Ep.

ſola recordatio delectationem, in tanta nihilominus tamque funeſta, cui aliquo modo recenſendæ vix alter Homerus ſufficiat, ingentium malorum ſtuporem nobis inducentium Iliade quis hoſtis licet infenſus abiectiſſimam infeliciſſimi mortalium Regis in extremas Bituricæ vrbis anguſtias coniecti ſortem vel ſanguineis merito lachrymis non deploret? proh Deum hominumque fidem! ſiccine in luctu & ſordibus iaces Gallia? Semper vtique olim fœlix, ſemper inuicta, ſemper triumphans regnorum omnium gemma? tantæne animis cœleſtibus iræ? quam longe alia, & quam ſæculis ab illis aureis gloriæ tuæ mutata, in quibus omnium bonorum copia abundans, in cæteras orbis regiones de ſinu tuo immenſos diuitiarum theſauros effundebas? magna ſane fuit velut mare contritio tua, & quis medebitur tui? quid tam deſperato rerum articulo faciat Carolus Lutetia, hoc eſt paterna domo pulſus nomine Biturigum Rex, ſed re ipſa perfidæ Anglorum gentis ſeruus? legatos vndique ad vicinos principes promptum auxilium perituros deſtinat, ſingulos laceſſit precibus, ſingulorum opem implorat, ſed incaſſum; nam Aragonius, [a] de quo magis ſperabat gemino tum bello diſtentus, efficaciſſimis rationibus de ſua morali Francum iuuandi amicum, pro vt ſibi erat in votis, impotentia legitimam apud Matthiam Rexachum Regis oratorem excuſationem protulit: Non defuit veri forſan amici officio Hiſpanus Rex? verum ipſe continuis barbarorum incurſionibus fatigatus, ſatis ſuperque pro ſui ipſius Lariumque domeſticorum defenſione laborauit: vnde hic notandum occurrit, quod rarius Hiſpaniarum reges præſenti ſuarum copiarum auxilio Gallis præſto fuerint, cum Franci Hiſpaniæ ac Caſtiliæ potiſſimum regnis numenoſis crebro exercitibus ſuppetias tulerint; quod prudens lector facile excuſabit, ſi frequentes admodum in Hiſpanias Agarenorum excurſiones memoria reuocet, quorum effrænatis aduerſari viribus, violentoſque nimium impetus retundere, etſi exteris ſuffulti præſidiis vix ac ne vix quidem haudquaquam poterãt: hinc petita ab alienigenis ſubſidia, minus ſæpe ipſis præſtita, cum ex dictis aperte pateat

[a] Idem l. 20. c. 16.

in

in Gallos reges, tanquam erga peculiares suorummet regnorũ propugnatores intimos grati animi sensus perpetuo conseruasse, ac fugato prœliorum turbine fœdera mutuis inter eos officiis frequenter instaurata fuisse: Et quamuis nonnulla interdum dissidia, pugnæque ambos inter reges extiterint, tamen in ipsomet ptœliorum ardore missæ vtrimque pro instaurando fœdere legationes, ac post nubila lætæ pacis serenitas celebratis hinc inde nuptiarum solemniis clarior reddita vtrique genti quamprimum semper arrisit: Quin imo dum simul decertarunt, intimam tum ab ipsis conseruatam animorum coniunctionem affirmare haud vereor, cum præsertim hanc Philippi secundi Hispaniarum Indiarumque regis fuisse mentem, quam summis extollit præconiis, [a] Spondanus asserat, nam denuntiato ipsi à Gallis bello responsum dedisse fertur, post enumerata à se subministrata pro Catholicæ religionis defensione auxilia, *se porrò in eadem benevolentia pro religione perseverare velle, ac protestari non propter eiusmodi sacrum bellum à pactis & pacificatione cum Christianissimis regibus initis velle discedere; quin imò mandare suis, ne vllam Francis catholicis iniuriam inferrent, sed tantum illis, qui Hugonotorum, & Henrici Bearnensis partibus adhærerent*: ita Gallus author de Ecclesiastica historia optime meritus, virque summa animi ingenuitate, necnon mirabili indagandæ rerum veritatis, & indefessa sollicitudine apud omnes commendatus, cui in hac parte Hispano regi fauenti fides merito adhibenda videatur.

[a] Henr. Spond. Anno 1590. n. 2.

Verum non bellici tantum apparatus tempore, ac percutiendi simul fœderis causa ambos inter reges huiusmodi communio inualuit, sed & in ipso tranquillæ pacis otio hæc eadem multiplici vtriusque gentis emolumento mirum in modum effulsit: Illustrem te hic appello testem Carole ter maxime, inuictissimè Francorum Rex, ac semper Auguste Imperator, nunquid vna cum [b] Alfonso rege à Leone III. summo Pontifice, vt Iriensis præsulis sedes retento nomine, & Bracarensis Metropolitani, cui subditus erat, retento iure, Compostellam loci cohonestandi gratia migraret, impetrasti?

[b] Io. Marian. l. 7. c. 20.

petraſti? Addunt alij, (quod tanquam commentitium reiicit Baronius) Carolum inuento D. Iacobi corpore plurimas Hiſpaniæ prouincias, ac Compoſtellam perluſtraſſe, cum in amplificandæ religionis curam totus incumberet; re certa,[a] ſubiicit Mariana, in reliquas Hiſpaniæ Eccleſias eo agente ius & authoritatem Primatus Compoſtellano præſuli data: de eiuſdem Caroli in extinguenda Elipandi hæreſi in Hiſpaniis orta miro ardore, de litteris ac Concilio eam in rem ipſius iuſſu conuocato nos ſuo loco fuſiùs; nunc ad Ludouicum eius filium cognomento pium ſermonem conuertamus. Hic Adelfonſi regis nuntios, quos ad eum pro firmanda amicitia deſtinarat, mira excepit comitate, eoſdemque cum ampliſſimis muneribus pacifice remiſit; idem Rex Bernardum Hiſpanum Comitem, fideliſſimum velut ſibi virum cubiculi ſui præfectum conſtituit: Hiſpanum vero hominem tanto amore proſequutus eſt, vt Septimaniæ ducatu eum ornarit, defenſionis ſuæ cauſa in auiam aduocarit, ac præ cæteris vnice carum habuerit, quem numquam à ſe dimiſiſſet, niſi exinde rumor improborum auctus calumniis, eum Iudithæ Imperatrici commiſceri ſolitum longe lateque percrebuiſſet; adeo vt Pipinus ipſe Ludouici filius aduerſus patrem copias ſine mora traduxerit: At vero eximia Ludouici in Hiſpanicam gentem pietas ſtudiumque maxime enituit; cum frequentes Hiſpaniarum populi duriſſimo Sarracenorum iugo oppreſſi, relictis barbarorum prædæ bonis omnibus in Gallias migrarunt: *At Imperator*, Baronij verba ſunt, *maxime pius Ludouicus tantum abeſt vt ſuſcipere voluerit eos in ſeruos, vt æqua conditione qua Francos illos omnino voluerit eſſe liberos, concedens eiſdem quoque agros quos colerent: ſed & quod maius eſt, à tributorum exhibitione voluit immunes eſſe:* Extant de his diplomata duo, quorum aliquam partem breuitatis cauſa hic inſerendam duximus.

[a] Idem Ibid. c. 11.

In nomine Domini, &c.

Sicut nullius veſtram notitiam effugiſſe putamus, qualiter aliqui homines propter iniquam oppreßionem, & crudeliſſimum iugum quod eorum ceruicibus inimiciſſima chriſtianitati

ati genus Sarracenorum imposuit, relictis propriis habitationibus & facultatibus, quæ ad eos hæreditario iure pertinebant, de partibus Hispaniæ ad nos confugerunt, & in Septimania, & in ea portione Hispaniæ quæ à nostris Marchionibus in solitudinem redacta fuit, sese ad habitandum contulerunt, & à Sarracenorum potestate se subtrahentes, nostro dominio libera & prompta voluntate se subdiderunt: ita ad omnium hominum notitiam peruenire volumus, quod eosdem homines sub protectione & defensione nostra receptos in libertate conseruare decreuimus, eo videlicet modo, vt sicut cæteri liberi homines cum Comite suo in exercitum pergant, &c. Neque pij Regis Hispanos tuendi ardor illic quieuit, cum enim è sua patria extorres à suismet Hispanis potentioribus viris sæuissimam pati tyrannidem cœpissent, Ludouicus eorum querelis commotus aduersus Comites qui Hispanos in sui regni prouinciis commorantes tam dire vexabant, tale dedit rescriptum.

Lvdovicvs, &c. *Notum sit omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostris tam præsentibus, quam futuris, seu etiam successoribus nostris; quia postquam Hispani qui de potestate Sarracenorum se subtraxerunt, & ad nostram seu genitoris nostri fidem se contulerunt, querimoniam ex his Hispanis nostris auribus retulerunt duo capita continentem, &c.* & infra: *quorum neutrum iustum aut rationabile nobis esse videtur: & ideo per hanc nostræ præceptionis authoritatem decernimus atque iubemus, vt hi qui vel nostrum, vel nostri genitoris præceptum accipere meruerunt, hoc quod ipsi cum suis honoribus de deserto excoluerunt, per nostram concessionem habeant: Cæteri vero qui simul cum eis venerunt, & loca deserta occupauerunt, quicquid de incerto excoluerunt, absque vllius inquietudine possideant tam ipsi, quam illorum posteritas, ita duntaxat, vt seruitium nostrum cum illo qui ipsum præceptum accepit pro modo possessionis quam tenet, facere debeat: hi vero qui postea venerunt, etsi aut Comitibus aut Vassis nostris, aut patribus suis se commendauerunt, & ab eis terras ad habitandum acceperunt, sub tali forma eas in futurum & ipsi possideant, vt suæ posteritati derelinquant, &c.* Quid verba illa adeo authentica, nisi piissimi

ac religioſiſſimi principis non vulgarem in Hiſpanos beneuolentiam prædicant? vt hinc digniſſimi ſuæ poteſtatis hæredes, non tam amplius à Saracenorum manu, quæ Dei gratia eſt, liberos, quam ſub Catholicis regibus pacifice militantes Hiſpanos benignis fouere obſequiis, humaniſſimiſve demereri ediſcant officiis.

[a] Io. Marian. l. 19. c. 6.

Quid vultis amplius? ſummæ animarum connexionis ambos inter reges clariſſimum fuiſſe argumentum Mariana profitetur, quod cum diſſidia ac controuerſiæ inter ipſos, alioſue principes orirentur, Gallo dirimenda regi ipſemet Hiſpaniarum Rex vltro detulerit: quod in Henrico Caſtellæ Rege exploratum habetur, cum enim nonnulla inter ipſum ac Legionis Comitem diſſenſio intercederet, Caſtellanis Legatis Lutetiam ad diem dictam appulſis pro lite coram Gallo Rege terminanda, vti conuenerant, Legionis Comite læſæ Maieſtatis damnato ſancitum eſt, vt in ſui regis poteſtate eſſet; ſi ita faceret, eorum quæ commiſſa erant veniam, priſtinumque principatum ſperaret, ipſo Rege Gallo adnitente; ſi recuſaret, nullam ſpem præſidij, ac ne tutum quidem ipſi perfugium in Gallia fore: Idem plane accidit cum inter Maximilianum Cæſarem, & Ferdinandum Hiſpaniæ Regem orta eſſet de Hiſpaniæ procuratione controuerſia, nam vnanimi principum conſenſu ad Ludouici Francorum Regis, & ad Cardinalis Rothomagenſis Gallorum Legati ſententiam remiſſa fuit.

[b] Bibl. orth. Hiſpan. pag. 1107.

Ex antiqua denique Hiſpanorum inter ac Gallorum Reges obſeruata patet conſuetudine, vt cum eorum quiſpiam decederet, alter de illius obitu quamprimùm certior fieret; quod in Henrici Caſtellæ Regis morte potiſſimum contigit, tunc enim miſſi ad Galliarum Regem nuntij fuere, qui Oratoribus ob Henrici exitum non vulgaria intimi doloris argumenta exhibuit, tum de noua Regis ac Reginæ ſucceſſione gratulatus, antiqua libenti animo fœdera denuo renouanda propoſuit.

Ad extremum prius nos in explicandis mutuæ huius communionis ab ipſis fundatæ in vtroque regno fidei incunabulis feliciter excultæ prodigiis ſermo, quam dicendi materia

materia deficeret: Atque vtinam facilis in abdita, totque seris munita regiarum litterarum scrinia, necnon recondita vtriusque gentis secretorum adyta nobis aditus patuisset, innumera profecto in copiosissimis illis regia ipsa amborum regum manu depictarum paginarum voluminibus sincerum ac vere fraternum tantorum principum amorem legeremus, qui in ipso salutis limine exorientis licet Christianæ fidei scintillis accensus per continuas sibi mutuo succedentium sæculorum periodos tam copiosæ materiæ cumulis exarsit, vt præsentissimo in variis rei publicæ periculis regiorum exercituum præsidio, incredibili item vtriusque ærarij in extremis regnorum angustiis profusione, sacrosanctis regiarum vtriusque gentis puellarum Connubiis, famosissimis ad saluberrima publicæ tranquillitatis capienda consilia destinatis legationibus, regia dignissimis liberalitate muneribus, mutuo denique amborum regum conuescentium, & os ad os de rebus suis deliberantium congressu in immensum excreuerit incendium, vti legentibus in sequenti huiusce operis decursu clarius innotescet.

Mutua regiarum vtriuſque gentis Puellarum Connubia, ac præclariora earum geſta.

CAPVT SECVNDVM.

POTISSIMVM ad conciliandos diuerſarum gentium animos argumentum à ſuorum principum affinitate, communi nationum conſenſu, deduci conſueuit: quam ob cauſam Theodoricus Italiæ rex Clodouæum ad pacem eum Gotho ſanciendam hac præcipua inter cæteras ratione ſtuduit excitare: *Sociantur*,[a] inquit, *proximitate Domini, vt nationes diuiſæ ſimili debeant voluntate gloriari, & quaſi per alueos quoſdam concordiæ adunatæ ſe poſſint gentium vota coniungere*: ſtrictiſſimo itaque mutuæ ſocietatis, ac intimæ neceſſitudinis fœdere viciſſim colligatam Gallicam cum Hiſpanica gentem præ cæteris quibuſlibet nationibus merito affirmarim, cum præſertim auguſtiſſimi vtriuſque regni moderatores celebratis inter ſe frequentibus nuptiarum feſtiuitatibus nouo ſemper amicitiæ vinculo ſeſe amantiſſime deuinxerint.

[a] Caſſiod. l. 3. vario. Ep. 4.

Ann. 528. Prima ſeſe noſtris ſubiicit oculis Crotildis Clodouæi Francorum Regis filia, quam Childebertus poſt patris obitum Amalarico Alarici filio in Hiſpaniis clauum tenenti matrimonio iunxit: cæterum cum ipſe peſtiferis Arianiſmi erroribus infectus, rectam vxoris mentem catholicæ fidei puritate imbutam eodem veneno labefactare nequaquam potuiſſet, contemptui eam habere, ac contumeliis afficere cœpit, tantoque demum furore in eam conciratus fuit, vt violentas ipſi manus inferre tẽtauerit: Huius autem illuſtris puellæ fratrem Childebertum iniuriæ vlciſcendæ ſtudio accenſum acre bellũ Amalarico intuliſſe ſupra meminimus.

[b] Greg. Tur. l. 4. hiſt. Frãc. c. 27.

Sed iam nos in Gallias euocat[b] Turonenſis recolendas

Atha

Athanagildi Hiſpanorum regis filiarum nuptias proponens, quæ Francis Regibus copulatæ, mox Chriſto nomen dare meruerunt: Cum Sigebertus Francorum Rex ægro ferret animo fratres indignas ſui ſplendore nominis vxores accipere, legationem in Hiſpaniam confeſtim ordinauit, qua Brunichildem Athanagildi regis filiam poſtulauit, quam lætus pater Francis benigne annuens cum ingentibus theſauris in Gallias tranſmiſit: ea cecinit occaſione Venantius Fortunatus de nuptiis illis Epithalamium, vbi de pace inter Gallos ac Gothos tunc inſtaurata hæc habet: Circa Ann. 563. Anno 564.

Quis crederet autem Venant. Fort. carm. l. 6.
Hiſpaniam tibimet dominam Germania naſci,
Quæ duo regna iugo pretioſa annexuit vno?
Non labor humanus potuit tam mira parare,
Nam res difficilis diuinis vtitur armis;
Longa retro ſeries regi hoc vix contulit vlli,
Difficili niſu ſuperantur ardua rerum,
Nobilitas excelſa nitet genus Athanagildi,
Longius extremo regnum qui porrigit orbi,
Dives opum quas mundus habet, populumque gubernat
Hiſpanum ſub iure ſuo pietate canenda:

Cum igitur nouum hoc Gallici regis cum Hiſpana Principe connubium, ac fœdus inter vtramque gentem inde ſancitum tanti doctrinæ pietatiſque fama illuſtris Pictonum Præſulis mentem tam ingenti gaudio perfuderint, vt ſuauiſſimum concinere carmen decreuerit, quo amborum regum potentiam, mutuamque ipſorum regnorum communionem maximis laudum præconiis extolleret, quid mirum ſi haud impar ex ſolemnibus hac noſtra ætate contractis nuptiis ſequuta optatæ pacis tranquillitas animum meum tenuem licet ſtimulando excitarit, nouaſque vires addiderit, vt fideli nudæque veritatis potiùs quam affectati cuiuſdam leporis amãti ſtylo ingenitã Galliarum cum Hiſpanica gente conſuetudinem, ac germanam omniſque fuci expertem Regum ipſorum beneuolentiam, ſtupendum veluti totius orbis miraculum, ac nitidiſſimum ſinceræ amicitiæ ſpeculum omnium oculis inſpiciendum proponerem: Brunichil-

dem vero iam ad orthodoxæ fidei ſemitam blandis ac efficacibus viri ſui monitis traductam benignis oculis intueamur, quod fauſtis idem author auibus canere pergit:

Catholico cultu decorata eſt optima coniux,
Eccleſiæ creuit te faciente domus:
Reginam meritis Brunichildem Chriſtus amore
Tunc tibi coniunxit, hanc tibi quando dedit:
Altera vota colis melius, quia munere Chriſti
Pectora iuncta prius, plus modo lege placent:
Rex pie, regina tanto de lumine gaude,
Acquiſita bis eſt, quæ tibi nupta ſemel:
Pulchra, modeſta, decens, ſolers, pia, grata, benigna,
Ingenio, vultu, nobilitate potens:
Sed quamuis tantum meruiſſet ſola decorem,
Ante tamen homini, nunc placet ecce Deo.

Admiranda hic primùm Sigeberti pietas fideique ardor in traducenda ad Chriſtum Ariana vxore nobis proponitur, neque enim feliciter ſeſe regnare putauit, ſi cariſſima coniux eodem iuncta thalamo diſſimili fide, religioniſve cultu ſecum minime cõueniret: Quare *ſatis magnum regnum eſſe liberos & vxorem*, iuxta Euripidis mentem apprime intelligens, non modo eam ab ipſo regij diadematis honore, ſed & genitos à ſe filios, *ſi Dei regnum intra eos non eſſet*, deſciſcere opinabatur: Reginam ergo digniſſimam ſibi ſponſam adiunxiſſe Venantius merito concinebat, cum eandem Chriſto per fidem deſponſauit, Gregorio magno vere ad Childebertum ſcribente: *eſſe regem, quia ſunt & alij non mirum eſt, ſed eſſe Catholicum quod alij non merentur, hoc ſatis eſt:* Nec tantis laudum præconiis dignam Hiſpanici ſanguinis reginam affirmarim, quod promptiſſimo fidem ſibi à viro indicatam animo arripuerit, quam quod eam medullitùs infuſam ea mentis contentione fortiter retentam excoluerit, regiaque authoritate propagarit, vt in hac potiſſimum parte, generoſaque dilatandæ fidei conſtantia ſummis ab eodem Gregorio Pontif. Max. laudibus celebrari meruerit, & in multis quidem aureorum eius operum locis, ſed maxime in Epiſtola de conuerſione Anglorum ad eam miſſa

Apud Stobeũ oratione 67.

S. Greg. l. 5. Epiſt. 6.

missa, quæ incipit: [a] *Excellentiæ vestræ Christianitas ita nobis veraciter olim innotuit, vt de bonitate eius nullatenus dubitemus, sed magis certum modis omnibus teneamus, quia in causa fidei deuote & studiose concurrat, & religiosæ sinceritatis suæ solatia copiosissime subministret:* & in alia Epistola: [b] *Gratias omnipotenti Deo referimus, qui inter cætera pietatis suæ dona, quæ excellentia vestra largitus est, ita vos amore Christianæ religionis impleuit, vt quidquid ad animarum lucrum, quidquid ad propagationem fidei pertinere cognoscitis, deuota mente, & pio operari studio non cessetis:* quam Brunechildis in Christianæ fidei augmentum propẽsionem ipsius parenti Athanagildo etsi Ariano, Catholicis tamen fauenti, imo occulte Catholicam fidem colenti Baronius rite ascribit: non ergo mirum videri debet, si hæc regina cum sorore Geleſuintha, de qua inferius, vbi in Gallias venit, paternis adhærescens institutis, rectisque fidei dogmatibus imbuta, suauissimos honoris & honestatis fructus longe lateque produxerit.

[a] Idem Ibid. Epist. 59.

[b] Idem ib.

Cæterum Brunichildis quam ab optimo coniuge fidem acceperat, totis viribus in Childeberto filio stabilire enixa est; cuius in hac re studium Gregorius ad eam scribens pluribus commendat: [c] *Excellentiæ vestræ*, inquit, *prædicandam, ac Deo placitam bonitatem & gubernacula regni testantur, & educatio filij manifestat, cui non solum incolumem rerum temporalium gloriam prouida sollicitudine conseruastis, verum etiam æternæ vitæ præmia prouidistis, dum mentem ipsius in radice veræ fidei materna, vt decuit, & laudabili institutione plantastis, sed vt laudabilius in eo fides cum operibus eniteſcat, adhortationis vestræ eum verba succendant, &c.* En tibi, lector, virtutum semina in Franco principe studiosa Hispanæ genitricis manu inserta, iam maturos diffusæ eiusdem studio per totum regnum pietatis fructus ex ipso Gregorio accipe: [a] *Quanta in vobis bona diuino munere sint collata, quantaque vos superna gratia pietas impleuerit, inter cætera vestrorum testimonia meritorum, illud etiam cunctis patenter insinuat, quia & effera corda gentilium prouidi gubernatis arte consilij, & regiam, quod maioris adhuc laudis est, ornatis sapientia potestatem:*

[c] Idem Ibid. Epist. 5.

[a] Idem ibid. l. 9. Ep. 57.

[a] Idem l. 7. Epist 94. *testatem:* & alibi: *Excellentiæ vestræ sollicitudo regia est vbique gubernatione laudabilis; Ecclesiam vos S. Martini in suburbano Augustodunensi, atque monasterium ancillarum Dei necnon Xenodochium in vrbe eadem construxisse valde lætati sumus, &c.* Addit Aimoinus [a] tot tantaque pia ædificia à Brunichilde constructa fuisse, vt incredibile videatur ab vna fœmina in Austrasia duntaxat atque Burgundia regnante erigi potuisse: quapropter ex hisce Pontificis ter Maximi, aliorumue testimoniis non tantum eximia Hispanæ principis pietas Franciæ regno mirum in modum proficua, quam summa eius prudentia, miraque in gentis illius administratione solertia maxime elucet, adeo vt magna pars Galliarum sese ipsi debere plurimùm fateatur; vnde idem Gregorius merito pronuntiauit: [c] *Pra aliis gentibus gentem Francorum asserimus felicem, qua sic bonis omnibus præditam meruit habere reginam:* & alibi.

[a] Aimoinus l. 4. c. 1.

[b] Greg. l. 11. Epist. 8.

[a] *Excellentiæ vestræ, quæ prona in bonis consueuit esse operibus,* &c. [b] *Inter alia bona hoc apud vos præcæteris tenet principatum, quod in mediis huius mundi fluctibus, qui regentis animos turbulenta solent vexatione confundere, ita cor ad diuini cultus amorem, & venerabilium locorum disponendam quietem reducitis, ac si nulla vos alia cura solicitet:* & inferius subdit: [b] *In qua re gloriæ vestræ curam cognouimus, quam de vita animæ, & de regni vestri soliditate cogitatis; quia redemptorem nostrum formidantes, eiusque in omnibus præcepta seruantes & hic agitis, vt diu regni vestri gubernacula subsistant, & post longa annorum curricula, vos quoque de terreno regno ad regnum cæleste transeatis:* Atque vtinam hæc illustris Princeps saluberrimo isti Gregorij ad eam scribentis monito paruisset! *In eo regnum potestatis vestræ & subiectis gentibus confirmatis, in quo timori omnipotentis Domini mentis colla subiicitis; & vnde vosmetipsas seruitio creatoris subiicitis, inde vobis vestros subditos ad seruitium deuotius obligatis:* Nam vbi immoderata regnandi libido supra modum ipsius mentem inuasit, priorem omnem florentissimi nominis sui magna ex parte deleuit famam, suique hæredes regni Christiana pietate imbuendos potius, quam immoderata dilatandi fines imperij

[a] Greg. l. 5. Epist. 19.

[b] Idem l. 11.

[b] Idem ib.

cupi

cupiditate inflammandos eorum animos mutabilis fortunæ ſuperbos ipſius ac vanos conatus ridentis alternanti viciſſitudine demonſtrauit:

Iam nos ad ſe inuitat altera natu maior Athanagildi Hiſpaniarum regis filia, ac Brunechildis ſoror, Geleſuintha nomine eodem fere tempore Chilperico Francorum regi tunc Sueſſione ſedenti tradita nuptui, quæ vtprimùm in Galias appulit, mox catholicis ſeſe inſtitutis imbui facile paſſa, non vulgaria ſuæ pietatis argumenta dare cœpit: at licet omnium fere corda ſuauibus virtutum lenociniis ad ſe raperet, animoſque ſibi vnice addictos conciliaret, ſolius duntaxat regis coniugis ſui animum Fredegundis amoribus implicitum ſibi infenſum probauit: concubinis antea nuntium remittere pollicitus fuerat, ſi regia perſona dignam vxorem, Hiſpanique regis prolem accipere mereretur: ipſe tamen fœdiſſimæ dominæ voluptatis factus vile mancipium, cum inſano Fredegundem amore deperiret, Geleſuintham cum theſauris quos ſecum detulerat, in patriam reuerti poſſe aſſerebat, donec eam occulte ab ephoebo præfocari mandauit: Venantius tamem eam repentina, non autem violenta ſublatam morte arbitratus ita cecinit.

Venant. Fortunat. Ibid.

Toletus geminas miſit tibi Gallia turres,
Prima ſtante quidem, fracta ſecunda iacet:
Alta ſuper colles ſpecioſa cacumine pulchro
Flatibus infeſtis culmine lapſa ruit:
Sedibus in patria ſua fundamenta relinquens
Cardine mota ſuo non ſtetit vna diu:
De proprio migrata ſolo noua merſit arena
Exul, & his terris heu peregrina iacet.

Placuit harum Athanagildi filiarum in Gallias aduentum doctiſſimi huius præſulis ore canere, cuius eleganti ſtylo inferius etiam vſuri ſumus, quo concepti à priſcis Gallis de Principum ſuorum cum Hiſpanis affinitate gaudij celebritas magis innoteſcat, necnon clariſſimis hiſce exemplis inflammati eorum poſteri præſentis huius fauſtiſſimi connubii occaſione haud imparis lætitiæ maiora pro-

dere non deſinant argumenta: Quem vero Fortunatum de ſingulari optimæ reginæ in pauperes ſtudio concinere pergentem non audire delectet?

Idem ibid.

Regnabat placido componens tramite vitam,
Pauperibus tribuens aduena mater erat:
Quoque magis poſſit regno ſupereſſe perenni,
Catholicæ fidei conciliata placet:
O dolor inſignis quid differs tempora fletus,
Lugubreſque vices plura loquendo taces?
Improba ſors hominum! improuiſo condita lapſu
Tot bona tam ſubito ſorte volante voras.

Poſt eius obitum Deum tam inſignem eius pietatem non ſolum ingratæ obliuionis in puluere ac ſordibus non iacere, ſed claræ ipſam virtutis inſignibus cõmendari poſteris voluiſſe teſtis eſt Gregorius Turonenſis; Lychnus enim qui fune ſuſpenſo coram eius ſepulchro ardebat, nullo tangente, fune diſrupto in pauimentum corruens, nec omnino contritus eſt, ac ſi in molle cecidiſſet elementum; quod in ſuo de eius memoria panegyrico non omiſit idem Fortunatus, ipſiuſque animam ad Sanctorum ſedes euectam ex eodem arguit miraculo:

Greg. Turo. hiſt. Franc. l. 41. c. 28.

Venant. Fort. ibid.

Ducitur, ornatur, deponitur, vndique fletur,
Conditur & tumulo ſic peregrina ſuo:
Naſcitur, & ſubitò rerum mirabile ſignum,
Dum pendens lychnus lucet in obſequium:
Decidit in lapidem, nec vergit, & integer arſit:
Nec vitrum ſaxis, nec perit ignis aquis.
Tot lachrymas ſtillaſſe fas eſt; ſed ab imbre vaporis
Non releuanda ſitim gutta miniſtrat opem:
Affectus ſi forte poteſt miteſcere, dicam
Non ea flenda iacet, quæ loca læta tenet:

Et poſt nonnulla:

Credite Chriſticolæ vitam quia credidit illam,
Non hanc flere decet, quam paradiſus habet:

Concludere hic libet cum Baronio, quod ad noſtrum maxime facit inſtitutum: [a] *Hoc lucrata fuit Hiſpana virgo, vt ex Ariana, in Gallia catholica redderetur, ac plane ſancta moribus*

a. Baron. an. 567. n.

moribus efficeretur: Atque vitam Hispana hæc princeps diu superstes fuisset, maiori proculdubio Gallos beneficentia fouisset, virtutumue suarum splendoribus ad pietatis studium inflammasset, quod sane à Sanctissimis ipsius moribus, fideique promouendæ zelo euenturum haud dubie colligitur.

Huc vsque quantum satis Hispanarum puellarum in Gallias aduentum, singulaque earum gesta rerum vicissitudine distincta contemplati sumus, modo non imparem Galliæ vicem Hispanis redditam, cum gemina altera Francorum regum proles Leouigildi regis filiis nuptura in Hispaniam directa fuerit, haud absimili merito admiratione prosequemur: Ingundem referunt authores Sigeberti Francorum regis ac Brunichildis filiam magnifico apparatu directam in Hispanias, vt Hermenegildo in vxorem traderetur: Venantius Fortunatus ea tempestate Pictonum Præsul, Frontinianus seu Fronimius Agathensis, qui saluberrimis Ingundem monitis iuuit, ne cum hæreticis victura à fide desciscceret, Beltrauius Burdegalensis, Saluius quoque Albigensis sanctitate conspicuus, & Gregorius ipse Turonẽsis (si M. Maximo Cæsarauguſtæ tunc agẽti & hoc ipsum attestanti fidem adhibere volumus) [b] clarissimi omnes Episcopi Ingundem in itinere solemni pompa comitati sunt: Gosuintha auia recens appulsam neptem carissimo Hermenegildo desponsatam cum ingenti gaudio primum excepit; verum inquieta mulier, vt pote Arianum intus in corde venenum fouens, non diu passa est eamdem neptem Catholici dogmatis puritatem profiteri: Ingundis tamen sinceræ fidei zelo ardens, plures inter contumelias, dira inter verba, cruentas etiam plagas constantissime reluctans, medios inter fluctus veluti rupes immota permansit, nec vnquam vel tantillum à recto fidei tramite deflexit; quin imo cum Leouigildus ipsi filioq; Hermenegildo ciuitatem quandam, in qua residerent, vltro tradidisset, Ingundis virum suum saluberrimis quibus potuit hortationibus inducere cœpit, quo abdicata Arianorũ hæresi, se totum catholicæ fidei manciparet [c] *quod ille*, pergit

citca annum 508.

[b] Greg. Tur. hist. Franc. l. 5. c. 39.

[c] Idem loco citat.

Gregorius, *diu refutans, tandem commotus ad eius prædicationem, conuerſus eſt ad legem catholicam*: cui conſentit Paulus diaconus [a]: *Childebertus Rex*, inquit, *Ingundem ſororem ſuam Hermenegildo Leouigildi Hiſpanorum regis filio in coniugium tradiderat: qui Hermenegildus prædicatione Leandri Epiſcopi Hiſpalenſis, atque adhortatione ſuæ coniugis ab Ariana hæreſi, qua pater ſuus languebat, ad catholicam fidem conuerſus fuerat:*

[a] lib. 3. de geſtis Longobard.

Quàm bene huic loco conuenit Apoſtolicum illud placitum! *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem*: Enimvero Arianæ principes in Gallias dimiſſæ, Regum coniuges deſtinatæ, ipſiſque ſolemni nuptiarum thalamo iunctæ, per viros ſuos Catholicæ fidei apprime addictos, in fide, vti dictum eſt, ſanctificatæ fuerunt; vir autem infidelis, nempe Hermegildus per mulierem fidelem adeo ſanctificari meruit, vt vix eiurato Ariani dogmatis errore, pro Catholicæ religionis propugnanda veritate proprio ſanguine cruentari, vitamque fœliciter profundere non dubitarit: Quare cum iam Magni Gregorij prolata in Brunichildis laudem encomia exultantibus animis audiuerimus, quid ni etiam longe maiori mentis alacritate eiuſdem ſanctiſſimi Pontificis præconia in fœliciſſimum totoque orbe celeberrimum Hermenegildi Martyris triumphum, ac fortunatam Hiſpaniæ regnis Reccaredi ipſius fratris conuerſionem decantata, opportunamque ipſius ad æternam Ingundis eximiæ pietatis, feruentiſque in dilatanda fide ſtudij commendationem exaratam panegyrim beneuolis quoque auribus excipiamus? Si reſponſum illud ab Hermenegildo parenti datum, [b] *Nunquam ſe veram fidem poſſe relinquere, quam ſemel agnouiſſet*, merito à Gregorio commendatur; mox ego ad Ingundem conuerſus, non incongrue, vt opinor, iiſdem quibus Eccleſia B. Cæciliam prædicat verbis compellabo, Seminatrix caſti Heroina conſilij ſuſcipe ſeminum fructus, quos in viro tuo ſeminaſti: [c] *Magnum Dei Conſilium* (hic magnus exclamat merito Annaliſta) *dum quæ ſunt infirma mundi eligit, vt confundat fortia, cum ſcilicet robuſtiſſimas eaſdemque indomitas gentes ſiue Chriſtiano ſiue catholico nomini infenſi*

1 Corinth. 7. 14.

[b] lib. 3. Dialog. cap. 31.

[c] Baron. an. 591. n. 42.

fensissimas, Francos, Gothos, & Longobardos, auitis abdicatis erroribus per fœminas ipse Deus conuerterit ad verum religionis cultum, Franci enim per Crotildem, Gothi in Hispania per Ingundem, quæ virum suum conuertit Hermenegildum, ex quo omnium facta est accessio Gothorum ad fidem Catholicam, & in Italia Longobardi per Theodolindam, decus & ornamentum Bauaria principum fidem Christianam, eandemque catholicam perceperunt: Rursus si eleganti stylo inuictam Hermenegildi constantiam depingere Gregorius prosequitur in hunc modum: [a] *Cœpit itaque idem Hermenegildus rex iuuenis terrenum regnum despicere, & forti desiderio cæleste quærens in ciliciis vinculatus iacere, omnipotenti Deo ad confortandum se preces effundere, tantoque sublimius gloriam transeuntis mundi despicere, quanto & religatus agnouerat nil fuisse quod potuerit auferri*: retortis ego, in te, ô generosa Ingundis, deuotæ mentis oculis altissimum istum Hermenegildi de terreno regij fastigij puluere vsque ad superos volatum suauissimo prædicationis tuæ flatui adscribere non verebor, quæ saniori prorsus consilio subtile illud eruditi cuiusdam doctoris monitum expleuisti: [b] *Hoc debet esse viro mulier, quod ala auis*: cum videlicet ad apprehendenda Catholicæ religionis instituta iteratis doctrinæ sanioris adhortationibus sacras quodammodo alas ei subministrare non destitisti; nam, vt ait Ambrosius, *spiritus vnicuique fidelium per fidem alas dedit, quibus veluti auis disceret euolare à terris.*

[a] S. Greg. ibid.

[b] Oleaster in c. 22. Deuter.

Neque vero fœliciſſimum duntaxat Hermenegildi in fidei ac pietatis cultu prouentum, glorioſam inſuper eiuſdem martyrij palmam continuis Gallicæ ipſius coniugis precibus, ſanctiſque monitis excultam nobis admirari ſufficiat, fauſtiſſimus quoque Reccaredi ad Catholicæ vexilla fidei tranſitus amantiſſimæ ſororis zelo mihi adſcribendus quodammodo videtur; quamobrem ſi de Reccaredo [c] Gregorius dilucido prædicauit panegyrico: *Non patrem perfidum, ſed fratrem martyrem ſequens ab Arianæ hæreſeos prauitate conuerſus eſt, totam quoque Vuiſigothorum gentem ita ad veram perduxit fidem, vt nullum in ſuo regno militare permitteret, qui regni Dei hoſtis exiſtere per hæreticam prauitatem non timeret.*

[c] S. Gregor. loco cit.

meret. Nec mirum quod veræ fidei prædicator factus est, qui frater est Martyris, cuius hunc quoque merita adiuuant, vt ad omnipotentis Dei præmium tam multos reducat: Te ô Ingundis, confestim intuitus, tantorum vtique altricem bonorum appellare non desinam, siquidem mirus ille in fratre ad fidem coniugis tui meritis conuerso religionis ardor, à saluberrimis, quibus dulcissimum catholici dogmatis lac Hermenegildi pectori instillasti, monitis primam traxere originem: quare immensos ex hinc in Iberos Catholicæ religionis prouentus deriuatos, summam Ecclesiæ felicitatem, institutos sub Reccaredo Patrum conuentus, necnon alia infinita ad fidei bonorumque morum prouectionem commoda ab Ingunde tanquam à fonte primùm emanata, Hispanicamque præterea gentem Francis si non de suæ fidei primordiis, de sua saltem renouatione penitus obstrictam iure quidem optimo profitemur; glorioſissimum denique Catholici titulum Reccaredo in Concilio Toletano III. vnanimi Patrum acclamatione donatum, inque hæredes dignissimam veluti Monarchiæ illius tesseram transfusum à prima Catholicæ huius Heroinæ radice pullulantẽ veneror, cũ ipsa Ecclesiæ pepererit Hermenegildum, cuius vestigia Reccaredus frater sequutus, eiusque meritis fretus insignibus catholicæ fidei militiæ nomen dare gestiit, totamque Vuisigothorum gentem supremum æterni Patris consubstantiali Filio latriæ cultum exhibere adegit, Episcopis ita in Concilio attestantibus: *Cui à Deo æternum meritum, nisi vero catholico Reccaredo regi? cui à Deo æterna corona, nisi vero orthodoxo Reccaredo regi? cui præsens gloria & æterna nisi vero amatori Dei Reccaredo regi?* &c. Quomodo autem Ingundis in Africa velut exul decesserit, iam supra meminimus.

Quid de Rigunde Chilperici ac Fredegundis illustri propagine dicam? huius Reccaredo vxoris promissæ in Hispanias profectio ob teneræ ætatis imbecillitatem per aliquot annos dilata fuit: hanc ob causam reuersis iterum in Gallias opportuno tempore Reccaredi Legatis, *Chilpericus*, teste Gregorio (cuius verba maximam Franci in hoc instruendo nuptiarum apparatu cum Hispano rege animi propensio

penſionem, beneuolentiamque redolentia hoc loco recenſenda duximus) [a]. *Iam regreſſus Pariſios familias multas de domibus fiſcalibus auferre præcepit, & in plauſtris componi: ſeparabatur autem filius à matre, mater à filia, & cum grani gemitu ac maledictionibus diſcedebant; tantuſque planctus in vrbe Pariſiaca erat, vt planctui compararetur Ægypti: Multi vero meliores natu qui vi compellebantur abire, teſtamenta condidere:* [Iſti nimirum ſolemniſſima pompa Reginam comitari in Hiſpanias à Chilperico cogebãtur.] *Interea Legati Regis Childeberti Pariſios aduenerunt conteſtantes Chilperico Regi, vt nihil de ciuitatibus, quas de regno patris ſui tenebat, auferret, aut de theſauris eius in aliquo filiam muneraret: promittens autẽ Chilpericus Rex nihil de his contingere, conuocatis melioribus Francis reliquiſque fidelibus nuptias celebrauit filiæ ſuæ, traditaque Legatis Gothorũ magnos ei theſauros dedit: ſed & mater eius immenſum pondus auri, argentique, ac veſtimentorum protulit, ita vt videns hæc Rex nihil ſibi remanſiſſe putaret; quem cernẽs Regina commotum conuerſa ad Francos ita ait: Ne putetis quicquam hic de theſauris anteriorum regum haberi; omnia enim quæ cernitis de mea proprietate oblata ſunt, quia mihi glorioſiſimus Rex multa largitus eſt, & ego nonnulla de proprio congregaui labore, & de domibus conceſſis tam de fructibus quã de tributis plurima reparaui: tanta fuit multitudo rerum, vt aurũ argentumque & reliqua ornamẽta quinquaginta plauſtra leuarent: Franci vero multa munera obtulerunt*, &c. Cum autem Rigunthis Toloſæ aliquãtulum morata eſſet, audita patris morte in Franciam repedare decreuit, quo tempore theſauris ſpoliata eſt, quorum etiam leuem antea in itinere iacturam paſſa fuerat, cum à prædonum manu illos intactos eximere nequaquam potuiſſet:

[a] lib. 6. c. 40.

Interim plurima ſeſe hic nobis offerunt ad noſtrum expendenda inſtitutum: Annon tantus Chilperici apparatus in dirigẽda verſus Hiſpanias filia cum Reccaredo nuptura, tam illuſtris procerum comitatus, atque è paterno ſolo abſceſſus, ipſis licet, eorumque parentibus valde infenſus, tanta auri argentique moles dotis loco ei collata, quæ Childeberti animo nedum admirationem, imo grauem mouit ſuſpicionem, ne talia tantaque dona à Francis conciuibus conferenda

Hiſpa-

Hiſpanis diſtraherentur, Gallis principibus cum Hiſpanorum regibus affinitate iungi omnino gratiſſimum fore, ſummique gaudij de huiuſmodi nuptiis parti euidentiſſima ſunt argumenta? Annon donaria quæ Fredegundis ad filiæ Ringunthis decus ſplendoremque propenſiſſima ei vltro obtulerat, ingens auri pondus, necnon regius veſtimentorum ornatus, cæteraque ditiſſima munera eidem profuſa manu præſtita, ita vt ſe Rex ipſe theſauris omnino ſpoliatum formidaret, incredibilem ipſius animi, qua hocce connubio perfundebatur voluptatem, ac ſummam Hiſpanorum Regum exiſtimationem, quibus nuptura proles tradebatur clariſſime oſtentant? Annon Franci denique ipſi pretioſa Ringunthi dona offerendo, inculcatam ſuperius à nobis hanc ſibi ingenitam cum Hiſpanis ſuorum coniunctionem animorum manifeſte teſtantur? potentiſsimam igitur hanc Heroinam tot Galliæ primatibus, totque onuſtis auro plauſtris ſtipatam ad Reccaredi regiam thorũque migrantem, non abſimilem ſponſæ dixerim, de qua in ſacro Sponſæ cœleſtis Epithalamio decantatur; *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te*: ob nuptialem videlicet gazam (vt nonnulli interpretes docto illuſtrant commentario) & ſummas diuitias, quæ offerebantur:

Cant. 1. 9. Serlogh. in Cant. 19 Veſtigar. 1

Et ſane alteri velut Salomoni nubenda Ringunthis deducebatur, nempe Reccaredo, de quo Iſidorus: *Tantam in animo benignitatem geſſit, vt in omnium mentes influeus etiam malos ad affectum ſui amoris attraheret; adeo clemens, vt populi tributa ſæpe indulgentia largitione donaret, opes ſuas in miſeris, theſauros ſuos in egenis recondens, ſciens ad hoc illi collatum regnum, vt eo ſalubriter vteretur.*

Quamuis autem variante rerum conditionem humanarum fortuna, aut, vt melius dicam, peculiari Numinis in orbe terrarum ludente prouidentia Ringunthis in Hiſpanias aduentantis apparatus quaſi in auras fumumque abierit, ipſaque audita Chilperici parentis cruenta nece poſthabitis cum Reccaredo futuris nuptiis, vt ſupra notauimus, verſa in luctum cythara, Gallias quamprimum repetierit, Reccaredus tamen vt primum Catholicæ veri-

Circa 508.

tatis

repetierit; Reccaredus tamen vt primum Catholicæ veritatis lumini oculos aperuit, conciliandæ cum Francis regibus pacis ſtudio, iniuriarum immemor, Clodoſuindam alteram Childeberti Auſtraſiæ Regis ſororem ſibi matrimonio iungi poſtulauit; conſiliorum patris in Hermenegildum ſæuientis, qua quidem inhumana parentis in filium agendi ratione Gallorum animos vehementer exacerbatos in ſe concitarat, ſeſe nequaquam participem fuiſſe demonſtrauit, certiſſimaque ingentis ſui ex fratris, atque Ingundis eius coniugis morte concepti doloris ſigna patefecit: ſed quale Childebertus Rex Hiſpanis Legatis reſpõſum dederit, ex Gregorio accipe: *Childebertus Rex cum petentibus Longobardis ſororem ſuam regi eorum eſſe coniugem acceptis muneribus promiſiſſet, aduenientibus Gothorum Legatis ipſam, eo quod gentem illam ad fidem Catholicam conuerſam fuiſſe cognoſceret, repromiſerit:* Hic paululum ſiſte gradum, Lector, atq; vna mecum expende quomodo Reccaredus Hiſpanorum Rex Ringunthis iampridem in ſponſam promiſſæ, atque in Gallias reuerſæ infenſi regiæ dignitati contemptus, pluriumque, quas, vt ait Mariana, à Francis acceperat, iniuriarum velut immemor, haud ſemel, victor licet, pro pace ac vxore impetranda Legatos ad Reges Francorum direxerit, vnde arguere fas eſt eius animum tam vehementi in Gallos propenſione affectum, vt ab vno eorum rege excluſus, ad alium veluti ſupplex confugerit, non ſecus ac ſi regio ſuo ſanguine dignam, ſibique parem ex Gallia ſolum proſapia ortam vxorem futuram omnino perſuaſum haberet.

Greg. lib. 9. c. 35.

Idem Ibd.

lib. 6. c. 1.

Neque haud diſpar Galli erga Hiſpanum ſanciendæ affinitatis ſtudium minus admirandum videtur, cum regia puella, Authari Longobardo, cui pacta erat, prætermiſſo, Reccaredo à parentibus, ſæui quamuis inde belli futurum incendium præuidentibus deſtinata fuerit; horrendam mox ſecutam Francorum cladem ex Paulo Diacono audire nullus non expaueſcat: *Autherus Rex cum Longobardis non ſegniter obuiam pergit, & pro libertate fortiter confligit, ita vt Longobardi vincerent omnes: Galli autem vehementer afflicti, etſi*

l. 3. de geſtis Longobard.

multi capti, plurimi tamen per fugam elapſi vix ad patriam reuertuntur; tantaque ſtrages facta eſt de Francorum exercitu, quanta nunquam alibi commemoratur: Adeo Francorum Rex amicitiam cum Ibero, mediantibus nuptiis, inſtaurare ambiebat, vt fidem Longobardorum regi traditam violare, quod ſane velut ingens piaculum regius animus horrere ſolet, non dubitauerit: quin & belli pericula adire, opes, ſubditoſque, dirutis ciuitatibus, amittere, tot militum ſanguinem, propriumque paratus effundere, vt vnicum ſibi affinem Reccaredum compararet: Quam Chriſtianæ religioni conſonum videtur ſanæ fidei cultum cæteris omnibus commodis præferre: cum fidei hoſtibus fidem negare regium ſit, dummodo Catholici principes arctiori dilectionis ac fraternæ neceſſitudinis nexu copulentur; Nunc cætera horum regum connubia percurramus.

Alfonſum, cui præclaræ animi corporiſque dotes, famoſique de hoſtibus triumphi cognomen Magni peperere, ex Regio Francorum ſanguine vxorem ſibi iunxiſſe Amelinam, Semenæ poſtea nomine compellatam, Mariana tradit; Alterum quoque Alfonſum nomine poſt Sanctium Caſtellæ imperantem Conſtantiam ex Gallia oriundam ſibi iunxiſſe; quo ex coniugio Vrraca regni ſubinde ac fortunarum hæres prodiit, idem author enarrat: de eximio pietatis cultu ab hac Heroina mire propagato placet nonnulla recenſere; ſolemnis legatio à Rege ipſius hortatu ſummo Pontifici directa præcipua nobis animaduerſione digna videtur, *in qua*, idem inquit Mariana, *enixe ab eo poſtulabat, vt rei Eccleſiaſticæ, in quam vitio temporum ac hominum culpa depranati mores incubuerant, conſtituendæ, nouiſque inſtitutis componendæ cauſa legatus in Hiſpaniam cum ampliſſimis mandatis & poteſtate mitteretur:* quapropter miſſus à Gregorio VII. Pont. Max. Riccardus Maſſilienſis Abbas, qui anno milleſimo ſupra ſeptuageſimum ſextum Burgis in citeriore Hiſpania Concilium Epiſcoporum celebrauit, in quo *regia voluntati*, concludit auctor, *morem gerens in omni regno eius Romanum miniſterium confirmauit.*

Circa Ann. 864. l. 7. c. 17.

Anno 1074.

Lib. 9. 11.

Idem Ibid

Anno 1676.

Attende, Lector, ſcite à Mariana inſinuatum Conſtan-

tiæ

tiæ hortatu Legationem hanc ab Alfonſo ad Pontificem inſtitutam, cum videlicet Summus Pontifex Legatum Maſſilienſem Abbatem natione Gallum, vt Gallicæ Reginæ rem gratiorem faceret, ad Alfonſum direxerit: Hinc colligas velim quantum Gallica hæc Heroina roboris ad Eccleſiaſticam morum diſciplinam in Hiſpanicis oris per Apoſtolicum Legatum, Conciliique opera promotam contulerit, imo ipſam tantorum auctricem bonorum profitearis, cum illa ſacris Hiſpanorum progreſſibus adeo ſtuderet, vt optimum regem omnium prima ad decernendam verſus ſummum Pontificem hac in re Legationem interpellarit, ipſaque tota animi contentione Legatum ſimul & Epiſcopos ad clariſſimum iſtud opus pro tollenda morum ac diſciplinæ corruptela inchoatum vlterius ad felicem exitum perduxerit: huic noſtræ opinioni adſtipulantur Hiſpanicæ hiſtoriæ ſcriptores, inter quos Rodericus Toletanus addit Conſtantiam Alfonſo ſuaſiſſe Gallicanum officium, vtpote Romano affine ab vniuerſo regni clero recitari conſonum fore: lib. 6. c. 16.

Quamobrem Rex, ait, *ad inſtantiam vxoris ſuæ reginæ Conſtantiæ quæ erat de partibus Galliarum, miſit Romam ad Gregorium Papam, vt in Hiſpaniis, omiſſo Toletano, Romanum ſeu Gallicanum officium ſeruaretur*: totius rei ſeriem ac non leuem inter Hiſpaniæ populos ex illa officij Gothici in Romanum ſeu Gallicanum mutatione ortam controuerſiam, eiuſque ſolutionem pro modulo noſtro explanatam in notis Lector reperies, quam illuc, leuandi tædij gratia, conſulto remiſimus: hic quæ idem Rodericus proſequitur in medium protuliſſe ſufficiat: *Statuto die*, ſubdit ille, *Rege, Primate, Legato, cleri & populi maxima multitudine congregatis fuit diutius altercatum, clero, militia & populo fortiter reſiſtentibus ne officium mutaretur, Rege à Regina ſuaſo contrarium minis & terroribus intonante; res ad hoc militari pertinacia decernente peruenit, vt diſſenſio duelli certamine ſedaretur*: addit etiam officij Toletani & Gallicani libros in ignem coniectos, alienumque à combuſtione Toletanum ſuper flammas proſiliiſſe; Cuius rei veritatem, cum ipſius fides ſit penes authorem, tueri vereor, ea potiſſimum ductus ratione, lib. 6. c. 15. v. 11.

quod ipse Constantiam sub Vrbano II. adhuc superstitem, solumque Toletanum volumen illæsum remansisse asserat, cum tamen vtrumque librum Mariana ex incendio incolumem euasisse confirmet, quamuis ipse factum non reprobet, quemadmodum Baronius ex Epistola Gregorij VII. ad Alfonsum data huiusmodi scriptorum Hispaniæ placitum de numquam ablegato, sed miraculo comprobato officio Gothico commentitium putat: & forte hoc minus vere ab eo dictum, cum & Gothicum ordinem vere ab Alfonso abrogatum fuisse Rodericus ipse, aliique miraculi eiusdem defensores fateantur; Huc accedit, quod nonnisi post Gregorij Pont. Max. obitum, & Richardi Legati ab Hispania recessum hanc ignis iudicio controuersiam dirimendam Rex Alfonsus permisit; quare Gregorij Epistolam rei huius nondum existentis facto minime aduersari perspicuum est: Verum relictis iis quæ dubia & incerta esse nullus sani iudicij negauerit, ad certiora conuersi, Reginam Constantiam sui nominis partes egregie adimplentem, tuendæque, necnon dilatandæ per Hispanas Regiones Ecclesiæ, morumque disciplinæ constanter intentam contemplemur; cuius laudum præcones Rodericum supra citatum, cæterosque Iberos scriptores tuto sequi possumus, quippe qui Gothici ordinis in Toletana præcipue Ecclesia seruati propugnatores tenacissimi cum essent, ideo Gallicæ Reginæ Gallicanum seu Romanum Gothico ritum præferenti parum dubio procul addicti fuere: Constantia igitur huiusce rei promotioni addicta, ad felicem tandem ab ea exitum perductam haud dubie concludimus, Roderico sic attestante: *Rex adeo à Regina Constãtia fuit stimulatus, quod à proposito non discesserit, præcepitque, vt Galliarum officium in omnibus regni sui finibus seruaretur.*

lib. 9. 18.

Nec est quod commutationis huiusce gratia Hispani conquerantur, ac de Regina Gallicanum apud ipsos ritum introducere totis viribus ambiente expostulent; quid enim Galla vnquam Heroina præstare poterat, quod potioribus eos commodis cumularet, quam cum membra suo perfectius capiti coniungeret, sacrosque ritus, Gothico vsu abolito

lito, Romanis plane ordinibus conformaret? nam si Gregorio VII. in Epistola de hac re Sancio & Alfonso regibus, necnon Episcopis in eorum ditione constitutis data, fides, vti par est, adhibenda sit, hanc sane Reginam tanto fidei zelo Hispanæ Ecclesiæ splendori, optimæque morum disciplinæ studentem de illa gente optime meritam nemo vel ex Hispanis non fateatur: *Vnde enim*, scribit idem Sum. Pontif. *non dubitatis vos suscepisse religionis exordium, restat etiam vt inde recipiatis in Ecclesiastico ordine diuinum officium*: & rursus: *Vos sicut bona soboles etsi post diuturnas sciffuras, demum tamen vt matrem re vera vestram Romanam Ecclesiam recognoscatis*? Gallicæ ergo Reginæ vos plurimum obstrictos esse fateamini, cum indefesso ipsius studio matri vestræ vti in fide, ita in sacris quoque ritibus sitis adunati: Neque eamdem amplificandæ vestris in partibus fidei studiosissimam fuisse, à nobis temere dictum arbitremini: Tanto enim religionis zelo quondam exarsit, vt rege in Legionensi agro commorante, electum Toletanum Archiepiscopum nomine Bernardum incitarit, quominùs adscitis Christianis militibus maiorem Mozquitam Toletanam ingrederetur, vbi abrogato Mahometis cultu sacra altaria erigeret; quibus Reginæ consilio ac ope feliciter peractis, Rex vt hoc resciuit, nimio furore percitus, quippe qui Mozquitam ex pacto Sarracenis concesserat, protinus aduolans, Archiepiscopum vnà cum vxore Constantia demedio tollere, ignique tradere decreuit; quam impotentis animi sententiam absque mora perfeciisset, nisi Sarracenorum, populique, ac filiæ precibus retardatus fuisset: Possem hoc loco plurimorum doctrina ac pietate illustrium virorum, quos Alfonsus è Gallia in coniugis suæ gratiam accersiuit, vt Ecclesiis, Monasteriis, Academiisue in Hispania præessent, catalogum recensere, sed hæc opportuniori loco fusius; Hic aduertere sufficiat in Hispano regno, cuius ea tempestate summo Alfonsus dominio potiebatur, Gallicæ Matronæ, aliorumque Francorum administrationi summam rerum concreditam, ex quibus Ecclesiasticæ disciplinæ vigor, fidei cultus, ac scientiarum thesauri,

l. 1. Epist. 64.

Roderic. Toletl. 6. c. 25.

tanquam ex fonte ditiſſimo promanare videbantur.

Nimium forſan in Hiſpaniis morati ſumus, ſed nos immenſus nobiliſſimæ Principis è Gallia progenitæ, publicæque Iberorum fœlicitati cœlitus deſtinatæ virtutum ſplendor in admirationem raptos detinuit: En iam clariſſimus Hiſpanicæ ſtirpis ſurculus haud imparibus pietatis prudentiæque floribus vndique vireſcens, regia puella Gallici moderatrix imperij nobis ſpectanda proponitur: hæc Blanca
Anno 1200. nimirum Alfonſi Caſtellæ regis filia Ludouico VIII. Francorum Regi nupta, digniſſima S. Ludouici mater: Philippus Francorum & Ioannes Angliæ reges poſt iterata colloquia pacem inter ſe pepigere, conuentumque eſt, vt captæ à Francis paulo ante vrbes ipſorum ditioni relinquerentur, ea tamen lege, vt Blanca Alfonſi Caſtellæ regis filia Ludouico Philippi Galliæ Regis filio nuberet, nulla alia pacta dote: *ea*
lib. 11. c. 11. *ſcilicet*, inquit Mariana, *honeſtatis ſpecies obtendebatur, quod Ioannis ſorore genita eſſet.* Huius pietatis optime gnarus Sum.
Anno 1224. Pontif. Honorius III. ad eam litteras dedit, quibus etiam atque etiam hortatur, vt virum ſuum ad ſubmittenda Conſtantinopolitano Imperio auxilia quantocyùs prouocet; quod in maximam Gallorum gloriam cedere videtur, cum
[a] Ita Razzius in hortulo exempl. de B.V. exemplo 16. Poyreus intriplici corona B.V. tract. 3. c. 60 §. 1. n. 5 appendix ad magn. ſpec. exempl. litt. Roſariũ Virg exempl. 115. Fernãdus de Caſtillo in Hiſt. Prædic. 1. p. lib. 2. c. 7 Arturus à Monaſt. in martyrol. Franciſc. fol. 366. 1. & alij.
Idem Pontifex Imperium illud ſine ipſius ac Gallorum dedecore amitti non poſſe affirmarit, quod quidem florẽti patris eius ætate tanta gloria nominiſque fama partũ extitiſſet: Sed ne collata ab Hiſpana principe in Gallos beneficia foris emendicare videamur, ſatis, vt opinor, ſuperque erit vnicum ipſis regem S. Ludouicum peperiſſe; ad cuius partum toto orbi ſalutarem, Hiſpanum etiam virum ſanctitatis ſplendore illuſtrem S. Dominicum conſilio ac precibus concurriſſe ex eius vita colligitur: [a] Enimvero cum Blanca prole careret, ſanctum virum adiit, vt ſuis precibus à Deo impetraret, quominus etiam Regis mater effici mereretur: Ille inter cætera pietatis officia, vt Roſarium deuote Virginis Matris honori exolueret, perſuaſit; quæ ſancti viri monitis acquieſcens breui filium peperit cæteris Galliæ regibus eximiæ ſanctitatis laude ſuperiorem: Cæterum quamuis regis mater diceretur, niſi filium ſanctis imbuendo moribus Chriſto

sto peperisset, Reginæ ac matris titulo minime adhuc sese cohonestatam arbitrabatur; *Ipsa enim*, vt Gregorius magnus de S. Felicitate asserit, *in mundi, carnisque persecutionis labore deprehensa, filij cor in amore supernæ patriæ prædicando roborauit spiritu, quem carne pepererat, vt prædicatione pareret Deo, quem carne pepererat mundo:* Vnde saniori prorsus consilio, quam Græcus ille qui filium, à quo ipse coronam acceperat, sic alloquebatur: vtinam tu & decentior nobis, & glorioſior corona fias, cum parentum votis, vt te decet, satisfeceris; illa, inquam, famosas istas, atque æternæ posterorum memoriæ perenni sculpendas marmore voces Ludouico filio in tenera ætate degenti identidem inculcabat: *Mallem te fili, regio diademate, simul & lucis vsura priuatum, quam lethali aliquo crimine fœdatum cernere:* ex qua optimæ parentis educatione Ludouicus ad tantum virtutis culmen peruenit, vt tanquam absolutum Christianæ pietatis exemplar vniuersus ipsum orbis suspexerit, nec quantum Gallicæ non modo genti, sed & remotissimarum nationum populis eminentissimæ pietatis, diuinæque sapientiæ, quibus tota ipsius vita refulsit, radiis profecerit, vllus omnino nedum sermone assequi, sed nec tota mente complecti possit.

Gregor. Th Ruang. l. 1. hom. 3.

Quanta igitur, ô Galli, hæc Reginarum decus digna apud vos æstimatione censenda est, Ambrosio vobis acclamante, *Vnumquemque in filiis suis æstimari*; cum tot & tanta ab eius filio in vos emanasse commoda publice profiteamini, vos etiam Hispanæ huic proli Reginæ vestræ, duplici Ludouici matris titulo digniſſimæ multiplici ratione obstrictos esse fateamini; eius enim precibus, maternæque sollicitudini, sanctissimo Regi in præsenti aliquando mortis discrimine constituto restituta salus, vitaque potissimùm ascribenda videtur; cui Vvestmonasterienſis suffragatur, qui hæc Reginæ sacra crucis Christi ac spineæ coronæ pignora exanimi filio admouentis verba refert: *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam, salua hodie regnum Franciæ, & coronam quam hactenus gloria tua sustinuisti; monstra virtutem horum insignium, quæ in terra post te reliquisti, in magno iudicio apparitura, in quibus confidentes gloriamur: Mira res,* subiicit author,

cit. in Gloss. Eccl. 11.

Flores hist. Anno 1244.

author, *Rex ſtatim oſcitans, tibias & brachia ad ſe trahens, habitus faciens & ſuſpirans, ſe ſigno crucis ſignari poſtulauit, vouens ſe in terram ſanctam aditurum:* Nunc cætera, quæ maximum Gallico nomini ſplendorem conciliant, ab hac Hiſpana Heroina præclare geſta percurramus: Hæc mulierem virtutibus quodammodo ſexum ſupergreſſa, Innocentio IV. Friderici Imperatoris crudeliſſimis vexationibus fatigato
Anno 1247. promptiſſimas exercitus ſuppetias obtulit, quem mira celeritate præparatum viæ ſeſe confeſtim dare, Alpeſque ſuperare imperauit: ad quam Innocentius teſtes grati in eam animi litteras conſcripſit, in quibus poſt quædam præfata ſic
l. 4. Epiſt. 125 loquitur: *Tu inflammata igne ſancti Spiritus de regio corde protuliſti, quod teipſam velles cum exercitu ad iter accingere, vt poſſes Eccleſiæ ſubuenire:* & poſt alia: *ſuam ſerenitatem quæ poſſumus affectione rogamus, in remiſſionem peccaminum iniungentes, quatenus infuſum tibi & eiſdem filiis à Deo propoſitum deducens iugiter in augmentum ad hoc pro diuini honoris nomine firma & ſtabilis habearis, vt ſic reſurgere poſſit Eccleſia, verecundo manente perſequutore ipſius Eccleſiæ, dum mente confuſus aduerterit quod aula regni Franciæ quæ virtutibus ſemper emicuit, ad hoc robur conuerterit ſuæ potentiæ, vt per eam fides, quam ille ſuffocare nititur, in ſtatu decoris & gloriæ conſeruetur.*

Hinc expendatis, obſecro, Galli proceres, antiquum veſtrum in propaganda Romanorum Pontificum auctoritate, ac tuendis Eccleſiæ iuribus numquam tepeſcens ſtudium ab Hiſpana modo Regina vehementius inflammatum, ex quo magna veſtro apud homines nomini fama, ac ſummum gloriæ præmium vobis apud ſuperos prouenit: Nec imparem Blanca eumdem erga Pontificem redi-
Anno 1251. tum in Italiam meditantem, beneuolentiæ ardorem demonſtrauit: miſſo enim ad eum Oratore, regni vires, tunc temporis Ludouico rege in Syria agente, ipſi ac Cardinalibus obtulit, quarum ope contuſis perduellium iniquis conatibus Romanæ ſuæ ſedi reſtitueretur: Placet hic nonnulla ex litteris referre, quas Innocentius Blancæ reſcripſit, in quibus poſt commendatum illius erga ſedem Apoſtolicam ſtudium ſic proſequitur: *Verum inter cætera certitud*

titudinis documenta, quibus nobis se hactenus prodidit tua puritas, tuus ardor, tunc experimentum charitatis non ambigue obiecisti, mittens ad præsentiam nostram nuntium fidelem, prouidum, & prudentem, per quem te ac regnum tuum munificentia pietatis in Deum, eiusque Sponsam orthodoxam Ecclesiam exuberans inter alia regna mundi, nostris & Fratrum nostrorum beneplacitis obtulisti, &c. Et post pauca: *Nec mirum si hæc tibi suggerit fœcunda innatæ deuotionis benignitas, cuius fontem exuberantiæ multiplicitas non exhausit: in te quidem ab illustrissimis & Christianissimis traducta parentibus, deinde & in serenissimo reperta consorte, ac demum per tuæ institutionis documenta salubria in diuitem sobolem propagata; vt iam inuiolabilis Christianæ religionis sanctitas, & fidei orthodoxæ sinceritas tuis de cætero posteris de throno tuo videatur quasi hereditaria prouenire, &c.* Quod igitur Blanca totius regni vires Pontifici ac Cardinalium Collegio, contra Romanæ Sedis hostes vltro obtulerit, quod & ipsa filij ac subditorum animis germanæ fidei amorem, Sedisque Apostolicæ defensionem continuis monitis instillarit, quis neget ea semper clarissima fore argumenta, quibus Gallica gens de antiqua sua erga Romanum Pontificem, ac tuenda Ecclesiæ iura propensione nunc Hispanæ Heroinæ studio renouata magis in dies glorietur: Verum ex sequentibus Innocentij verbis, quantum ipsa publicæ studuerit incolumitati clarius patebit: Eam vero hortatur, ne sui inuisendi gratia Lugdunum petat, vti ipsa iam animo destinarat: *Cum vero*, ait, *multorum salus de tua vita dependeat, seruanda est, & procuranda omni studio tanquam publica tua salus; eam quidem fructuosam esse cognouimus tui regni profectibus, robori fidei, ac munimini Ecclesiasticæ libertatis, quæ gaudet sub tuo præcipue se fauore florere*: Magnifico huic Pontificis elogio luculentam bonorum congeriem in Gallos ab Hispana principe diffusam exprimenti velle aliquid addere, demi potius, atque rudis illud sermonis tenebris obscurari nemo non videat; quare cætera eximiæ pietatis monumenta in Galliis à Blanca edita prosequamur. Idem Ib.

Enituit imprimis aduersus Albigenses eius fidei ardor,

Anno 1234. illustrisue pietas, ad quos penitus abigendos strenuam nauauit operam; Quam ob causam Gregorius IX. Pont. Max. per literas eam hortatus est, vt Regem filium suis egregiis rationum ac precum stimulis ad delendas funditus in Galliis grassantes Albigensium reliquias quouis modo incitaret: quid plura? amplissimis licet Gallicanarum prouinciarum sed angustioribus tanti zeli mirandæ actiuitati finibus, septisue semper ardens ipsius inuicti pectoris charitas contineri nequaquam potuit; excessit profecto, euasit, erupitque feruidi illius incendii flamma remotas ad vsque Orientis partes: Cum enim S. Ludouicus Apostolico diuini Pneumatis spiritu afflatus, calamitosam Christianorum infami Agarenorum seruitutis iugo oppressorum sortem miseratus, auxiliaribus copiis septus in Syriam transfretare parasset, si quo modo periclitanti Romanæ illic fidei suppetias ferret, peculiarem Blanca piissima veluti mater commeatus, aliorumque subsidiorum, quæ Crucesignatis mittebantur, curam gessit, omnique studio, totisque tum animi tum corporis viribus ad glorioſum adeo opus feliciter explendum desudauit: dicam amplius; posthabitis materni amoris legibus (ô diuine amor vere nutriris excessibus! & quid tale à sæculo auditum) Blanca mater carissimum filium Ludouicum regni columen, pauperum patrem, regiorum dissidiorum arbitrum, fidei propugnaculum, suorum lumen oculorum, viscera denique sua sibi à te, ô amor, auelli patitur! parum dixi; eumdem regni delitias fastidientem, periculosique itineris terra marique subeundi difficultates solo diuinæ gloriæ fratrumque salutis intuitu genoroso animo deuorantem ad portum vsque prosequitur; eumque perfidose mari committere, præsentissimum scilicet vitæ discrimen ab vnico filio adiri siccis oculis permittit: *nemo tamen ex vobis* (vt Gregorius eodem quo supra loco monere pergit) *existimet quod eius cor properante ad mortem filio, etiam carnalis affectus minime pulsarit, neque enim filium, quem carem suam esse nouerat, sine dolore poterat truculentæ mortis periculo obnoxium videre, sed erat vis amoris interior,*

S. Dionys. de diu. nom c. 4

rior, quæ dolorem vinceret carnis; nam si viuo incarnatæ veritatis oraculo *maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis*, quis Blancæ reginæ amorem capere possit, quo filium suum, sed qualem proh superi! filium, nempe cor suum, animamque suam, filii denique vitam tot tantisque populis carissimam, regnique totius fœlicitatem asperrimis irati maris tempestatibus, belluino Saracenorum furori, horrendo denique miseriarum omnium Cataclysmo, Dirisque quodammodo deuouere non dubitauit: O matrem tanto filio digniſſimam! ô filium tanta matre nedum degenerem, imo fraternæ charitatis amore multis partibus superiorem? vicit vicit prostratis carne & sanguine diuinus amor, atque hæc gemina matris filiique vere aurea corda mutuo amoris glutino inter se vnita, licet corpore disiungerentur, in vnum tamen dilatandæ diuini nominis gloriæ propositum coalescere voluit, quo diuinæ consortes naturæ, Diique per cœlestem charitatis metamorphosin effecti, toto iam orbe inferiori superiores, ac terrena super omnia euecti, in ipso diuinitatis pelago felicissime mergerentur!

Cæterum inter eximias quibus Blanca prælucebat animi dotes, politica imprimis, summaq; emicuit in administrando regno prudentia; vnde quod de sua sorore Trasimundo regi in vxorem data Theodoricus prædicabat, nostræ Heroinæ omnino congruere videtur: *Fœminam prudentiæ vestræ parem, quæ non tam reuerenda regno, quantum mirabilis posset esse consilio*: Et certe sublato è viuis carissimo coniuge, cum Ludouicus filius duodennis duntaxat in puppi sedere, nauisque regni clauum tenere non posset, ipsa tanto oneri ferendo nequaquam impar, regni gubernaculum apprehendit, ipso proceres initio tumultuantes prudenti solertia compescuit, rebelliumque conatus instructa acie retudit, ac deinceps toto quinquennio, quo Ludouicus in Syria hæsit malis formidantibus, bonis vero applaudentibus, immensam negotiorum molem sustinuit, regnumque singulari prudentia necnon optata cum quiete gubernauit; cuius in hac re potissimum egregia laudum encomia

Cassiod. l. 5. variar. 43.

In vita S. Ludouici c. 4.

comia Gaufridus è Bello loco ita delibauit: *solerti prouidentia matris eius, quæ tota virago semper exstitit, & fœminæ cogitationi ac sexui, masculinum animum iugiter inferebat, perturbatores regni semper confusi succubuerunt*: Quid ergo mirum si tot elogiorum præconiis, tantisque virtutum titulis hanc probi authores reginam extulerint [a]; vere acclamatur mulier sapiens ac prudens, dilecta Domini, Deo amabilis, hominibus vtilis & accepta, raræ prudentiæ fœmina, optima admodum & pia regina, qua mediante omnia fausta fœliciaque Galliarum regno obuenerunt, splendidissimum Europæ iubar, Franciæ paradoxum, vera regiarum Didascala sobolum, vitæ Christianæ exemplar, cunctarum speculum virtutum, personarum fidelium amor, terrorque perfidorum, Ecclesiæ Turrix, nobilium sustentaculum, mitissima ciuium Domina, pauperum nutrix, omniumque salus & solatium: Nec probati desunt authores, qui ipsam raræ sanctitatis fœminam fuisse, omninoque Sanctam extitisse, ac miraculis claruisse testentur [b]:

[a] Gaufridus de dello loco, & Ionuillæus in vita S. Ludouici IX. Reg. Franc. Massonius, Æmil; Gillius, Nang. Tillius, Bel forest. Charonus, P. Matth & alij in eod. rege: San-Marth. in hist. Genealog. domus Franc. S. Antonin. p. 3. Chron tit. 19. § 6. & c. 9. Vvadingh. t. 2. Annal. min. ad annum Christi 1251. § 1.

[b] Io. de Colom. in mart hist. Didac. de Valer. in hist. Gall. Marian. l. 2. c. 20. de Bustis in Rosario quadragesim. p. 2. serm. 27. Saussay in Append ad Martyrol Gall.

Et hæc ad illustranda illustrissimæ Hispanico genere ortæ principis erga vos, ô Galli, merita sufficiant, quæ ex Ibero fonte promanata, nouum fidei cultum, immensa sinceræ pietatis fœnora, perennem Ecclesiæ regnique fœlicitatem, innumèra tandem per Gallicanas prouincias in diuinis humanisque rebus commoda numquam non effudere: Ecquas satis vnquam dignas æterno numini grates referre valeatis, cuius singulari in vos beneficio mulier fortis inuenta est, cuius & de vltimis Hispaniæ finibus pretium vestris commodis destinatum, quasi genuinus aquarum viuentium riuus in agros vestros exundauit; Est profecto, cur Hispanis gratulemini, qui nectendæ vobiscum arctioris necessitudinis gratia, puellam de suo sanguine sui temporis decus, orbisque miraculum libenti animo regibus vestris & vxorem & matrem consecrarunt, ex cuius sanctissimo vtero si Ludouicus IX. regum Gallorum decus & ornamentum prodiit, si tanto rege, tantoque sanctitatis prodigio gloriamini, vos sine dubio conuenit, post Deum, immortales Iberis referre gratias, à quibus nunquam satis digne

æstiman

æstimandus & matris, & per matrem filij thesaurus in vos deriuauit:

Vos vero macti iam animo estote ô Iberi, si quidem post diuturna prœliorum ac discordiarum nubila, tamdiu desideratæ pacis ridens vobis & nobis phœbus illuxit, viuit adhuc, mihi credite, & viuet æternum in Blanciana Regum nostrorum progenie S. Ludouici matris memoria, quam sancito nuper Gallos inter & Hispanos nouo fœdere solemnibus regij connubij cæremoniis stabilitam Christianus orbis vniuersus regiæ vtrique maiestati nobilissimis D. Blancæ surculis in perpetuum duraturam gratulatur:

Nec est quod hic prætermittamus S. Ludouicum ineundam cum Iacobo Aragonum rege affinitatem respuisse, nonnisi quod Pontificia ipse monita flocci faceret; istud ex Vrbani IV. Pont. Max. litteris ad Ludouicum datis audire placet, quibus Pontifex summis Christianissimo dignum principe factum laudibus extollit, propensamque eius in Apostolicam sedem voluntatem commendat: vbi post nonnulla sic loquitur: *Retulit namque*, id est nuntius, *quod licet ad prafati regni quasi partes vltimas accessisses, pro matrimonio inter dilectum filium primogenitum tuum, & dilectam in Christo filiam natam charissimi in Christo filij nostri illustris regis Aragonum contrahendo; comperto tamen quod idem rex filiam Manfredi quondam principis Tarentini, persecutoris Ecclesiæ manifesti, variisque ligati excommunicationum sententiis, vt de alijs taceamus, primogenito suo, non sine magna derogatione sui nominis, matrimonialiter copularat; omnino ab ipsius matrimonij prosecutione desistens, in spiritu deuotionis & solitæ sinceritatis abundantia, illud Deo & nobis, ob acceptum non immerito eloquium protulisti, quod nullo modo tuus animus pateretur te vel tuos alicui, qui se cuiquam inimico vel persecutori Ecclesiæ qualiscumque obligationis vinculo astrinxisset, alicuius affinitatis fœdere copulari &c. Digne itaque Petri successor & Vicarius Iesu Christi teste veritate fatetur te singulare suæ fortitudinis brachium*, &c. Hæc ad longum referre non abs re duximus, vt S. Ludouici in regno hæredes ad innatam suo-

Oderic. Raynald. anno 1262.

rum decessorum animis sedis Apostolicæ reuerentiam, necnon perpetuam cum supremo mystici Ecclesiæ corporis Capite adhæsionem magis in dies augendam inflammentur, quemadmodum sanctus Rex ab Aragoniis Pontifici infensis animi sui studia penitùs auertit, eorumque affinitatem repudiauit:

At enim vt vnde digressa est, illuc reuertatur oratio, faustissima alia eosdem inter reges inita connubia vt breuiter perstringamus; Alfonsus rex, de quo supra, tres alias defuncta Constantia legitimas sibi iunxit vxores, quarum vnam ex Gallia ortam nomine Elizabetham Mariana testatur; quin [a] & Vrracam ex Constantia filiam natu maiorem Raimundo comitis Burgundi fratri matrimonio sociauit, duasque alias filias furto à se genitas proceribus qui ex Gallia venerant, vxores dedit; Eluira Raymundo Tolosano, Therasia vero Henrico Lotharingo nupsere: quid quod Ramirus Alfonsi Aragonij regis frater monachus regia sumere coactus insignia, Agnetem Guilelmi Pictauorum & Aquitaniæ Principis filiam sumpsit in vxorem:

[a] lib. 9. c. 10.

Anno 1134.

Quid de Ludouico X. Galliæ rege Vltramarino nuncupato, cognomento Iuniori referam? quas tandem ille regiones adiit [b], vt puellam regij thori sociam sibi pararet? cum Eugenij III. Romani Pontificis auctoritate primum eius connubium cum Eleonora Guilelmi Pictonum & Aquitaniæ ducis filia initum lege propinquitatis diremptum fuisset, nunquid recta in Hispanias, missa ad Alfonsum Castellæ regem legatione, ipsius confestim filiam coniugem impetrauit?

[b] Mariana lib. 10. 15.

Placet sequentem annorum seriem reuoluere? sit ita sane, non enim longius excurremus, quo nouam ex animi sententia materiem sese vltro nobis offerentem amplectamur; vix annum Domini centesimum septuagesimum supra millesimum immotus in se mundi axis inuexerat, cum in Burgensi Concilio de Alfonsi Castellæ regis ætate maturi nuptiis actum fuit; Non deerant illa (vt ominari facile licet) tempestate in variis Christiani orbis partibus dignæ tam illustribus nuptiis puellæ; ecquas, amabo vos, His-

Anno 1170.

panum

panum Concilium tanti momenti negotio ad fœlicem exitum perducendo congregatum puellas in medium protulit? Græcas forte, Anglicas, Germanicas, Polonicas, Hungaricas, Africanas, Longobardicas, vel certe Latias? Hiſpani Proceres fœliciter adunati fœderatorum Gallorum amicitiæ nequaquam obliti, prætermiſſis quibuſlibet aliarum nationum affinitatibus perhonorificam in Gallias, petendæ ſuo regi vxoris gratia, Legationem decreuere; cuius Illuſtriſſimum Principem, Caputque eximium Toletanum Primatem Cerebrunum Raimundus Palentinus, aliique Præſules, Procereſque quamplurimi comitabantur: facili negotio rem pro qua Legati aduenerant, obtinuere, puella in Hiſpaniam directa, deducentibus non modo primatibus ab Alfonſo directis, verum etiam Burdegalenſi Præſule, aliiſque viris ex Gallia principibus ad comitandum adiunctis: Quam dilucide patuit eo rerum articulo ingenita Francos inter & Hiſpanos mutua animorum coniunctio tot nuptiis confirmata, quam proinde ſagax quiſque rerum æſtimator mirari numquam deſinet, perpetuoque duraturam feliciter auſpicabitur: Marian. l. 11. c. 11.

Ferdinandum pariter Caſtellæ Regem prætermitto, quem priori defuncta vxore, cum Ioanna Simonis Pictauienſis comitis nata, ac Ludouici Galliæ regis nepte ſolemni pompa in Hiſpaniam traducta Burgis nuptias celebraſſe auctores commemorant: *Anno* 1238. Maria l. 13. c. 1.

Omitto item fœdere Aragonum inter ac Gallorum reges ſancito, vt ſanctius ac diuturnius ab vtraque gente ſeruaretur, Iſabellam regis Aragonii filiam Philippo Galliæ regis maiori filio pactam fuiſſe, cum qua dotis nomine Carcaſſo & Biterræ, patre annuente, Gallorum ditioni ſubiectæ remanſerunt:

De magnificis Victoriæ S. Ludouici filiæ cum Ferdinandi Caſtellæ regis filio nuptiis tacere piaculum foret, cum regia vtriuſq; gentis magnificentia nuſquam forte magis ſuperioribus temporum voluminibus quam in hac publica lætitia enituerit: porro dimiſſos in Gallias ad S. Ludouicū pro impetranda Ferdinādi Caſtellæ regis filio vxore legatos narrat Maria. *Anno* 1258. Id. lb. c. 1.

Mariana; Rex vero non Blancam, sed Victoriam concessit: *Hisce nuptiis illud potissimum prouidebatur* (subiicit author) *vt Ludouicus Rex suo & filiorum nomine iure decederet, quod in Castellæ regnum obtinere credebatur Blancæ filius, quæ Henrici regis soror fuerat natu maxima: nuptiæ Burgis celebratæ apparatu post hominum memoriam maximo & celeberrimo*; Iacobus enim Aragonum rex, vnaque Petrus maior eius filius ab Alfonso inuitati; Eduardus Anglicanæ iuuentutis princeps, Granatæ Rex Alfonsus ipse, eiusque germani fratres, & filii, ac patruus Alfonsus Molinæ Regulus, necnon ex Italia, Galliaque atque Hispania plerique proceres illuc conuenere: Carolum quoque Ludouici Francorum regis fratrem, Siciliæque Dominum, vt Alfonsum Castellæ regem sibi conciliaret, Violantem eius filiam Philippo in coniugem ab eo impetrasse ex Mariana constat: verum conatus illi Aragoniis artibus elusi, & ad Campillium, vbi reges colloquuturi erant, cautum expresse fuit, ne Castellæ Rex Gallis affinitate iungeretur. Anno 1269.

Obseruandum hic nobis videtur suspectos admodum habendos esse nonnullorum principum conatus, qui Galliæ, Hispaniæque felicitati nimio inuidiæ zelo infensi, ambos reges si non animo, saltem affinitate ab inuicem distrahere quouis modo desudant: quis non videat eos quantum à publica populorum faustitate auersos, tantum proprij commodi sectatores præposteris humanæ politicæ rationibus ab hac necessitudine reges dehortari, ea potissimum intentione moti, vt cum simul iunctas amborum principum vires iure quidem merito reformident, suis rebus prouidere, vel eorumdem regum alterum, dum inter se dissident, facilius bello lacessere studeant: Quamobrem supremi populorum pastores posthabitis huius sæculi filiorum prudentiæ, quæ mortem infert, consiliis, saniissimum Theodorici placitum sequendo nequaquam aberrabunt, quo regem Clodouæum ad pacem hortabatur: [a] *Adeo inter reges affinitatis iura, diuina coalescere voluerunt, vt per eorum placabilem animum proueniat quies optata populorum*: Et paulo post; [b] *Virtus*

[a] Cassiod. l. 8. var. Epist. 4.

[b] Idem ibid.

tus vestra patria non fiat inopinata calamitas, quia grandis inuidia est Regum in causis leuibus grauis ruina populorum.

Nihil dico de Blanca Caroli secundi ex Gallorum regum prosapia oriundi Siciliæ regis filia, quæ in quodam pacis tractatu Regi Aragonum desponsata memoratur: Ad regia comitia Vallisoleti celebrata propero, in quibus, cæteris rebus ad prosperum regni statum constitutis, de regis coniugio disceptatum fuit; Alburquerquio, aliisque proceribus annitentibus reginæ matri persuasum est, vt ex Gallia Regi adhuc iuueni coniux peteretur; quem ob finem Io. Rœlius Burgensis Episcopus, & Aluarus Albornostius ciuis Conchensis in Gallias Legati, Ioannis Ducis Borbonij Regio Gallorum sanguine inclyti filiam expetituri; Blanca igitur inter cæteras quinque à Patre delecta, eique continuo sponsalia data; quæ tamen nuptiæ parum felices exstitere, rege ipso nouam sponsam (vt varia ac plurimum inconstans est humanæ voluntatis propensio) quamprimum despiciente, ac in Padilliæ amorem effuso. *Anno* 1351. Io. Marian. lib. 16. c. 17.

Venio ad Ludouicum XI. Gallorum Regem, eximia regnandi peritia, necnon singulari erga Deiparam pietate celebrem, qui cum Hispanici regni successionem ad Elizabetham Ioannis Angliæ regis filiam deuolutam pro comperto habuisset, veritus ne ipsa ab altero Angliæ seu Siciliæ rege, sibi ex publica factione infenso in vxorem duceretur, protinus Legatos destinauit, qui ipsam fratri suo Aquitaniæ Duci desponsandam postularent; huius vero Legationis Cardinalis Atrebatensis princeps fuit, qui eleganti admodum oratione antiquam Francos inter & Iberos consuetudinem, strictumque amicitiæ fœdus complectens, tantæ Principis animum, vt in Ludouici Regis ac Domini sui gratiam Aquitaniæ Duci nuberet, efficacissimis verbis mouere conatus est: hunc vero Cardinalis sermonem, vt pote nostri huiusce operis ornatui percommodum suo loco, cum de Cardinalium ad vtramque gentem Legationibus agetur, recensebimus: porro Elizabetha Legato responsum dedit, rogauitque vt se apud regem excusaret, cum penes ipsam non staret, quomi- Spondan. *Anno* 1469. Ael. Ant. Nebriss. Decad. 1. lib. 1. c. 9. *Ann.* 1471.

nus regiæ ipsius voluntati quamprimum obtemperaret; *Recordationem auitæ amicitiæ atque societatis antiquæ fuisse iucundissimam, et si quando omnium Hispaniarum potiretur, se curaturam vt idem fœdus vinculis firmioribus sanciretur:* Cum autem Ferdinando Siciliæ regi, insscio Henrico Hispaniarum rege eiusdem Elizabethæ fratre nupta fuisset, missi denuo à rege Galliarum in Hispanias Legati, vt ab Henrico Ioãnam filiam alteram Carolo fratri suo nupturam euincerent; huic Legationi idem Atrebatensis Cardinalis præfectus, eadem, qua antea, vsus est oratione;[a] *Commemorans*, ait Nebrissensis, *Gallorum atque Hispanorum regum antiquam amicitiam, sociosque Penates, ac fœdus dicebat arctiori vinculo posse connecti, si regis filia traderetur coniux Duci Aquitaniæ:* Libentissime annuit Henricus, seque daturum operam promisit, vt quamprimùm fieri posset, hæc regni hæres à cunctis regni proceribus, subditisque prouinciarum populis acclamaretur; quod vt facilius, maiorique celeritate perficeret, Butracum petiit, vbi Ioanna cum matre morabatur, ibique nulla habita iurisiurandi ratione, quo Elizabetham regni hæredem pronuntiarant, iidem principes vna cum rege, qui antea Ioannam abiurarant, eam modo Hispanico legitime Imperio succesſuram, vnanimi adhibito iurisiurandi sacramento, sanxerunt: verum mox sequuto Caroli obitu dissolutæ nuptiæ, & simul ortæ dissensiones, ac intestina bella quæ aduersus Henricum parabantur: Qua in re licet Hispani Regis furor ac vindicta, quam de sorore absque suo consensu Ferdinando Siciliæ regi nupta prosequi meditabatur, ipsius animum ad rescindenda promissa concitarint, nihilominus eum propensissimo in Gallum principem animo fuisse, cuius gratia iusiurandum violarit, designatamque alteram regni heredem ipsi in vxorem obtulerit, nemo iure inficiari possit.

[a] Decade 1. l. 2. c. 9.

Sed iam nos ad se rapiunt nostris propiora temporibus Connubia Francos inter & Hispanos celebrata; [b] Philippus II. Caroli V. Imperatoris filius Hispaniarum atque Indiarum Rex inter quatuor quas duxit vxores, tertia Elizabeth

[b] Spondan. Anno 1559.

Elizabetha Henrici II. Galliarum Regis filia natu maior extitit; cum enim acre bellum inter vtrumque regem percrebuisset, dissidia feliciter hisce nuptiis terminata euanuere, quod quidem ex supra dictis, & infra adducendis perspicuum est.

Anno siquidem reparatæ salutis sexcentesimo duodecimo supra millesimum Gallia & Hispania nouo fœdere iunctæ sunt gemini pactione coniugij, nempe Ludouici Regis Christianissimi cum Anna Maria Mauritia primogenita Philippi III. Regis Catholici, & Philippi Principis Hispaniarum cum Elizabetha Christianissimi sorore: cumque ob immaturam partium ætatem nuptiæ fuissent dilatæ, tandem Ludouicus Rex compressis aliquatenus perduellium noua semper dissidia machinantium seditionibus, ad excipiendam carissimam sponsam Annam Mariam Hispaniarum Regis filiam, deducendamque ad Philippum Principem sororem Elizabetham iter ingressus est, septembri mense anni videlicet sexcentesimi decimi quinti supra millesimum Burdigalam aduenit: Vno porro eodemque die ex condicto Dux Lermæus Regis Ludouici mandato Burgis in Capella cum Anna, Dux Guisius Philippi Principis nomine Burdegalæ cum Elizabetha publice in Ecclesia connubiales cæremonias sacrorum Antistitum ministerio adimplerunt: Inde Guisius Elizabetham ad limites regni ducens consignauit Hispanis nona die Nouembris, acceptam ab iis per manus Ducis Vsedæ Annam (quam Rex ipse Philippus eius parens vnice sibi dilectam Fonterabiam advsque in ipso fere limite sitam comitatus fuerat) Burdigalam ad Regem deduxit: Hinc qua lætitia, quibus in vtroque regno insoliti gaudij argumentis tam sibi faustas felicesque nuptias vniuersi populorum ordines prosecuti fuerint, non tam facile verbis exprimi possit; Gens enim vtraque à turbulentis veluti procellosi maris fluctibus in portum felicissime educta, *portus enim coniugium est*, teste Chrysostomo, faustissimis hisce nuptiis ad diu optatum tranquilli

Id. an. 1612.

Anno 1615.

Serm. de libello repudij.

quillitatis paciſque portum appulſa, maxima gaudij ſigna edidit, quæ apud recentiores fuſe deſcripta reperies.

Sed Philippus Hiſpaniarum Princeps inſolita præ cæteris animi lætitia geſtiens, quippe qui auitam Maiorum ſuorum cum Francis Regibus affinitatem, optatæque tandiu bonorum omnium ſuſpiriis concordiæ gaudia inſtaurata conſpiceret, tanta mentis alacritate, tamque incenſo cordis affectu deſponſatam ſibi Elizabetham excepit, vt pretioſum Gallici in ſe amoris, firmatæque pacis pignus ſummo animi ſtudio complexus, maximaque ſemper veneratione ſit proſecutus: nec immerito quidem, multa namque virtutum inſignia in tam illuſtri coniuge mirum in modum collucentia ipſius, ſubditæque gentis oculorum aciem perſtringebant; inter quæ eximia ipſius pietas Dei hominumque amorem rapiebat, cuius beneficio diuini Numinis imperio perfecte addicta, omnibus abſolutæ numeris Reginæ partes explere conabatur: Neque vero minori in ea ſplendore ex fœcundo diuini amoris fonte deriuata liberalitatis virtus effulſit, adeo vt quod de S. Elizabetha Hungariæ Regis filia ipſius vitæ auctor ſcripſit, de hac illius & nomen, & virtutum effigiem in ſe exprimente, iure merito prædicari poſſet: *Liberalitatis virtus*, inquit, *ſublimium decus, & ſingulare perſonarum nobilium ornamentum in hac regis filia quadam gratioſa prærogatiua effulſit, quam non tam regalis originis ingenuitas, quam votiua deſuper infuſæ gratiæ benignitas cordi eius impreſſerat*; Quin & proceſſu temporis conſeruandæ pacis ſtudioſa, in id vnum tota ſemper contentione incubuit, vt Heſperij regni prouinciæ benigna iucundæ tranquillitatis aura fruerentur, omneſque ciuilium diſſidiorum cauſas procul amouit, prauaſque externarum diſcordiarum origines ſi non penitùs, ſaltem quantum potuit, cariſſimum ſponſum ad renouatam cum finitimis principibus vnionem religioſe fouendam hortando impediuit; cuius prudentiæ non vulgaris beneficio alterius S. Elizabethæ Luſitanorum Reginæ ſolertiam viuis in ſe coloribus depingere tentauit, cuius laudum præco de incredi

Theodor. Turingus apud Surium 9. Nou.

credibili istius S. Reginæ pacis inter Principes conciliandæ desiderio asserit; *quod extra Lusitaniæ limites longe lateque extendebatur, in reliqua præcipuæ Hispaniarum Regna, ne eorum principes, dum intestino odio mutuo desæuiunt, aliique alios omni conatu bello subiugare studeant, perfidis ex Mahometica face Mauritanis non modicam adhuc Hispaniæ partem incolentibus, oramque maritimam continuis classibus infestantibus, & in insidias excubantibus delendæ Reipublicæ Christianæ occasionem imprudenter exhiberent.* Anton. Vasconcel. in eius vita.

Interim Anna Ludouici XIII. Regis Christianissimi, optimique sponsi vestigiis inhærens, iamdudum ex hæreditario Austriacæ suæ domus auitæ pietatis amore virtutis studio intenta, totum se publicæ ac priuatę pietatis exercitiis applicuit, quam quidem vt maiori constantia, laudabilique assiduitate frequentare posset, vtque nouis semper mutuæ inter vtramque nationem consuetudinis insignibus amborum inter se populorum animos magis consociaret, Moniales sub regula Sancti Benedicti militantes ex natiuo Hispaniæ solo accersiuit, quibus segregatum à nimio immensæ vrbis tumultu locum, Vallis gratiarum nomine decoratum assignauit, templumque regia munificentia constructum aperuit, quo singulis interdum hebdomadis continuos numerosissimæ aulæ strepitus, tempestuosique maris procellas fugiendo in Vallem illam tanquam in tutissimum portum descendere solita, magnæ in aula Reginæ, & absolutissimæ in claustro Monialis sustinere personam apprime calluit: Quo tempore Ludouico tandem vere Iusto marito omnium optimo è viuis excedente, in ipso populorum luctu ac mœrore, cum puerum pro Rege, diuina quasi vindicta super eos incumbente, sibi traditum intuerentur, renouari prorsus in Galliis felicissima Blancæ pro Ludouico filio immaturæ adhuc ætatis regnum administrantis tempora visa fuere: Enim vero Anna quamuis regio Hispaniarum orta sanguine, non impari tamen quam reges ipsi Galliarum studio solertiaque, supremo Senatu applaudente, regni gubernacula suscepit, quo in munere turbulentis domesticarum seditionum motibus, sicut illa olim,

concussa, præsenti Numinis freta auxilio, prudentissimorumque Ministrorum consiliis adiuta, discussa è Gallicano cœlo nebulosa ciuilium discordiarum caligine, gratissimæ lucis serenitatem restituit, donec carissimus filius Rex ex ephœbis egressus, factusque grandior, animum sollicita optimæ matris educatione ad sustinendam tanti regni negotiorum molem efformatum, honestæ eiusdem administrationi simul cum matre intendit, eosque breui assiduis prouidissimæ parentis monitis, maternaque cura progressus fecit, vt hostium suorum terror, amicorum, fœderatorumque stupor, subiectique populi delitiæ euaserit: vnde quod de Theodosio à Pulcheria educato Socrates prædicauit, hoc ipsum de magnanimo sagacique tanti Regis animo apposite dictum censeatur: *Tametsi in ipsa regia natus, educatusque erat, nihil tamen ex illa educatione omnino contraxit mollitiei, tarditatisue; sed adeo solers & prudens fuit, vt illis qui cum eo sermones conferebant, multarum rerum experientiam consecutus videretur:* En copiosos, ô Gallia, fructus, quos tibi de Hispanico traducta solo fœcunda mater in filio capitis tui corona produxit: Quàm vere Innocentij IV. Pont. Max. Elogium in Blancæ olim sanctissimæ Reginæ honorem vestræ prolatum, tam inclytæ Heroinæ aptari potest: *nec mirum si hæc tibi suggerit fœcunda innatæ deuotionis benignitas, inte quidem ab illustrissimis & Christianissimis traducta parentibus, deinde & in serenissimo reperta consorte, ac demùm per tuæ institutionis documenta salubria in diuitem sobolem propagata; vt iam inuiolabilis Christianæ religionis sanctitas & fidei orthodoxæ sinceritas tuis de cætero posteris de throno tuo videatur quasi hereditaria prouenire.*

Annal. Eccl. an. 1251. 20.

Sed quid vetera ac remotiora nobilissimæ Reginæ Matris encomia perscrutãdo laboramus; Noua ista vtriusque Nationis cõmunio tam frequẽtibus populorum votis, tamque ardẽtibus bonorũ omniũ susspiriis à diuino Numine impetrata cui post Deum, nisi huic Reginæ matri optatæ pacis cupidissimæ referenda videatur? *Quies enim*, iuxta Cassiodori placitum, *suauissima populi, & tranquilla dispositio regionum, præconium probatur esse regnantium:* Cum igitur optima regis mater

Cassiod. 5. var. 29.

mater communi populorum tranquillitati consulens fausti-
simum hocce connubium inter Christianissimum Regem
Ludouicum XIV. & Mariam Teresam primogenitam Phi-
lippi IV. Hispaniarum ac Indiarum Monarchæ filiam hac
nostra ætate quanto potuit studio, diligentiaque promoue-
rit, hoc præ cæteris prædicti laudum Pontificis prærogatiua
celebrari promeretur.

Accedat iam lectissima Hispaniarum Heroina Maria Te-
resa publicæ arbitra pacis, communisque gaudij comple-
mentum, conuolet ad nos quamprimum ex Ibericis oris
casta illa Columba dulcis oliuæ ramum præferens, diuturn-
nam non modo vicinis regnis sed toti Christiano orbi pa-
cem prænuncians, cui Theodorici de sorore sua ad Trasi-
mundum Regem scribentis encomium apprime conuenit:
Quamuis, inquit, *à diuersis regibus expetiti pro solidanda con-* Cassiod. 5.
cordia aut neptes dedimus, aut filias, Deo inspirante, coniun- var. 43.
ximus, nulli tamen æstimamus nos aliquid contulisse, quam quod
Germanam nostram generis Amali singulare præconium, vestrum
fecimus esse coniugium; Fœminam prudentiæ vestræ parem, quæ
non tantum reuerenda regno, quantum mirabilis possit esse con-
silio: Quanta vobis, Galli, ex hoc lectissimo Iberorum ger-
mine vestris inserto liliis bona prouenient! quanta iustitiæ
pacisque vbertas in vos exundabit, de hoc enim præstan-
tissimo regiorum Coniugum sese quamperfectissime aman-
tium pari affirmare liceat, quod Theodahadus Rex aiebat:
scimus pro remedio nos datos esse cunctorum: Et sane non mo- Cassiod. 10.
do vestræ nationi, verum cunctis etiam populis, vniuersoque pene orbi percommoda huiusmodi affinitas, nouaque concordia toti Christianæ reipublicæ innumera pariet emolumenta, sacrorum quippe rituum splendor tot bellorum nebulis obscuratus magis in posterũ eluceſcet, Togæ exercitia, studiaque furentibus armis si non intermissa, penitusque sublata, saltem vitiata in dies reflorescent; virtutis ac sinceræ pietatis cultus respirabit, multumque augebitur; fidei perduelles amissis viribus contremiscent, perfidaque Agarenorum progenies Deo hominibusque exosa tyrannico imminentem dominio suo ruinam formidabit:

Nunc

Nunc profecto illud prophetæ dictum noſtras dulciter aures vellicat: *Sedebit populus in pulchritudine pacis:* Sedem enim pax iſta diuturnam in populis habitura, imo & perpetuam ſperatur, de auguſtiſſima namque hac Hiſpaniarum Principe appoſite dicitur: *Gratia ſuper gratiam mulier pudorata:* Quare cum ipſa Mariæ nomine inſignita, quod gratiam præfert, Reginæ Matri Annæ, quo nomine gratia pariter ſignificatur, in regno ſocietur, copioſam gratiæ ſuper gratiam largitatem, diuturnæ tranquillitatis, bonorumque omnnium incrementa pollicetur.

Summorum Pontificum ex Galliis oriundorum in Iberos, & ex Hispaniis erga Gallos studia, ac collata beneficia.

CAPVT TERTIVM.

HACTENVS de auita Gallos inter & Iberos in politicis rebus communione sermonem fecimus; Nunc illustrior Ecclesiasticarum rerum series, quæ itidem eo firmiori, quo sanctiori vinculo eorumdem animos coniunxit, spectanda proponitur: Et sane in ipsis nascentis Ecclesiæ cunabulis ista vtriusque regni consuetudo enituit, cum videlicet ab ipsis Apostolorum alumnis, qui Gallias Euangelicæ prædicationis lumine illustrarunt, nonnullæ Hispaniarum vrbes, vt suo loco clarius patebit, fidem hausisse glorientur: à Romana igitur B. Petri sede, fidei petra, vnde excisæ fuere nobilissimæ Galliarũ atque Hispaniarũ Ecclesiæ, Innocẽtio I. P. M. atteſtante, [a] *Ecclesias in omni Italia, Gallia, Hispania, Africa, Sicilia à nullo alio, quam à Petro, vel eius discipulis & successoribus institutas esse*: necnon Cypriano [b] *Romanam Ecclesiam cæterarum omnium matricem* appellante, sermonem auspicabimur: Et quamuis ad hanc, vti scite asserit Irenæus, [c] *propter potentiorem principalitatem necesse sit omnem conuenire Ecclesiam*; ac proinde singula regna, singulæue nationes Christo subditæ membra veluti ac partes vni suo capiti, Romano vtique Pontifici recte adnectantur; nihilominùs supremos Ecclesiæ Hierarchas, Petrique successores à Gallis oriundos peculiari beneuolentia in Iberos, carissimas sibi velut præ cæteris oues bene animatos fuisse, eosque paterna præ cæteris cura fouisse, atque Francos vicissim in fidei cultu ardentissimos cum Hispanis ad

[a] Epist. 1. ad Decennium.

[b] Epist. 45.

[c] lib. 3. c. 3.

Romanæ Ecclesiæ clauum regendum euectis, quamuis numero paucioribus, propensis animis communicasse, videbimus; simul & immensa istorum ac cæterorum Pontificum pro diuturna vtriusque regni vnionis conseruatione studia nobis imposterum apertius innotescent.

S. Damasus PP. I. Hispanus in Gallias bene affectus.

Damasus genere Hispanus omnium primus in medium prodit, qui inter Romanæ Ecclesiæ antistites doctrinæ ac sanctitatis splendore mirum in modum effulsit: *Vir sane propter vitæ præstabilis ornamenta insignis*, teste Theodoreto [a]: Sub hoc Pontifice Auxentius Arianus pseudoepiscopus Mediolanensis sibi catholici nominis laruam impoſuerat, quam tamen Hilarius Pictauiensis eximium Gallicanæ Ecclesiæ decus ac *fidelis Dominici nominis prædicator* in Parisiensis Concilij I. Synodica à Patribus rite nuncupatus, Mediolanum concedens, doctissimis rationum momentis, subtilibusque argumentis detegere, falsaque ipsius dogmata omnibus aperire, vt ab Orthodoxis reiiceretur, plurimùm desudauit: Cum autem Valentinianus Imperator, maximaque vulgi pars Auxentio vti Catholico adhærerent, qua de causa Hilarius veluti iniquus calumniator Mediolano recedere iussus est, magis in dies inualescente vesani hominis fastu, quo sanctissimos Ecclesiæ Episcopos exagitabat, S. Damasus Romæ Concilium aduersus Auxentium congregare decreuit: Quantam vero hac in re Galliæ Præsules nauarint operam, quamque S. Damasum iuuerint, clare dignoscitur ex Epistola Synodali Romani Concilij ad Episcopos Illyrici data, vbi post nonnulla hæc leguntur: *Significatum est nobis à fratribus, qui in Gallia, & in agro Venetorum habitant, nonnullos ad hæresim amplexandam omni studio incumbere*: quod si dicas de Gallia Cisalpina illic haberi sermonem, nihilominus ex iis quæ Theodoretus scribit, de Transalpina quoque intelligi posse existimo [c]: *Inter eos vero*, ait *qui istarum litterarum auctores erant, principem locum obtinuit Damasus vir plurimis virtutis insignibus eximie ornatus: Nonaginta habuit Episcopos ex Italia & Gallia Romæ in vnum coactos, qui his litteris consenserunt:*

[a] lib. 5. c. 1
[b] Baron. *Anno* 362.
[c] lib. 2. 18.

ferunt: Quibus verbis cum clara de Transalpinis Galliis ab Italia seiunctis mentio fiat, ab iisdem pariter, qui ad Concilium conuenere, Galliarum Præsulibus Damasum de huiusmodi hæresi nimium grassante certiorem factum haud dubie affirmare possumus: Sin autem illud in dubium reuocetur, cum ipsum Pontificem per Synodalem Athanasij, aliorumque Ægypti Episcoporum de damnando Auxentio Epistolam admonitum fuisse pro certo habeatur, quidni à proximioribus etiam Episcopis, fideique propugnandæ maxime studiosis, vti erant Gallicani Præsules, ab circularibus etiam Hilarij litteris, vt ait Baronius, excitati, illud ipsum ad Damasum Romanæ Ecclesiæ Præsulem delatum fuisse merito asseramus: Verum damnato Romæ Auxentio, *Diuersis*, (scribit Athanasius ad Epictetum) *Concilijs per Galliam & Hispanias, & Romæ celebratis, omnes qui in eo conuentu fuere, istos lucifugas, qui sese etiamnum occultant, & quæ Arij sunt sapiunt, anathemate percusserunt.*

Neque impari tuendæ religionis studio inflammati Galli Antistites saniſſimæ eiusdem Pontificiæ mentis tenaciſſimi Aquileiam conuenere, vbi Concilium in causa Palladij ac Secundiani cogebatur; Tres præcipue ex Galliis Narbonenſi, Viennenſi, & Lugdunenſi Legati Constantius, Proculus, atque Iustus insignes plane illius temporis viri, aliique Galliarum Præsules adfuere: Clarum nauatæ ab istis operæ coniicio argumentum, Epistolam nempe Concilij Aquileiensis ad Episcopos Prouinciæ Viennensis, & vtriusque Narbonensis datam, cuius initium tale exstitit: *Anno 381.*

Concilium quod conuenit Aquileiæ
Dilectiſsimis fratribus Episcopis Prouinciæ Viennensis
Et Narbonensium Primæ & secundæ:

Agimus gratias sanctæ vnanimitati vestræ, quod in Dominis & fratribus nostris Constantio & Proculo, omnium nobis vestram præsentiam contuliſtis, &c. Itaque vt libenter suscepimus memoratos de vestro, nostroque consortio Sanctos viros, ita etiam vberi gratiarum actione dimittimus, &c.

Placet hic lectorem monere duas tantum Concilij Epi-

stolas exstare vnam ad Gratianum & Valentinianum, & Theodosium Imperatores, alteram ad Episcopos Galliarum: vnde colligas impensum à Gallis in confutandis hæreticæ prauitatis erroribus studium, simul & immensum eorumdem doctrinæ ac pietatis pondus, sanctissimam denique cum Romana Ecclesia, eiusque capite Damaso coniunctionem, quam & antea in Auxentij causa litteris ad eumdem Pontificem datis, suoque ad Romanum Concilium aduentu, ac deinceps nouis in Francia Patrum conuentibus sanctissimi Patris menti indesinenter adhærendo demonstrarant:

Vrbanus II. PP. ex Gallia Primus de Hispan. bene meritus.

Sed iam ad Pontifices Gallico genere conspicuos orationem conuertamus. Vrbanus II. Castilione Remensis diœcesis oppido natus, vti temporis, sic & laudis prærogatiua primas sibi merito partes vendicat, cuius paternæ beneuolentiæ insignia, quibus Hispanicam gentem prosecutus est, Bernardus Archiepiscopus Toletanus sese imprimis expertum esse profitetur: Cum enim Romam eo tempore petiisset, quo Vrbanus ad supremum Apostolatus apicem euectus fuerat [a], *ab eo* (vti Mariana testatur) *proquibus venerat integra omnia impetrata, legatum Richardum reuocaxi, pallij vsus praterea, vt totius Hispaniæ & Gothicæ Primas ipse esset*: Hæc omnia ex directis ab eodem Vrbano ad Bernardum vnà cum pallio litteris audire nobis haud iniucundum erit:

Anno 1088.

[a] lib. 9. c. 18.

Ex Collect. Concil. Hispan. *Anno* 1088.

Vrbanus Episcopus seruus seruorũ Dei: Reuerẽdissimo Fratri Bernardo Archiepiscopo Toletano eiusque successoribus in perpetuum: Cunctis Sanctorũ Decretales scientibus institutiones liquet, quanta Toletanæ Ecclesiæ dignitas fuerit ex antiquo, & quanta in Hispanicis & Gallicis regionibus auctoritatis extiterit, quantæque per eam in Ecclesiasticis negotiis vtilitates accreuerint, &c. Et paulo post: *Nostris autem temporibus, diuina populum suum respiciente clementia, studio Idelfonsi gloriosissimi Regis, labore populi Christiani, Sarracenis expulsis, Christianorũ viribus Toletana ciuitas est restituta: Igitur voluntate & consensu vnanimi comprouincialium populorum, Pontificũ atque Principum, & Idelfonsi excellentis Regis, te Frater charissime Bernarde, primum illius vrbis post tanta tempora Præsulem eligi diuinæ placuit examini maiestatis: Et nos ergo miserationi supernæ gratiæ respon-*

respondentes, quia per tanta terrarum mariumque discrimina Romanæ auctoritatem Ecclesiæ suppliciter expetisti, auctoritatem christianam Toletanæ Ecclesiæ non negaremus, &c. tamen benevolentia Romanæ Ecclesiæ, solita & digna Toletanæ Ecclesiæ reverentia, tum Christiani filij nostri præstantissimi Regis Idelfonsi precibus inuitati, pallium tibi Frater venerabilis Bernarde, ex Apostolorum Petri & Pauli benedictione contradimus, &c. Et in totis Hispaniarum regnis Primatem privilegij nostri sanctione statuimus, &c.

Aliud quoque diploma eodem argumento ad [a] Archiepiscopum Tarraconensem ab eodem Vrbano datum legitur, quæ quidem litteræ peculiarem Maximi huius Ecclesiæ Præsulis Franciæ indigenæ de Toletana sede inter Hispanicas suprema mirum quantum prædicant æstimationem, intimam quoque eiusdem Pontificis in Alfonsum tunc sapientissimum Iberorum regem benevolentiam viuis apicibus delineare videntur: Et certe summa regi data elogiorum præconia, honorificum de Toletana Ecclesia institutum sermonem, ac tantæ benignitatis argumenta electo Archipræsuli à Pontifice exhibita, si quis studiose expenderit, haud potioribus humanitatis officiis, neque alacriori animi studio Hispanicam rem à quouis alio Pontifice quamuis Hispanici sanguinis tractari vnquam potuisse lubens volensque affirmabit. [a] Idem Ib.

Cumque verus amor turpi numquam otio langueſcat, paternus Vrbani erga Hispanos amor nouis eos beneficiis cumulare meditatus, Legatos protinus ad synodum Tolosæ celebratam ordinauit pro redintegrandis Toleti Christianis rebus, vt summis apud se repetitis ab Hispano rege votis satisfaceret: Atenim ipsius argentinam vocem in Oecumenica synodo Claromontana tubæ instar classicum canentem, qua fidelium animos ad susciendam in terra sancta & Palæstina sacram expeditionem concitauit, quem non audire delectet? adeo nempe Pontificis oratione in Concilio habita inflammatos fuisse auditorum animos proclamat inter cæteros Mariana [b] *vt Gallia, Italiaque, & Hispania clarissimi principes, & eorum exemplo infinitus hominum* [b] lib. 10. 3. *Anno* 1090. *Anno* 1096.

minum numerus ad pedes Pontificis proſtrati crucem ſume-rent:

Eodem Pontificiæ tubæ ſonitu commotus Bernardus (de quo recens à nobis facta mentio) Præſul Toletanus, qua erat animi magnitudine, mox rite ordinato Eccleſiæ ſuæ ſtatu crucem ſuſcipere decreuit, & ad ſacrum bellum profectus eſt. Vix ab vrbe ſua receſſerat, cum collatis ſacerdotum ſuffragiis alter in eius locum ſufficitur; quo accepto Toletum ſtatim repetiit, nefarii authores conſilii digna perculit animaduerſione, ac pulſis Canonicis Monachos eorum loco ſubſtituit, rebuſque feliciter compoſitis Pontificem adiit, vt ad ſacram expeditionem eius fretus auctoritate, ac benedictione munitus quamprimum proficiſceretur. Vrbanus vero ipſum apud ſe detinuit, ac tanti Præſulis à ſede ſua receſſum maturiori conſilio expendens Toletum remiſit, votique religione, qua ſeſe deuinxerat, ſoluta, collectam ab eo ſacri belli expenſis pecuniam pro Tarraconenſis inſtauratione ciuitatis impendi mandauit; Paruit Bernardus, atque in Hiſpaniam reuerſus componendo ſtatui Eccleſiarum ſtrenue incubuit, totiuſque Hiſpaniæ Primatis, atque Romani Pontificis Legatia muni per aliquot annos ſumma cum laude obiuit:

Plura hoc loco animaduertenda beneuolo lectori obiiciuntur, quibus propenſa Gallici Pontificis erga Iberos, & viciſſim ſingularis obſeruantiæ ab ipſis Vrbano præſtitæ ſtudia potiſſimum recenſentur: Plurimos Hiſpaniarum principes, numeroſamque nationum illarum multitudinem vna cum Toletano Præſule, aliiſque viris in Eccleſiaſtico ordine conſpicuis, Pontificiis vocibus ad tam arduum opus cum propriæ vitæ diſcrimine ineundum concitatos imprimis admirare: Summam deinde Vrbani vigilantiam de Hiſpanicis, ac præcipue Toletanis ouibus, vnde ab earum prouida cura longo temporis interuallo Antiſtitem Eccleſiarum illarum Primatem amoueri non ſiuerit, diligenter expendas.

Hinc porro facile inferas Vrbano Pontifici, Parentique optimo

optimo fidei ac Ecclesiasticæ disciplinæ in illis regionibus prouentus adeo cordi fuisse, vt eos sacrorũ Palæstinæ locorum recuperationi, ac perdendis in iis partibus religionis perduellibus, pro quibus exstirpandis in synodo & alibi indesinenter laborarat, præferre neutiquam dubitaret; Quin & pecuniam pro sacra expeditione à Toletano Præsule comparatam, quamuis ad immensas conficiendo operi expensas percommoda videretur, Tarraconensis ciuitatis antiquitate, & imperij Romani maiestate, cuius in Hispania sedes fuit, celeberrimæ, ac tunc ad Christianorum ditionem deuolutæ restaurationi munificentissime destinauit; Quasi homo cæteroqui genere Gallus haud minori afficeretur voluptate, si antiquo Hispanorum splendori primaria eorum ciuitas restitueretur, quam si Vrbs sancta Hierusalem Fidelium imperio decederet: Quare singula hæc eximiæ Pontificis Galli beneuolentiæ ac studii in promouenda tum Ecclesiastica, tum politica Hispaniarum felicitate ac decore expressa argumenta summis laudibus prædicare non desinas, quamdiu enim Tarraconensis magnificentia ciuitatis stabit, florebitue, longo murorum suorum circuitu æternum præferet illustre Francorum cum Iberis amicitiæ monumentum.

Validissima autem tanti Pontificis argumenta quibus Christianorum principum animos ad profligandos in Palæstina fidei hostes vehementer permouit, hac nostra etiamnum ætate penitissimis nostrorum regum mentibus inhærere summis populorum votis exoptandum; inter quæ celeberrimum istud monitum præcipuum fuit, æterna omnium memoria dignissimum: *Carolus* ille *cognomento magnus vester, Germani, pene auita origine, vester, Franci, Rex, vestrum ingens decus, Hispaniæ, Aquitaniæ, & ipsis Franciæ finibus incumbentes Sarracenos infinita mortalium examina disturbanit. Carolus Sarracenos Italia, & vt fama vos vulgatis, terra sancta, Hierosolymisque expulit; Et quo audebitis pacto post hac dicere solam esse vel primariam gẽtem Francicam, quam vere Christianam liceat appellare, si in ea quæ vobis adest opulentia Sarracenos & Turcas post captum, inquinatumque* Nauclerus.

que ſacrum Domini ſepulchrum, populi etiam Chriſtiani reliquias capi, opprimique per ignauiam permiſeritis, &c.

Hinc tanti Pontificis verborum aculeis incitati, ô Galli, glorioſiſſimam Chriſtiani nominis ſplendorem priſcis ab vſque temporibus præ cæteris regnis mirum in modum in veſtro effulgentem nequaquam obſcurari ſinatis, cum perfidos Turcas, alioſque Infideles ſummo fidei detrimento, religioniſue ſcandalo longe lateque debacchantes, ſuæ tyrannidis fines propagare, ac plebis Chriſto dicatæ bona diripere, ipſorũque ſanguinem cum vita profundere, horrendas tandem mortalibus ſtrages conciliare intueamini, vnde innata cordi veſtro pietas, ſingulariſque animorum alacritas tot clariſſimis maiorum veſtrorum, qui Turcas tot tamque famoſis prœliorum occaſionibus fregere, exemplis inuitata, ad eos validis laceſſendos agminibus, totque regnorum per ſummam iniuriam vſurpatorum tyrannica deturbandos poſſeſſione concitetur: Itane vero Sanctiſſimi huiuſce Pontificis ſplendiſſimi gentis veſtræ ſyderis dictũ vobis aptari patiamini, quo tepeſcentem quodammodo generoſæ mentis veſtræ feruorem acrius concitare, igneiſque paterni cordis vocibus inflammare conatur: *Ex quo audebitis pacto poſt hæc dicere, ſolam eſſe, vel primariam gentem Francicam, quam vere Chriſtianam liceat appellare, ſi populi Chriſtiani reliquias capi, opprimique per ignauiam permiſeritis? Quas vrbes lacerent infideles, ſi omnes ſimul ignoratis, vnuſquiſque in ſua prouincia nouit, niſi forte vos Galli remotiores hæc non ſentitis, qui Hiſpanorum, Aquitanorumque ab ea gente oppreſſorum, dum in ſeruitutem rapiuntur, & in Africam abducuntur, clamores, eiulatuſq; ſingulos per dies audire debetis:* Quid modo diceret, cum gemitus ac communes populorum querimoniæ vndique obſtrepant, quæ non à fidei perduellibus, ſed ab eiuſdem ſectatoribus continuis graſſantibus diſſidiis, infenſoque armorum ſtrepitu excitẽtur, vnde fidelium alienigenarum eiulatus percipi nequeant, & ab arripiendis aduerſus eorum oppreſſores armis inteſtinis inter ſe prœliis impliciti retardentur?

Quanta autem Hiſpani grati animi ſignificatione Vrbanum

banum de ipsis optime meritum prosecuti fuerint, ex facta eidem à Berengario Comite Barcinonensi Ciuitatis Tarraconensis donatione manifeste deducitur: [a] Extat huius donationis diploma in Vaticana Bibliotheca in Codice Cencij Camerarij, ad cuius calcem ista subiiciuntur ab alio addita, nempe quod anno sequenti Berengarius Ausonensis quondam Episcopus, per quem potissimum supradicta ciuitas restaurabatur, Pontificem adiit, à quo pallium accepit, ac priuilegium promeruit, quo in Barcinonensem Metropolim translatus Archiepiscopali fuit insignitus dignitate: In hac profecto Tarraconensis Vrbis donatione ab Hispano Comite Pontifici facta, non illius solum gentis cum Romana sede veluti cum matre filialis coniunctio, ac peculiaris erga ipsam deuotio, verum etiam cum Gallis, quorum nobili Vrbanus prosapia gaudebat, reciprocæ commercium beneuolentiæ euidenter innotescit, vnde Pontifex eiusdem ciuitatis Præsulem illustriori dignitatis titulo adornare, vrbisque promouendæ instaurationi aliquatenus, vt mox dicemus, allaborare decreuit.

[a] Baron. *Anno* 1091. n. 9.

Anno 1091.

Postquam eximium Vrbani erga Toletanam, Tarraconensemque Ecclesias studium contemplati sumus, non absimilem Calixti II. Franco item genere clarissimi ardorem in Compostellana sede cohonestanda verbis, quibus par est, complectamur necesse est: Quis vnquam credat sanctum hunc Pontif. S. Iacobũ Compostellan. colẽdi studiosum adeo fuisse, vt *Anglos peregrinos*, ait Malmesburiensis, [b] *magis ad S. Iacobum in Compostella, quam Romam pergere admoneret, pro viæ longitudine ad illum locum bis euntibus idem benedictionis refundendum commodum, quod habent qui semel Romam irent:* Compostellanum item Episcopum pro B. Apostoli corporis reuerentia de nouo metropolitanum constituit, ac totam ei Prouinciam tunc Sarracenorum oppressione deuastatam subiecit: Cæterum S. Iacobi Compostellani cultus in hoc Gallo Pontifice clariùs enituit, cum de eius peregrinatione ac miraculis volumen conscripsit, quorum nonnulla apud Vincentium [c] Bellouacensem exstant fragmenta: Ecquis non miretur Calixtum instaurando in melius totius Christiani

Calixtus II. PP. ité Gallus in Hisp. bene affectus.

[b] citat. à Bar.

Anno 1123.

[c] in Specul. histor.

orbis ſtatui intentum aliquot temporis particulas ſubripere potuiſſe, quas in deſcribenda D. Iacobi hiſtoria impenderet; Sin autem dicas hoc ab eo, ante Pontificatum, volumen completum fuiſſe, in eundem ſemper impinges ſcopulum; nam huic non vulgaris doctrinæ, virtutiſque fama inſigni viro Archiepiſcopatu Viennenſi, necnon Cardinalitia purpura, inſignito, grauibuſque Legationum negotiis implicito, pro deſcribendo huiuſmodi opere vel minima temporis opportunitas vix ſuppetere vnquam potuit; nihilominus ſiue in ſublimioribus hiſce dignitatibus conſtitutus, ſiue cum adhuc in Faueriano Cœnobio monachiſmum profiteretur, S. Iacobi Compoſtellani miraculorum hiſtoriam in vnum corpus congeſſerit, ipſum proculdubio ad Hiſpanicas res publice propalandas, ac poſterorum memoriæ conſignandas ſummopere propenſum affirmabis, illudque ipſum de Gallo homine concines, quod de Turonenſi Gregorio ipſimet Hiſpani memorant, eum nempe in deſcribendis Iberorum geſtis adeo fuiſſe accuratum, vt pari ſeſe erga ipſum debito, quàm in quemlibet alium Hiſpanum gentis ſuæ rerum ſcriptorem obſtrictos eſſe fateantur.

Lib. 10. Anno 1122. Sed antequam à Calixto recedamus, mihi Io. Marianæ ſermo nequaquam prætermittendus videtur, quo Eccleſiæ Bracharenſis inter Hiſpanas multis gloriæ titulis conſpicuæ reſtitutionem iam antea per Paſchalem Romanũ Pontificem factam, ſed à Calixto confirmatam, ampliatamque ita deſcribit: *Eius*, id eſt Paſchalis, *itaque nos veſtigia ſubſequentes, Chariſſime frater, & Coepiſcope Pelagi, Bracharenſi Eccleſiæ, cui Deo authore præſides, integram ipſam vrbem Bracharam & confirmamus, & eidem Bracharenſi metropoli Galliciam prouinciam, & in ea Epiſcopalium Cathedrarum vrbes redintegramus; item Aſturicam, Lucum, Tudam, &c.* Quæ & alia huiuſmodi priuilegia Hiſpanis Præſulibus á Gallo Pontifice collata quid aliud, niſi propenſiſſimam ipſius in cohoneſtandis illarum regionum Eccleſiis voluntatẽ, necnon intimam in Iberos beneuolentiam mutis quidem ſed apertis vocibus clamant? adeo vt ſanctiſſimus hic Pontifex illud Gregorij Magni placitum iure ſibi vſurpare potuerit; *Tot climatum diuerſitatibus hominum*

S. Greg. l. 5. Epiſt. 62.

ratio

rationes, compaginatis ad vnum mentibus, ſuæ vinculo ſuauitatis adſtrinxit.

Nec minori, meo quidem iudicio, erga Hiſpanos vrbanitate vſus legitur Vrbanus IV. patria Trecenſis, qui hæc ſplendida mutuæ inter vtramque gentem dilectionis inſignia præclaris ſuis facinoribus ſuſpicienda proponit: Ad diſcutiendam ortam inter Alfonſum Caſtellæ Regem ſapientis cognomento decoratum, & Riccardum Cornubiæ Comitem Angliæ Regis fratrem Electos de imperio controuerſiam præcipue intentus fuit, vtque litem ſaniori conſilio, maiorique alterius partis ſecuritate dirimeret, Caſtellæ Regi, qui Legatum imperialia accepturũ ornamenta ad eum direxerat, epiſtolam miſit, in qua ſe vtriuſque iura diligentiori examinis lance ponderaturum promiſit, regemque ob delata ſemper ſua Romanæ Eccleſiæ ſtudia pluribus commendauit; Et quamuis Richardus ab eius Deceſſore Alexandro IV. in Romanum Regem electus in ſuis ad eum litteris nominatus foret, imo etiam Aquiſgrani diademate redimitus fuiſſet, nihilominus eodem Alfonſum Electi titulo in ſuis litteris cohoneſtandum decreuit, quod Richardus ægre admodum tulit: Peremptorio igitur ad dicendam coram ſe cauſam præfixo à Pontifice Electis Regibus termino, Alfonſi oratores qui antea Pontificio in hac re ſubdi iudicio conſtanter repudiarant, ad dictum diem affuere, Richardi vero qui libenter conſenſerant, ob exortas in Anglia nouas diſſenſiones minime accceſſere; re itaque à Pontifice in aliud tempus dilata, ipſi, Deo aliter diſponente, extremam adhibere manum nequiuit, cum ad diem ſequentis anni ab eo conſtitutum vitæ ſuperſtes haud fuerit: Ex quo propenſus in Alfonſi gratiam prædicti Pontificis animus facile dignoſcitur, vti Theodoricus Vallicolor Vrbani IV. vitæ ſcriptor his verſibus teſtatur:

Vrbanus IV. Gallus in Hiſpan. beneficus.

Solemneſque viros Hiſpanus miſit, & eius
Cordis ſecretum certificarat eis:
Sed quia tunc aberat pars altera, terminus alter
Aſſignatur eis, ſufficienſque dies:

Quale autem à Pontifice ſui cordis arcanum Hiſpanis Ora-

toribus ſignificatũ opinabimur, niſi quodeorũ votis faueret? quod etiam ex rebus antea in eiuſdem Regis gratiam ab eo geſtis haud dubie coniicitur; Et hoc ſane Pontificis Gallici alioqui generis haud leue erga Caſtellæ Regem ſingularis dilectionis argumentum fuiſſe nemo in dubium reuocarit, maxime ſi Richardi iam ab Alexandro IV. Regis Romanorum Electi titulo decorati præſumpta ad imperium iura expendantur: Hic vero notandum obiter occurrit non vulgaris eiuſdem Vrbani in traducenda ad Romanæ ſedis iudicium huiuſmodi controuerſia, ſollicitudo, cum ipſe paterno in filios concordiæ zelo inflammatus per Legatos in Hiſpaniam & Angliam rei componendæ deſtinatos ad pacem flectere nullatenus potuiſſet.

Nuſquam vero alibi magis emicant paterni re ipſa Vrbani
Anno 1263. Pont. in Caſtellæ Regem amoris ſcintillæ, quàm in Epiſtola, poſt nonnullas de Sarracenis, ac præcipue de Mahomade Granatæ, & Hudiele Murciæ Regibus partas ab ipſo victorias ad eum data, cuius hic partem paulo prolixiori ſtylo à nobis relatam fuiſſe ſapiens lector non improbabit, quippe quæ maximam Pontificis in Caſtellanos Reges, Hiſpaniæque regnum beneuolentiam redoleant ac æſtimationem.

Regi Caſtellæ ac Legionis Illuſtri.

Annal. Eccl. *Excelſum fecit in terris qui habitat in altiſſimis Deus pro eo*
Ann. 1263.6. *potiſſimum regnum tuum ipſius terminos magnifice dilatando, quod Regia celſitudo ſua ab ipſo qui eam ſibi tribuit potentiam gratitudine debita recognoſcens, non ad oppreſſionem fidelium, ſed propagationem fidei, & diuini cultum nominis per populorum multiplicationem fidelium augmentandum aduerſus nationes exteras iugiter experitur: Ex hoc namque ipſe Deus tam progenitores tuos, quam & tuam magnificentiam exultationis & lætitiæ oleo præ participibus tuis vngens tibi nomen fecit grande ſupra nomen magnorum qui ſunt in terra, tibi & dicto regno in rore cæli, & terræ pinguedine vberrima benedictione impenſa; propter quod Romana Eccleſia mater tua ſuper te filio benedicto & Chriſtianiſſimo principe iucundatur & gaudet, ac preces ad Deum fundit continuas, vt ab omni te aduerſitate cuſtodien-*

diens concedat quod per regnum temporale quod obtines felici commercio tibi pateat expeditius transitus ad æternum: Et quidem plura sunt, & maxima quæ de regalis excellentiæ virtuosis & strenuis actibus recenseri possunt; sed admirandum nostris nuper venit insinuatione regia sensibus & stupendum propositum, quod de regalis corporis sepultura non à suggestione humana, sed à spiritu Domini concepisti, per quod liquido datur intelligi, quod pro fide dilatanda Catholica & fidelium robore decertare cupias, etiam rebus humanis exemptus, vt quod viuens regium corpus nondum efficere potuit efficaciter, exanime in tuæ salutis compendium prosequatur: Nam cum in insula Gadicensi, in qua, vt asseritur, est maris portus accommodus & tranquillus, &c. Et ad eius conquisitionem ianua possit esse fidelibus, si super excrescentibus Christianis incolis repleatur; tu id tanquam fidelissimus princeps prudenter attendens, vt tua clara memoria postquam in Domino requieueris, Reges qui tibi successerint ad ipsius loci custodiam, & augmentum animet & inducat, ac propter hoc fideles populi libentius inibi eligant incolatum; apud Ecclesiam S. Crucis quæ in ipsa insula loco dicto Calix, &c. Elegisti deliberatione pia & prouida sepulturam, à nobis suppliciter postulans, vt quod à te de sepultura huiusmodi pro fidei fideliumque fauore factum est, Apostolicæ acceptionis roboremunientes, id adimpleri districtius mandaremus, &c. Quid vero mirum si Vrbanus Castellæ regem tanti fecerit, cum ipse tanto animi ardore, tamque feruenti zelo amplificandæ in suis regnis Christianæ fidei incubuerit, vt etiam vita functus ad tam præclari operis prosequutionem hæredes suos quodammodo excitare cuperet; quapropter Electi in Romanum Regem glorioſum titulum, ampliſſimaque priuilegia à Pontifice ſibi conferri, nec non amiciſſimas ab eodem litteras, ſummaque laudum præconia ab eo accipere iure quidem optimo promeruit.

Non minori erga Iberos beneuolentiæ ſtudio idem Pontifex omni ſcientiarum genere excultiſſimus, inſignium litteratorum parens, illuſtriſue protector, quo Palentinæ Academiæ priſtinum ſplendorem reſtitueret, Apoſtolica authoritate iiſdem priuilegiis Palentinos Doctores, ac Scholaſti-

cos, quibus Parisienses insigniuit: Quare cum Palentina Academia deinceps in Salmanticensem vrbem translata fuerit, vt suo loco dicemus, quis non videat celeberrimum illud optimæ cuiusque litteraturæ Gynecæum ab Vrbano Parisiensis adinstar ampliſſimis decoratum indultis tot insignia grati animi monimenta assidue erga Pontificem Gallum ostentare, quot scientiarum omnium notitia præstantes viros Hispanicis, exterisque parit regionibus?

Interim dum vere Magnus idem Christi Vicarius in suprema Ecclesiæ specula quasi vigilantissimus Pastor super gregem suum, sedulæ intentus ouium custodiæ vigilaret, easdem ab insidiantis earum saluti rapacis lupi aggressionibus, furoreque defendit; Aragonum imprimis regem, quem à contrahenda cum Manfredo publico Ecclesiæ hoste, damnosissima affinitate prudenter admodum & caute remouit; Placet hic nonnulla delibare ex Epistola ad eum à Pontifice directa, vbi post multa sic prosequitur: [*Sane, Fili carissime,* tuam tuorumque progenitorum deuotionem ad memoratam Ecclesiam frequenter operis exhibitione probatam fratrum nostrorum, & communi testimonio nouimus, ipsamq; tuam, & eorumdem progenitorum tuorum facta magnifica, quæ ad exaltationem sui nominis, & Christiani cultus ampliationem dignata est dextera Domini tuo & ipsorum ministerio misericorditer operari, habẽtes in Apostolicæ mentis conscripta sacrario, &c. illam concepimus de tua serenitate fiduciam, hoc de te spe firma & indubitata tenemus, quod sic in te Dei charitas vigeat, quod ad ea quæ ipsius incrementa respiciunt, vel procurare possent, aut conseruare prosperum statum eius te libenter exponeres, &c. Considera igitur, fili, considera tui generis claritatem, quantaque à diebus antiquis, quorum memoria non existit, generositate illustris floruit domus tua, quanta tibi dederit Dominus potentia, & personæ strenuitate vigere; quot & quanti regiæ dignitatis participes tibi proxima consanguinitatis & affinitatis linea coniunguntur: Quomodo igitur cadere potuit in cor tuum, vt de contrahendo matrimonio inter primogenitum tuum illustrem, & natam memorati Manfredi verba

Anno 1261. In Biblioth. Vallicellan. sign. I. C. 49. pag. 3.

etiam

etiam patereris audire? Nunquid contemnitur ab aliis mundi principibus natus tuus? O quam detestabile tam deuotum Ecclesiæ filium ipsius inimico & persecutori manifesto vinculo tantæ coniunctionis astringi! &c. profecto princeps inclyte, si te nequaquam ab huiusmodi coniunctione retraheret natiua nobilitas, & votum debitæ conseruationis ipsius, deuotio saltem matris Ecclesiæ in te ac tuis progenitoribus radicata reuocare deberet, &c.]

Vide quo animi ardore Vrbanus Hispanorũ Regum felicitati inuigilet, eorumdẽque pietati ac virtutum incremento consulat; quot speciosis titulis, quot simul laudibus Aragonum Regem celebrare voluerit, vt ipsius mentẽ à nociua Manfredi societate auerteret, qua ipsum à se & ab Ecclesiæ vnione diuelli summo animi sui mœrore intelligebat: Atq; vtinam Iacobus Aragon. Rex Pontifici cæteroquin addictus Ambrosij dictum attenta mẽte reuoluisset; *Præferenda est religio necessitudini, pietas propinquitati, vera enim pietas præponit diuina humanis, perpetua temporalibus:* Nec in Siciliæ regno, cui nuptiarum istarum solemniis inhiabat, imo potius apud Superos optimi patris monita secutus immortalem sibi sedẽ comparasset, tunc enim sopitis illiciti amoris ignibus, S. Ludouici affinitate ex animi sui sententia potitus fuisset, aliorumque Vrbani successorum fultus benedictione clariores de hostibus triumphos reportasset; quamuis erga Vrbanum propensum gerens animum, se Manfredum ei reconciliaturum, atque ad illam pacem sanciendam se Romam iturum Pontifici per litteras pollicitus fuisset; Ipse autem Manfredus Aragonium Regem, vt se in Vrbani gratiam restitueret, antea per Legatos suos sollicitarat, quod sane non contemnendum Hispani Principis cum Gallo Pontifice antiquæ necessitudinis argumentum videtur, cum eius opem exposceret, vt ab Vrbano sibi infenso benigne exciperetur. Epist. 56.

Interea ad Clementem IV. Vrbani successorem in prouincia Narbonensi nobili genere natum deuoluta hæret in limine oratio, cum singularem Galli huiusce Pontificis in Hispanos paterni amoris sensum nequaquam verbis complecti possit, vix enim supremum Ecclesiæ clauum regendum susce- *Anno 1265.* Clemens IV. Gallus item in Hispan. propensus.

suscepérat, cum Alfonso Castellæ ac Legionis regi de accepto Clementis nomine gratulanti Epistolam peculiaris in eum beneuolentiæ sensibus refertam direxit, in qua post nonnulla ita subdit: *Sic strenuum Christi pugilem, sic custodem populi suivigilem operum attestatione demonstres, vt cum hactenus in hac parte multos & magnos reges viceris, nunc vincere satagas & te ipsum*, &c. [a] Ea tempestate Africani Sarraceni à Granatensi & Murciano Regibus in Hispanias magna classe inuecti ingentes Christianorum strages ediderant: quare Summus Pontifex Castellani regis iuribus, Hispanorumque fidelium incolumitati sollicite intentus Tarraconensi, Valentinoque Episcopis, vt Fideles religiosam militiam in perfidam Saracenorum gentem professuros Cruce insignirent, litteris mandauit; omnibus item qui pro Castellæ rege, ipsiusque exercitu cœleste præsidium precibus inuocarent, Indulgentiarum præmia est elargitus, atque Hispalensi Archiepiscopo, vt pro stipendiis centesimam omnium vectigalium Ecclesiasticorum colligeret, ac suppetias aduersus Africanos Saracenos Alphonso exhiberet, imperauit: Quin & Aragonium regem Iacobum Castellani Generi sui iuuandi gratia aduersus Saracenos magnis copiis sese accingentem, ac suum Pontificis suscipiendæ Crucis consilium significantem summis laudibus extulit; quæ maxima veluti erga Hispanos Gallici Pontificis beneuolentiæ signa, vt clarius Lector intelligat, nonnulla ex eius epistola ad Tarraconensem & Valentinum Episcopos decerpta attente perlustret: *Visio dura nuntiata est nobis, &c. Profecto dextera Domini fecit virtutem, & faciet; dudum contra Sarracenos ipsos exaltauit Hispanias, & in posterum exaltabit: accendatur itaque Hispaniarum zelus feruere solitus erga fidem; nec illarum populi glorioſi, quos deuotionis sinceritas, honor, & gloria militia triumphalis, magnanimitas inconcussa, & imperterrita strenuitas præliorum grandi hactenus præconio extulerunt; in tanto propriæ salutis discrimine arma relinquant rubigini, otio torpeant, &c. Ad hoc autem eorum virtuosos animos illud animosiores efficiat, quod charissimus in Christo filius noster Iacobus Aragonum Rex illustris, vir in cuius manu contra eiusdem inimicos*

[a] Ioan. Mariana l. 23. cap. 25.

micos fidei directa est salus; Vir qui populi sui gloriam dilatauit persequens impios & fidei persecutores inimicos, illorum colla suo subegit imperio, ad idem negotium prosequendum contra Saracenos prædictos magnifice se accingit, &c.

Ecquis non miretur ardentissimum in promouenda re Hispanica aduersus illorum regnorum fideique perduelles Clementis studium? Pro cuius felicissimo exitu pecuniæ suppetias vt suo nomine offerret Hispalensi Episcopo mandauit, fideles ad sacram militiam pluribus Indulgentiarum donis insigniuit, Hispanosque Præsules, Regemque Aragonum ad promouendum opus amicissimis litterarum incitamentis confirmauit; postquam vero antiquam Iberorum virtutem in Saracenis excidendis pluribus verborum elogiis extulit, eosdem ad sequenda Maiorum vestigia excitauit: quæ omnia nonnisi ex addictissimo erga Hispanicos tam in sacra quam in prophana re prouentus Gallici Pontificis animo vllatenus oriri potuisse liquido constat; adeo vt illud Gregorij Magni dictum sibi hanc ob rem tacto dolore cordis intrinsecùs aptare merito potuerit[a]: *Fraternitatis vestræ afflictio tantam nobis causam mœroris iniecit, vt quia nos vnum de duobus charitas fecit, cor nostrum in vestris specialiter vri tribulationibus sentiremus:* Quare non mirum si ad supra dictæ Epistolæ calcem hæc verba subiiciat: *Cæterum quia inter curas multiplices & immensas quibus assidue angimur & distrahimur supra vires, pro instantis prosecutione negotij propensiori sollicitudine perurgemur; ad hoc nostræ intentionis aciem totaliter dirigentes, vt christianis in dictis partibus contra præfatos decertantibus Sarracenos celeri & potenti compugnatorum auxilio succurratur, & negotium ipsum nostræ prouidentiæ directum studio, Deo propitio prosperetur.*

[a] lib. 7. Epist. 111.

Poteratne Hispanus quilibet vigilantiori cura suorum regnorum commodis animum intendere, vti feliciter Clemens præstitit, qui in immensa curarum mole Pontificiis humeris imposita totam mentis suæ aciem, quanta quanta sit, in rem Hispanicis regnis accommodam dirigere profitetur? Quamobrem cum Iacobus Aragonum Rex[b] Murciam famosam ac

[b] Marian. lib. 13-15.

primariam regis ab Alfonſo auerſi ciuitatem ad deditionem coëgiſſet, audito hoc fauſtiſſimo nuntio Clemens ad Iacobum litteras confeſtim gratulatorias, ac ſummi gaudij ſignificationer efertas tranſmiſit: in quibus hæc inter cætera exultabundus protulit [a]: *Datam tibi de cælo victoriam cum multa cordis exultatione recepimus, grates debitas exoluentes, qui te ſuæ militiæ magiſtrum eligens Murciam ad chariſſimi in Chriſto filij illuſtris regis Caſtellæ dominium, à quo præſumpta receſſerat, rebellione reduxit:*

[a] Tom. 2. Epiſt. 215.

Poſt acceptam victoriam Alfonſus gratias ſupremo Numini acturus Soriam Oxomenſis diœceſis Epiſcopatu à Clemente donari petiit, qui in eiuſdem pariter regis gratiam Abulenſi Præſuli imperauit, vtex vrbe Syndone, quam Rex Sarracenis eripuerat, ad Gaditanam inſulam transferret: Eidem quoque de Granatæ proditore triumphanti per litteras eſt gratulatus, ac Toletanum inter cæteros Archiepiſcopum Cruce contra Sarracenos inſignitum ſummis laudibus decorauit; multaque illis priuilegia, qui ſub eius ſignis militiæ nomen dedere, impertiuit, vt conſtat ex litteris eidem Præſuli datis [b]: Hæc autem potiſſima inter cæteras exſtitit cauſa, ob quam idem Clemens ab affectando imperio regis animum abducere ſatagebat, cum huiuſmodi gloriæ, ac dominij ſpe implicitus, toram copiarum vim educere, animumque ad perdendos Saracenos ſerio adiicere nequiret: Cuius rei gratia plures exſtant Clementis litteræ ad Alfonſum conſcriptæ, propenſiſſima in eum benevolentia refertæ, in quibus etiam ingentibus clariſſimam eius virtutem præconiis extollit, quamuis Imperij coronam quam ille ſummopere ambiebat, eidē denegarit, vtpote quam non accepta prius Aquiſgranenſi, à ſe conferri non poſſe demonſtrauit: Item Alfonſo ſacra Lipſana poſtulante, Clemens pio eius deſiderio pretioſiſſimis ſacrarum reliquiarū ſcriniis ad eum directis cumulatiſſime ſatisfecit: Cumque adhuc è Sidone ad Gades Epiſcopalis ſedes iuxta Vrbani IV. imperium tranſlata nondum eſſet, Conchenſi, & Cordubenſi Epiſcopis, rem vt quam primum perficeretur, commiſit, quo tanti regis pia in omnibus voluntas felicem exitum ſortiretur:

Anno 1267.

[b] lib. 3. Epiſt. 69.

Ad

Ad hæc paterna Clementis in Aragoniæ regem charitas emicuit, eo maior, sublimiorue, quo spiritualis animæ profectus, æternaque salus terrenis omnibus pretiosissimis licet infinitis partibus antecellit: strenuam imprimis Clementem nauasse operam, vt Iacobum Regem carnis nimium illecebris irretitum ab impuris amoribus reuocaret, pluribus litteris ad eum datis perspicuum habetur, ex quibus nonnulla Optimi Patris monita à nobis excerpta hoc loco duximus attexenda [a]: *Proh pudor! qui bellicis laboribus Frangi non poterat, voluptatis lenocinijs emollitus, à pellicis blanditys vincebatur; Quid enim prodest Reges in campo prosternere, & ab ancilla vel seruo in domo viliter subiugari? O quantum sanguini tuo detrahis, quantum honori de rogas regiæ maiestatis!* &c. Vt autem ipsum magis ac magis ad frænandas cupiditates, studiaque virtutum inflammaret, S. Ludouici Francorum regis exempla ei proposuit ante oculos [b]: *Ea propter*, inquit, *fili charissime, Deum habens præ oculis, & illum benignissimum Regem Franciæ cum quo tibi amicitiam copulasti tibi statuens in exemplum, vide quantus in diebus tuis processeris*, &c. Quin imo cum Iacobus recuperandæ terræ sanctæ ab Infidelium manibus cupiditate succensus, sese cum ingenti classe Pontifici sacram militiam totis viribus promouenti paratum Ecclesiæ obsequio exhibuisset, Clemens grauissimis litteris, vt Berengariæ pellicis amoribus sese prius exolueret, hunc in modum hortatus est [c]: *Tua Serenitatis litteras recepimus inter alia continentes, quod ad transfretandum in terræ sanctæ subsidium pro vindicanda Crucifixi iniuria te disponere proponebas; quod licet cum gaudio receperimus, scire tamen te volumus, quod illius obsequium Crucifixus non recipit, qui incestuoso contubernio se commaculans in se ipsum iterum crucifigit:*

[a] Tom. 2. Epist. 215.

[b] Ibid. Epist. 146.

[c] Surrit. l. 3. Annal. c. 74.

Alias quoque litteras ad eum destinauit, vt Sarracenos omnes è regni sui ditione expelleret, & ne Mahometi nomen ab iis extolli pateretur, Iudæos quoque spoliaret honoribus, Christi cultum propagaret, ac Valentinæ Ecclesiæ tenuitati maioribus annuis censibus subueniret; Nunc qua ratione ad perdendos Sarracenos ipsius animum præcipue

exacuerit audiamus, quodquidem matura Christianorum Principum pōderatione dignissimū videtur: *O quam debet esse detestabile, quā amarū tibi præcipue qui à teneris annis illius cultores, & cultum infra fines ipsorum totis viribus persequendo, ad eorum exterminium laborasti, nunc ipsum in regnis tuis pati per culturā huiusmodi taliter exaltari! Nōne consideras quod per hoc detractorum linguis exponeris, qui quasi verisimiliter assererent, quod in omnibus tuis laboribus, quos nullis vitatis periculis in ipsorū persecutione ab adolescentiæ tuæ initiis pertulisti, non exaltationē fidei, sed tua venabaris cōmoda, tuis solūmodo utilitatibus intendebas.* Nec plane saluberrima Clemētis monita Aragonio regi tanto paternæ beneuolentiæ studio suggesta, non modo eiusdem regis salutis curam, sed & Pontificij in ipsum amoris intimos sensus patefaciunt, quod ipse Clemens in suis litteris aliquando testatus est his & similibus verbis: *Quocirca obtentu veteris amicitiæ, & paternæ compassionis affectu serenitatem regiam mouendam duximus & hortandam, &c.*

Anno 1268. Nec Lusitania vigilantissimæ supremi omnium Pastoris solicitudinis expers fuit: nam cum ipsius Rex Alfonsus Clerum in iis regionibus adeo affligeret, vt quamplurimi Antistites interdicta sacris Lusitania profugerint; mercatores quoque ab quibus sub vario prætextu maximam pecuniarum copiam tyrannice extorquebat, iustis apud Pontificem querimoniis Parentis vere Clementis opem imploraruint; Illuc confestim per litteras benignus Pater aduolauit, quibus regem tumultuoso cupiditatum æstu fœuientem, de officio suo monitum tandem compescuit, & ad saniorem mentem reuocauit: sedula deinde legati à Pontifice directi opera restitutus Lusitaniæ Sacrorum vsus, resque in melius compositæ: Cumque Pontifex Hispaniarum reges ad tuendam Syriam excitasset, (ea nimirum tempestate S. Ludouicus classem eidem expeditioni parabat,) Lusitaniæ Rex zelo fidei accensus Pontificis voluntati morem gerens sacro sese bello deuouit; quo felici nuntio Clemens mirum in modum exhilaratus, ipsi præmia Indulgentiarum proposuit decimas Lusitanas oneri militiæ ferendo, aliasque plures suppetias destinauit: Ex

qui

quibus omnibus peculiarem summi Ecclesiæ Pastoris Gallico genere conspicui erga Hispaniarum regna vigilantiam, potentissimosque eorum moderatores affectum, necnon indefessum seruandæ cum ipsis amicitiæ laborem mirari satis non possum; adeo vt quæ Magnus olim Gregorius [a] Alexandrino Episcopo scripsit, Clemens in suis ad Hispanos litteris absque vlla vel leuis iactantiæ nota vsurpare potuerit: *Mater & custos bonorum omnium charitas, quæ multorum corda vniendo constringit, absentem non æstimat eum, quem oculis mentis habet præsentem: Nihil igitur poterit regionum vendicare longinquitas, quippe quia scilicet longe à nobis non sumus, qui vnum sumus.*

[a] Lib. 5. Epist. 60.

Lætare Gallia tantorum Pontificum mater, simul & illustria diuini in te amoris, & plusquam paternæ prouidentiæ pignora perge mecum contemplari: En nouus de fœcundo sinu tuo prodit in supremum orbis theatrum fœtus ab auita suæ gentis nobilitate nequaquam degener, ipse est Innocentius V. nouum Galliæ Sydus, Ecclesiastico sol lucidus Hemispherio doctrinæ ac sanctitatis radiis collustrando creatus, absque mora in Hesperias Iberorum frequenti Sarracena, excursione gementium partes cursu præcipiti aduolans suauissimas ad Ouetensem Præsulem litteras dedit, quibus Decimas à Gregorio X. eius Decessore Alfonso concessas diligenter colligi ac earum solutionem negantes censuris innodari præcepit: Emicuit vero Pontificis pro Hispani regis defensione sollicitudo in Epistola ad Hispalensem Archiepiscopum transmissa, vbi sacrum cecinit classicum, ac populos ad arma capessenda validis argumentis permouere conatus est, cum Mahomades Granatæ Rex ingentibus copiis stipatus in extremum fere discrimen Alfonsi regnum adducere pertentaret: [b] *Ipsius* id est Dei, *spe intendentes*, ait Pontifex, *populi Christiani dissidiis, qua tam pernicioſus Sarracenorum ipsorum minatur aggressus, remediis quibus possumus obuiare, volentes etiam sinceritatis affectum, quem erga prædecessores charissimi in Christo filij nostri regis Castellæ ac Legionis illustris, & ipsum ab olim Romana gessit Ecclesia, euidentia operis plenius aperi-*

Innocent. V. PP. Hispan. item fuit: *Anno* 1276.

[b] Cod. Vallic. pag. 128.

re, &c, prædicationem crucis in regno Aragonum in subsidium dictis regi, regnorum, ac terrarum suarum contra sarracenos eosdem præsentium auctoritate committimus.

Non me latent ô Hispani, imo meas feriunt aures taciti quos adinuicem confertis sermones, quibus nos longiori in Pontificum Gallorum prædicationis campum oratione peruagatos insusurratis; Neque vero nos Iberorum vicissim Pontificum Gallicis fauentium rebus oblitos credatis velim; prudens quppe Lector paucos, Dei sic statuente prouidentia, ex Ibera prosapia creatos Pontifices probe gnarus, rariorem de ipsorum gestis cum vestra bona venia institutum à nobis sermonem procul dubio excusabit; si enim plures ex Hispanica gente Apostolico sanctæ Romanæ Ecclesiæ Principum catalogo inscripti censerentur, ipsi quoque amplissimam nobis eximii sui in promouenda Gallica felicitate studii materiam suppeditassent; Quod sane ex præclaris facinoribus, quæ de hisce paucioribus summis Ecclesiæ Præsulibus certa fides suggerit, ominari licet.

Anno 1274. Ioan. XXI. Lusitan. Galliæ amicus.

Sed ecce in Scenam prodit Ioannes XXI. Petrus Hispanus antea dictus, natione Lusitanus, qui anno redempti orbis millesimo ducentesimo septuagesimo sexto Petri Cathedram conscendit; sed heu! nimium breuem Pontificatus biennalis duntaxat (qui mane sicut herba transiens, vespere decidit, & exaruit) cursum ingressus, humanissimas ad Regem Galliarum dedit litteras, quibus miram sui in eum animi propensionem, necnon ingens suum de faustissimo tanti principis regimine studium palam demonstrauit: *Regalem*, inquit, *Celsitudinem rogamus, & instanter obsecramus in Domino Iesu Christo, quatenus prudenter attendens, quod datum est tibi diuinitus in orbe pro non modica parte iudicium, iustitiam diligas, & eam omnibus tuæ ditioni subiectis, non omissa tamen clementia diligenter obserues, &c. Eamdem insuper Ecclesiam matrem tuam, & præsidentes eidem, ac personas Ecclesiasticas, imo tuæ salutis auctorem per quem regnas, & regeris, in illo ministros ipsius solerter honora. In iis fili charissime laudabilis memoriæ prædecessores tuos non solum imi-*

[b] Annal. Eccl. an. 1276. 37.

tari

tari, sed excedere studeas; quin etiam te ipsum virtutum successiuis argumentis velut de virtute in virtutem progrediens, superare: illam de nobis spem certam & fiduciam habiturus, quod tuam & regni tui prosperitatem paterno zelantes affectu, eam, quantum cum Deo poterimus, conseruare studebimus, & facultate succedente fauorabiliter promouere: Pene integram Pontificis epistolam hic reddendam duximus Lectori tædium non pariturum, si in ipsius contextu saluberrima Gallorum regi tradita ab ipso documenta, summas deinde collatas in eumdem laudes, cæterorumque Franciæ Regum eius prædecessorum encomia, effusas denique in eum paternæ dilectionis flammas attente consideret: Ecquis porro dignis exprimat verbis incredibilem istius Pontificis in procuranda Francorum ad Sacra Hierosolymæ loca expeditione solicitudinem? Quis condignis efferat laudibus accensum eiusdem studio in Philippi tunc Gallias regentis pectore generosum propugnandæ fidei ardorem, quo suscepto Crucis signo omnia tantæ expeditioni necessaria maximis ærarij sui sumptibus breuissimo temporis interuallo præparauit: cui sancto celerius operi conficiendo idē Pontifex illud per summam nequitiam impedire, aut illi se pie accingentes reuocare tentantibus Ecclesiasticæ censuræ fulmina intentauit.

Aduertis, beneuole Lector, propensissimum Pontificis Hispanico genere orti animum, quo Gallorum regem, populumque ipsius ditioni subiectum aperte prosequitur, ita enim fatur in epistola ad Archiepiscopos, & alios Ecclesiarum Prælatos per Franciæ regnum constitutos: [a] *Considerantes feruentis charissimi in Christo filij nostri Philippi Regis Francorum illustris deuotionis affectum, quem ad terram sanctam ipsum habere manifestis inditiis profitetur; quodque mundi huius delitiosis otiis, quibus affluere posset excellentia regia, vilipensis, sponte seipsum abnegans, viuifice Crucis assumpto signaculo, ipsius terræ negotium contra Christiani nominis æmulos magnanimiter assumpsit, personaliter in eius subsidium, Deo præuio, prosecuturus, &c.* [a] Idem Ib.

Non diu tulit humani generis, bonique omnis infensissimus

mus hostis iacta tanti operis ad summam Dei gloriam, fideliumque commoda tendentis tam felici prouentu semi-
Matth. 13. na, *cum enim dormirent homines, venit inimicus & superseminauit zizania in medio tritici & abyt*; Nam recèns ortum inter Philippum Galliæ, & Alfonsum Castellæ reges, ob deturbatos potiundi spe sceptri ex sorore nepotes, dissidium Francorum Regem à capessendis sacræ militiæ symbolis, armisue reuocauit; Quid eo rerum sic turbatarum articulo Ioannes Pontifex acutissimo doloris sensu vsque ad intima cordis confixus meditari, quidue moliri potuit, dum ipse totus amborum principum concordiæ, necnon Asiaticorum Sarracenorum ruinæ pari studio incumberet? vnicum superfuit sollicitæ menti consilium, nempe Legatos ad Francorum Regem quantocyùs destinare, cum litteris lacrymarum suarum imbre perfusis, quibus regiam ipsius maiestatem lenire, & ad sanciendam iterum firmam, sedatis quibuscumque odiis, pacem hortatus est: nonnulla Pontificis verba, quibus mutua horum regum toties iam à nobis commendata animorum coniunctio ad viuum exprimitur, libenter
[a] Ibid n. 47. audiamus [a]: *Vehementer indoluit Romana mater Ecclesia, dum tam fideles filios, tam deuotos, quos optat ardentiùs solidæ charitatis glutino copulari, sentit in vtero collidentes, &c. re verâ & nos in stuporem deducimur, & non possunt mentes fidelium non mirari, dum principes tanta consanguinitate coniuncti, qui deberent se potiùs mutuis fulcire præsidiis, fauoribus confouere, nec in talibus susurronum vti consiliis, vel adhærere suggestionibus, quæ nequaquam de fonte charitatis emanant, sic noscuntur adinuicem aduersari*: Quibus verbis Pontifex rite asseruit Reges procerum ac susurronum consiliis nequaquam assentiri debere, quibus nouas inter eos dissidiorum ac turbarum causas importune suggerunt; vnde discordiarum flammam à susurronibus plerumque accendi clare dignoscas, cum alioquin vtriusque regni Monarchæ studiosimis mutuæ necessitudinis officiis sese prosequantur.

Anno 1277. Cæterum cum anno sequenti Ioannes atrox bellum inter Castellæ & Galliæ Reges inflammatum cerneret, Simoni

Cardi

Cardinali, vt Philippum à mouendo illo in Alfonsi ruinam belli tumultu intentatis censuris deterreret, ipsique ad Hierosolymitanam expeditionem arma conuertere persuaderet, mandata dedit: Legatos etiam ad vtrumque Regem miserat, qui eos conciliarent, quibus declarauit; *Negotium tam insigne, statumque totius religionis Christianæ contingens potissimum insidere cordi suo, &c.* Neque omittendum hic arbitror, quod cum Saraceni ex Africa in Iacobi Aragonij terras ea tempestate irruperint, Pontifex de illius regni salute sollicitus Narbonensem atque Arelatẽsem Episcopos monuerit, vt Decimæ in illius principis regno & comitatibus colligendæ, ac Terræ sanctæ subsidio in Lugdunensi Concilio destinatæ, in Regis auxilium ad debellandos Saracenos quamprimùm transferrentur: Hinc obiter attendas Pontificem ad Gallorum Præsulum opem in re tam graui confugere, ipsosque ad ferẽdas Aragonio Regi suppetias sese paratissimos exhibuisse: Quibus argumentis vigentem inter vtrosque communionem, sed tum maxime, cum de fidei incremento agitur, celebrare non desinas.

Quanta igitur animi solertia Pontifex natione Hispanus ad stabiliendam Francum inter & Hispanum Reges concordiam inuigilauerit, ex dictis abunde patet; vnde prolixiori verborum amfractu rem illam complecti, superuacaneum omnino videtur: Maiorem sane tanti Pontificis benignitas de Gallo Rege æstimationem, suamque cum ipso suæque Iberæ gentis coniunctionẽ probasset; præclariora insuper erga Gallos antistites beneuolẽtiæ suæ signa dedisset, nisi mors quæ nemini parcere nouit, tam benignum patrem mimium cito rapuisset, biennio enim, quo sanctam rexit Ecclesiam, ad nihil aliud maiori animi alacritate totas mentis vires intendit, quam vt saluberrimis Franci Regis pietatem virtutemque adhortationibus muniret, atque stabilita inter duos illos potentissimos reges concordia, validis vtriusque copiarum agminibus sacra Palæstinæ loca grassante Saracenorum peste expurgaret; Quo sollicito inprimis Ioannes studio, si longioris vitæ curriculo superstes fuisset, maiora in vtroque regno publicæ rei commoda peperisset. Eod. anno.

Martinus IV natione Gallus Hiſpan. non parum ſtuduit.

Ad Pontifices iterum natione Gallos ſeſe reflectit oratio; qua Martinum IV. patria Turonenſem de Caſtellæ regno optime meritum contemplari licet; tum ciuili bello Hiſpania ardebat Alfonſo patre è regno Sancij filij opera deturbato; Martinus cæteroqui Gallus ſummum Alfonſi dedecus, ſi qua tandem via poſſet, confeſtim auferre ſummis votis exoptauit, eumque ipſius tuendæ dignitati, tamquam naturalis ſui principis obſequio ſibi incumbendum duceret, Caſtellanis præſulibus, itemque Legionenſibus, tum etiam religioſorum equitum Magiſtris, vt præſenti ope Alfonſo ſubuenirent, mandata litteris quam potuit efficaciſſimis tranſmiſit; Quin & omnem adhibuit operam, vt Hiſpanos minis ac terrore ab Alfonſi obſequio auerſos ad eius partes fidemque ipſi religioſe ſeruandam reduceret; quam ob rem ſacramentum quo ſeſe Sanctio deuinxerant, reſcidit: Verum nonnulla optimi Pontificis verba, tanquam clariſſima in Hiſpanum principem amoris indicia attenta aure excipiamus: *Hæc dum paterno penſamus affectu*, [Sic loquitur in Epiſtola ad Magiſtros Templi, S. Iacobi, Calatrauenſis, & Alcantaræ militiarum, ac Capitula, &c.] *in dicto rege tanquam in prædilecto Eccleſiæ filio tam grauis oppreſſionis opprobrium, eidem tanto ſingulariori charitate compatimur, quanto ſpecialius ei vulgaris aſſiſtit opinio, &c. Vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eidem Alfonſo regi efficaciter intendentes, omnes ciuitates munitiores &c. dimittatis.*

Grauiſſimis quoque litteris Martinus Sancium contra Alfonſum tumultuantem, ac nuptias cum Maria, quam tertio conſanguinitatis gradu attingebat, celebrantem admonuit, multiſque verbis de tot & tantis contra Deum paternumque amorem facinoribus ab ipſo perpetratis apud eumdem expoſtulauit in hunc fere modum, quo Richardus Cantuarienſis Archiepiſcopus Henricum Henrici II. Anglorum Regis filium hortatur diſerto Petri Bleſenſis Cancellarij ſui ore, vt à bello, quod in parentem ſuum mouerat, abſiſtat, & ni faciat, excommunicationem minatur: *Si quid durum*, inquit, *tibi locuturi ſumus, Illuſtriſſime princeps, ſuſtine patienter, nam ex abundantia cordis, & vehementia doloris os loquitur:*

Epiſt. 47.

Non

Non feras moleſte, ſi rogamus quæ ad pacem ſunt, ſi operam damus, vt conuertantur corda filiorum ad patrem; Dolemus, doloremque diſſimulare non poſſumus, quia patrem tuum perſequeris; In quo offendit, in quo gratiam tuam demeruit pater tuus? Tibi, non ſibi viuit; Tuum eſt quicquid poteſt, quicquid ſcit, quicquid facit, quicquid congregat, quicquid habet: Vbi eſt filialis affectio? vbi eſt reuerentia patris, vbi eſt lex naturæ? vbi eſt timor Dei? vbi ſunt ſacramenta illa quæ patri tuo coram nobis corporaliter præſtitiſti, &c. & poſt medium: *mihi videtur degenerare filius, cuius voluntas à paterna voluntate diſſentit, nam eius caro & ſanguis eſt, & de patris eſſentia ſuam eſſentiam mutuauit: Auelle à ſole ſolis radium, & non lucet, riuum à fonte, & areſcit, ramum ab arbore, & ſiccatur, membrum à corpore & putreſcit, ſepara filium à deuotione paterna, & iam non eſt filius, ſed frater & collega eorum quibus dicitur: Vos ex patre diabolo eſtis.*

Neque minori ardore compoſitis vtcumque Caſtellæ rebus ad Aragonias animum conuertit; ſed Aragonius Rex ſui prorſus erga patrem immemor officij, tanti Pontificis beneuolentia ſeſe quodammodo indignum præbuit: Eiuſdem Martini ſemper vigilans ſtudium in Luſitaniam vſque penetrauit; nam labefactata iamdudum in illo regno Eccleſiaſtica libertate, Pontifex octo articulos à ſe emendatos ad Dionyſium Luſitaniæ regem miſit, vt eos ab Apoſtolica ſede confirmari poſtularet: videndæ in hanc rem Martini litteræ ad Legionenſes Epiſcopos tranſmiſſæ, quas breuitati conſulentes præterimus. *Anno 1274.*

Clementis V. è Burdegalenſi Diœceſi prodeuntis præcipua in Hiſpanicam gentem amoris inſignia ſeſe noſtris ingerunt oculis, qui primo ſui Pontificatus anno Montem peſſulanum petiit, vt in ea vrbe cum Rege Aragonum colloqueretur; quod Surita teſtatur[a] cuius quidem conuentus hæc cauſa exſtitit, vt ſicuti Rex apud Bonifacium clientem Sardiniæ & Corſicæ nomine præſens ſeſe profeſſus erat, ita idem Clementi in præſentiarum officium deferret: Extant ipſius Iacobi directæ ad Pontificem litteræ: *per quas,* *Anno 1305. Clemens V. in fouendis Hiſpan. nulli inferior.*

[a] lib. 5. c. 68.

ait, *etiam fatemur, & recognoscimus expresse dictum Sardiniæ & Corsicæ regnum à Domino Summo Pontifice, & Romana Ecclesia susceptisse in feudum, &c.* confirmasse autem Clementem ea regna in Iacobi fauorem post accepta solemni ritu Pontificia insignia habet M. S. Vaticanum: dedisse itidem Iacobo litteras, quibus ei quadriennales Decimas in ipsius regnis concessit, tum etiam ad leuandos expeditionis, quam instruebat, sumptus iussisse ommnes anathematis vinculis ob inuectas ægypto merces irretitos liberari; Venditionem quoque nonnullorum locorum, quæ Hospitalariis distraxerat, concessisse Surita testatur [a]: Quæ omnia nonnisi peculiaria Pontificiæ in Aragonium beneuolentiæ argumenta proclamauit; vix enim ad Petri sedem euectus, augendæ eiusdem Regis felicitati totum se applicuit, à quo paterni amoris in eum studio ne latum quidem vnguem deflexit, vt ex pluribus ad eum scriptis litteris, ac præcipue ex Epistola ad Valentinum data aperte colligitur: [b] *Læti profecto, & cum exultatione referimus*, inquit, *quod charissimus in Christo filius noster Iacobus Aragoniæ, Valentiæ, Sardiniæ & Corsicæ Rex illustris ad ipsius obsequia Redemptoris diuino flamine inspiratus propriam volens personam exponere, ac laborum & expensarum onera tanquam Christi pugil ad acquisitionem regni Granatæ feruenter intendat subire, &c.*

[a] Id. lib. c. 98.

Anno 1309.

[b] lib. 4. 329.

Quod ad res Castellanas pertinet, haud impar exstitit pro earum incremento Pontificis cura; nam Ferdinando Castellæ Regi, Aragonio ad dictum opus coniuncto, in Crucesignatorum stipendia Ecclesiasticas regnorum illius Decumas impertiit, qua de re eidem regi litteras dedit: Tum male congestas fœnore & rapinis opes, quarum veri Domini non reperirentur, in eiusdem belli sumptus destinauit: Gundisaluum Toletanæ sedis Præsulem ad promouendam Granatẽsem expeditionem per litteras adhortatus est, eumque sedis Apostolicæ Legatum in Ferdinandi regnis constituit; cuius Epistolæ nonnulla verba tanquam viuos summæ Clementis amicitiæ Characteres in ipsum Castellæ principem hic referre placet: *Ferdinandus* [c] *Rex Castellæ illustri mentem suam dirigens in spiritu pietatis ad Christum, & in ipso*

[c] lib. 4. 369.

ipso perficiens vota sua, in terris corpore militat, & cælestem militiam ad quam aspirat, animo contemplatur; ipse quidem velut in summo bono diuini spiritus munere confirmatus cogitando quærit assidue, & quærendo studio summo laborat, vt altissimo placeat, &c.

Pergit Pontifex se ardentissimo tam ardui operis promouendi desiderio teneri, vtque Rex, quem singulari amore complectebatur, eo conatus suos feliciter intendere valeret, Gundisaluum, vt omnẽ præstatet operam, admonuit: Cum excitata est in castris Capellæ Regis dissensio, Algeziræ primum, deinde Maceriæ obsidio ab Aragoniis & Castellanis parum felici euentu dissoluta est; Quare Ferdinandus, instaurato cum Aragonio Rege armorum fœdere, pro Granatensi reassumenda expeditione Oratorem ad Summum Pontificem, vt suppetias ab eo flagitaret, ordinauit, quem solita Clemens humanitate excepit, atque ad comprimẽdam eorum improbitatem, qui ab incœpta expeditione animum reuocassent, Hispalensi & Compostellano Archiepiscopis, Legionensi & Saguntino Episcopis imperia dedit, vt censuris Ecclesiasticis eos percellerent: Iussit quoque Toletano & Pamorensi Præsulibus, vt decimarum partem pro Granatensi expeditione ab ipsis collectam Ferdinando quamprimùm erogarent, ac suppetias omnes regi offerrent, vt inchoatum feliciter opus prosequeretur. Annal. Eccl. Anno 1310.

Nec absimili vigilantia amplificandis in Hispania scientiis Clemens sese applicuit: Et vero cum Palentina Academia, quam, vt diximus, Salmanticam Ferdinandus traduxerat, ob subducta magistris stipendia à primæuo eruditionis flore paululum deficeret, Pontifex in Berẽgarij Compostelani Archiepiscopi gratiam, à quo de hoc Litterarum decremẽto edoctus fuerat, tertiam partem tertiæ ex Archiepiscopatus Compostellani Decimis in Doctorum stipendia assignauit. Anno 1313.

Porro quæ hactenus à nobis de Gallorum Pontificum in Iberorum gratiam collatis paternæ amicitiæ beneficiis minùs eleganti forte stylo recensita fuere, non mediocri digna pretio, Sapientumque æstimatione nemo non dixerit: Ve-

rum quid hæc, quanta & qualiacumque tandem fuerint, si cum studiosissima Ioannis XXII. Pontificis patria Cadurcensis erga Iberos sollicitudine conferantur, exigua profecto veluti sydera ad magni solis mane exorientis aspectum disparebunt, cum immenso istius lumine penitùs obscurentur.

Ioan. XXII. PP. supra omnes Gallos Pont. Hispan gratus.

Annal. Eccl. Anno 1318.

Et iam Christi annus trecẽtesimus decimus octauus supra millesimum voluebatur, cum è Castellana stirpe regia princeps alter Alfonsi pueri regis tutor qui aduersus Granatenses Saracenos accepto Crucis Symbolo arma capere solemni voto statuerat, propterea cum Pontifice egit, vt pro sua paterna in fideles Christianos benignitate tam diuina quam humana sibi subsidia conferre dignaretur; Cuius iustæ ac piæ postulationi libenter annuens Pontifex, Compostellano ac Cordubensi Episcopis imperauit, vt Ioannem principem in Granatensis belli societatem adsciscì curarent, ac nonnullas certis legibus Decimas attribuerent: Quin & iisdem iniunxit, vt alias item Decumas in Granatense bellum deriuarent, necnon ad sanciendam inter proceres concordiam totis viribus incumberent, ne cœptum contra Saracenos prœlium ciuilium discordiarum tumultu penitus diri-meretur.

Hoc eodem anno ad maiorem Aragonij regni splẽdorem, vnicum in toto regno Tarraconensem Archiepiscopatum diuisit, sedẽque Cæsarauguſtanam Episcopalem in Archiepiscopalem erexit: nec certe vel vnico quiescere momento potuit toto eiusdem pariter anni curriculo Sol iste Christiano orbi mirum in modum beneficus, quippe qui vniuersas Hispaniæ plagas citato cursu perlustrans, statim atque Lusitaniam attigit, suos cõfestim fœcundos pacis, bonorumque omnium influxus in illius sinum abunde effudit; Cum enim in illa regali domo contra præscriptas à natura Leges Alfonsus Dionysij Portugalliæ Regis primogenitus sui in patrem officij immemor, eo contumaciæ deueniſſet, vt in parentem rebellis instar Absalonis arma mouere non dubitaret, Ioannes Pontifex optima veluti mater incredibili tactus dolore cordis intrinsecus, suaque moueri, imo à vipe-

rino

rino lacerari filio viscera sentiens, heu me miserum, inquit, vt quid filios enutriui & ablactaui, ipsi autem spreuerũt me, & abierunt retrorsum! statimque per litteras verbis quam potuit efficacissimis ipsum degenerẽ filium de naturali præscripto lege erga patrẽ monuit officio, deque motis in ipsum armis sapienter corripuit; necnon S. Elizabetham Reginam ad conciliandam patrem inter ac filium reges pacem litteris singularem affectũ redolentibus est adhortatus: Dionysium vero regem Sanctorum reliquiis cohonestauit, à quo vicissim regio quater mille aureorum munere donatus fuit.

Sequentibus vero annis cum in Lusitania magis ac magis dissensionum flamma efferuescceret, suspicante nimirum Alfonso Dionysium patrem de sceptro in Sanctium spurium transferendo meditari, Pontifex iniquos susurronũ dolos, falsumque rumorem dissidij omnis fontem suis litteris damnauit; necnon Archiepiscopis, Episcopisue imperia dedit, ne falsis huiusmodi calumniis aures ac fidem præberent, quin potius in conciliandis patris, deceptique filij animis tota contentione niterentur. *Anno* 1320.

Hoc itidem anno Ioannes ad propulsandos Saracenorum conatus, qui ex reportata superiore anno Granatæ victoria fortiores euaserant, vt classis validissima compararetur, quæ ipsos traiectu arceret, sedulam nauauit operam: quem ob finem Lusitaniæ Regi triennalem Decimam ex sexennali in Concilio Viennensi statuta in illius classis sumptus deriuandam attribuit; tum religiosorum Equitum S. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, & Hospitalariorum copias egregie instructas pro tuendo à barbarorum excursionibus limite Christiano alere decreuit: Numquid Iberum potius quam Gallum genere dixeris, qui talia ac tanta in Hispanicæ gentis defensionem, etiam cum proprij census iacturâ conferret? leuiora sunt ista; Et iam plura Pontificij studij insignia ad Iberorum salutem, maiusue incrementum liberali manu collata mecum Lector admirare: Cũ enim hoc ipso anno ad Ioannis aures intestina dissidia peruenissent, quæ Castellani regni statum, de pristino gloriæ statu deiectum susdeque commouebant, proximamque ipsi ruinam minabantur Mariana li. 25. 17.

ob

ob Ioannis & Petri principum Alfonsi impuberis Tutorum mortem, Ioannem Emmanuelem Apostolico zelo admonuit, vt Tutoris nomine officioque abstineret, Compostellano itidem, Toletanoque Archiepiscopis, Episcopoque Burgensi prouinciam dedit, vt ad sedandas principum discordias omne studium adhiberent.

Anno 1321. Mysticus porro noster Ecclesiæ sol tanquam sponsus procedens de thalamo suo exultauit vt Gigas ad currendam viam, sed Aragonios potissimum versus fines, quibus anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo primo rectis imminens radiis piissimum Iacobi Aragonij Regis opus promouit, quo multos Fideles, è Saracenorum crudeli iugo, pluresque nobilitate insignes dura barbarorum huiuscemodi seruitute redemit; Quare cum idem Rex onustas mercibus naues mittere decreuisset, facultatem à Pontifice expetiit pro illis qui merces Asiaticis Sarracenis inueherent: Eius votis Pontifex annuit ea conditione, vt ferrum lignaque conflandis nauibus apta Soldani terris non inferrẽt: Præterea Compostellanæ Ecclesiæ controuersiam composuit, & ad vindicanda Tarraconensis Ecclesiæ antiqua iura, quæ in Balearibus insulis obtinebat, grauissimis litteris Sancium Maioricarum Regem, vt ab aliis inuadendis sibi temperaret, admonuit: Ex qua Pontificis vigilantia in Hispanicæ rei tam politicum quàm Ecclesiasticum prouentum, ipsi iure optimo aptari fas est quod de Alexandrina Ecclesia Magnus scripsit Gregorius: *Est aliquid quod nos erga hanc Ecclesiam quadam peculiaritate constringit, & in eius amorem proniores existere speciali quodammodo lege compellit.*

S. Greg. lib. 5 Epist. 60.

Anno 1325. Sed & anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo quinto cum Dionysius Portugalliæ rex communi naturæ lege è viuis sublatus esset, tanti Regis Ecclesiæ commodis nimium acerbæ morti incredibili doloris sensu Iusta persoluens Pontifex, relictam viduam nempe S. Elizabetham litteris solari voluit, eamdemque de filio virtutibus sollicite excolendo admonuit; Quas quidem litteras, aliasque ad eamdem datas summi amoris significatione plenissimas consulto hic breuitatis causa, sicut & pleraq; alia, omittimus; nam

si sin

si singula huiusce Pontificis priuilegia ac præcipui amoris studiique in Iberos insignia hic vellemus recensere, nimiæ prolixitatis vitio arguendi censeremur: Prætereundum vero non est [a] Alfonsum Castellæ regem cœptum in Saracenos bellum vrgere cupientem à Ioanne Pontifice continuo suppetias flagitasse, ac Ioannem Episcopum Conchensem & Petrum electum Carthaginensem Oratores legasse, vt fidem regiam ad seruanda ea de re sancienda pacta obstringerent: Extant litteræ ad Pontificem, & vicissim Apostolicæ ad Alfonsum datæ; sed quia sacrum huiusmodi bellum grauissimæ dissensionis tumultu, quæ Alfonsum inter ac Ioannem Manuelem regia stirpe natum recruduerat, maxime turbabatur, Pontifex eius sedandæ gratia, Petrum Cardinalem Carthaginensem olim Episcopum in Castellam direxit, vt Alfonso, quominus dissidia remoueret, persuadere conaretur; Imo vt omnia studia conciliandis dissidentium animis adhiberet, maioriue ad optatum pacis exitum rem perduceret auctoritate, pileum Cardinalitium, quamuis ea tempestate nonnisi Pontificis ipsius manu de more acciperetur, in Hispanias ei transmisit; Item litteris summos Castellæ proceres excitauit, vt Legatum in hoc promouendo fœdere totis conatibus iuuarent: Tanta igitur Ioannis studia pro componendo ciuili Castellæ statu irrita nequaquam fuere, cum anno sequenti sancitum fuisse concordiæ fœdus Mariana [b] affirmet.

[a] Anal. Eccl. an. 1318.

[b] Lib. 15. c. 11

Anno sequenti Aragonum Rex Alfonsus solemni ritu Pontifici Sardiniæ ac Corsicæ regnum se ab Apostolica sede recepisse, ac dictas à Bonifacio VIII. leges seruaturū professus est; Quare Pontifex Ioannem olim Archiepiscopum Toletanum in Patriarcham Alexandrinum electum Regis ipsius Germanum fratrem litteris designauit, quibus exigendi à fratre Romanæ Ecclesiæ nomine sacramenti prouincia additis nonnullis legibus imposita fuit: Cæterum cum Aragonius Rex Eleonoram Reginam Cypri Friderici Trinacriæ regis patrui sui filiam sibi matrimonio sociari percuperet, respuit Pontifex postulatam ei concedere di-

Anno 1319

spensationem, ne Fridericus Ecclesiæ hostis recenti ea affinitate cum Aragoniis sese arctius coniungeret: Regem vero Pontificiæ voluntati aliquatenus obluctari visum, repulsamque in hac re grauiter admodum ferentem Pontifex per litteras summæ suæ erga ipsum dilectionis non obscuros indices admonuit huiusmodi coniunctionem periculo non carere, decretarum aduersus vetitas nuptias contrahentes pœnarum grauitatem expossuit, eumque variis, iisque potioribus suggestis rationibus, vt morem sibi gereret, toto animi affectu est adhortatus; Quare Alfonsus Pontificiis monitis, Ioanna Gastonis Comitis Fuxensis sorore thoro sibi iuncta, obtemperare decreuit.

Eadem fere tempestate Alfonsus Castellæ rex veniam à Pontifice de contractis cum Maria Regis Lusitani Alfonsi filia vetitis nuptiis supplex postulauit: Cum autem Ioannes Regem non ob Ecclesiasticæ auctoritatis contemptum, verum pro asserenda publica pace ad huiusmodi nuptias conuolasse animaduertisset, iniuncta ipsis ad expiandum crimen pœnitentia, irritum matrimonium pro publico pacis commodo pronuntiauit: Et hæc de ardentissimo Ioannis erga Hispanos studio dicta sufficiant; monitum tamen velim Lectorem à nobis plura paternæ ac singularis eiusdem Gallici hominis erga Iberos beneuolentiæ insignia silentio prætermissa fuisse, quæ apud scriptores qui res Ecclesiasticas & Hispanicas stylo prosequuti sunt, facile reperientur.

In medio Pontificiæ erga Iberos munificentiæ stadio Cœlum nobis fauere videtur, cum nouam promanantis
Anno 1314. ipsorum super regnum Gallicanæ liberalitatis venam aperiat, nam Benedictionem omnium gentium in Benedi-
Bened. XII. Pont. Gall. in Iber. amor. cto XII. genere Tolosano ipsis profusissima bonorum omnium copia concessit; Hic nempe Ioanni XXII. sicut in Apostolico fastigio, ita & in paterna, singularique erga Iberos dilectione, vt ex mox dicendis liquido patebit, vnanimi purpuratorum Patrum consensu successit; Ipso Pontificatus initio
Anno 1315. institit Francorum Rex apud Benedictum, vt Genuenses cum Alfonso Aragonum & Iacobo Balearium Regibus

decer

decertantes vna coniungeret: Hac autem legatione pacis commoda sectante Pontifici quid gratius, optabiliusue accidere potuit? cumque sollicitus pater ad conciliandam carissimos inter filios concordiam stimulis nequaquam indigeat, extemplo Benedictus, vt ad fœdus ineundum Oratores suos ad Apostolicam aulam quamprimum mitterent, eos paterne monuit; Quibus æquissimis tanti parentis votis obsequentes filij vna omnes assensere, proximo siquidem anno inducias inter eos sancitas fuisse Folieta testatur: Extant Pontificis litteræ altero post eius electionem anno Aragonio datæ regi de præstita ab ipso Sardiniæ ac Corsicæ noui iuramenti securitate; Aliæ itidem ad Archiepiscopos & Episcopos in regnis constitutos scriptæ, quibus plerosque Ecclesiastici ordinis fœda libidinum contagione infectos arguit: [a] *Non sine displicentia magna*, inquit, *& mentis turbatione percepimus his diebus, quod nonnullæ personæ tam Ecclesiasticæ quam sæculares illarum partium, etiam in dignitatibus, & aliis Ecclesiasticis & sæcularibus præeminentiis, &c. Supponimus equidem indubie quod si cultores perfidi Mahometi, qui vicini in partibus illis existere dignoscuntur, puritati vitæ Prælatorum, & aliorum Christicolarum aliis præsidentium nequirent veraciter detrahere sic licenter, infideles ipsi Christum Dominum nostrum blasphemare, cultum Christianæ religionis vilipendere, ac Christicolas inuadere non auderent, &c.* [a] Lib. 6.

Attendant, quæso finitimi infidelibus, hæreticisue Christiani, proh! quantum prauis eorum moribus fidei detrahitur, cum eius perduelles visis Christianorum, Catholicorumque nefandis operibus, quæ sacris Ecclesiæ dogmatibus è diametro aduersantur, fidem irrideant, suisque exinde nociuis pertinacius erroribus adhærescant: Quare Augustini verba etiamnum nobis liceat vsurpare: [b] *Et si alius forte temporibus dicere non audemus, saltem necessitas exponendi* [Pontificia verba commentandi occasio dicam Ego] *habeat libertatem corripiendi: Qui sunt inimici Ecclesiæ? Pagani? Iudæi? omnibus peius viuunt mali Christiani; vicinis meis nimium opprobrium factus sum,* [b] Aug. in Ps. 30.

id est qui mihi iam appropinquabant vt crederent, hoc est vicini mei nimium deterriti sunt mala vita malorum, ac falsorum Christianorum; Quam multos enim putatis velle esse Christianos, sed offendi malis moribus Christianorum?

Anno 1336. Ad ipsum quoque Castellæ regem grauissimas litteras dedit, quibus eum ad rescindenda laicorum vitia est adhortatus; Tertio autem sui Pontificatus anno Benedictus haud imparem in conciliandis Aragoniæ dissidiis, noua Petri in regem promotione exortis, nauauit operam; [a] Alfonsus Rex Iacobum filium natu minorem ex priori coniuge susceptum Vigelitanum principem crearat, liberisque quos ex Eleonora Regina susceperat, amplos principatus reliquerat; cumque Petrum Regem inter & Reginam Eleonoram simultates essent exortæ, Pontifex, vt controuersias dirimeret, Apostolicos Nuntios misit, vt regem ipsum cum eadem Eleonora Regina ac liberis, eorumque Tutore, tum etiam Aragonium & Castellanum Reges stricto amicitiæ vinculo coniungerent: Petrum vero è Luna Cæsarauguſtanum Episcopum id ægre ferentem merito Benedictus obiurgauit, hancque præposteram ipsius agendi rationem ab Archiepiscopali munere prorsus alienam asseruit, cum assidua procurandæ pacis optatæ cura potius ipsi ex officio incumberet; tum subdit: *Nos qui prafatum Regem Aragonum vasallum nostrum & Ecclesiæ sincere diligimus, quod sic ducatur in præcipitium, & domus sua regia subuersionis subijciatur periculis, non intendimus quantum in nobis fuerit tolerare:*

[a] Surita l. 3. cap. 34.

Expende, Lector, amantissimi patris erga carissimum filium sinceri amoris verba, quibus & sequentia adiungas [b]: *Si gesta claræ memoriæ Prædecessorum tuorum* (ita Pontifex Aragonio Regi eum ad pacem inuitans scribit) *laudabilia recensueris, & diligenter recolueris intra præcordia mentis tuæ ad eorum imitanda vestigia, vt credimus, operosis studijs curabis dirigere actus tuos: Ipsi quidem, sicut habet antiquorum narratio digna laude, pacis & iustitiæ ac libertatis Ecclesiasticæ amatores, nutrita & seruata concordia pacis & vnitatis, in domo propria defensores pauperum, pupillo*

[b] Tom. 2. Epist. 386.

pupillorum, &c. Seque pro defensione ac dilatatione fidei Catholicæ aduersus hostes eiusdem intrepide reddiderunt pugiles & athletas, &c.

Pari studio ad extinguendam inter Lusitaniæ & Castellæ reges dissensionem incubuit: Quare cum Pontificis Legatus à Lusitano inducias obtinuisset, Benedictus actis Lusitano gratiis, ad Castellani flectendum animum se conuertit, variisque rationibus ad arma deponenda eum incitare conatus est: Verum commendanda præ cæteris est (vt recte Continuator Annalium Baronij obseruat[a]) sollicitudo Pontificis, qui ex Apostolico munere, quo publicis omnium regnorum Christianorum vtilitatibus consulere obstrictus erat, cum Aragonium priorem à seditiosis viris in prœlia ciuilia coniici dignosceret, solemnes regni conuentus ad pacandum regnum fieri imperauit, præcipuumque regij consilij præfectum dissensionum auctorem ad sedem Apostolicam causæ dicẽdæ gratia accedere coëgit: Itaque Pontificis studio ciuilis discordia sedata; redditaq; Aragoniis pace, Benedictus Regi per litteras est gratulatus, ad eamque sollicite conseruandam in regni sui maius incrementum est adhortatus:

[a] Anna Eccl. an. 1333. n. 24.

Neque vero tantillum intepuit tanti Pontificis erga Iberos amor, imo nullum sui Pontificatus annum elabi passus est, in quo peculiari sollicitudine componendis tum Ecclesiasticis tum ciuilibus eorum rebus non desudarit, vti Lector facile vna mecum deprehendere poterit. Quinto igitur labente Pontificatus anno Petrum Aragonium monuit, ne *Anno 1338.* Roberto bellum inferret, sed cum Iacobo Balearium rege fœdus iniret, vt hic aduersus Garporum regem sæuissimum fidei hostem magnos belli apparatus instruentem decertaret; Quin etiam Aragonios proceres, ac Petrum Cæsaraugustanum & Arnaldum Tarraconensem Archiepiscopos monuit, vt illam apud regem controuersiam dirimere curarent, ex qua tam præclara religioni accessio, fusis fidei hostibus, in Aragonios deriuanda foret: Augebat hostium animos Fidelium discordia, nondum enim pacata omnino Aragonia, Castellæ ac Lusitaniæ reges inter se dimicabant; Apostolici tamen Legati studio inducia inter reges fœliciter sanc-

citæ sunt, vnde Benedictus Castellæ regem amantissimis litteris est prosequutus, vt ad pacem componendam sese compararet, pellicemque Gusmaniam, ob cuius amorem & in regnum assumptionem, posthabita Maria vxore, Lusitanus furore accensus, bellum aduersus eum mouere coactus fuit, à se quamprimum remoueret: *Sic te*, [a] ait, *fili benedictionis & gratiæ super ijs habiturus, quòd meritò Rex dici debeas pacificus, &c. Quid autem exinde vulgus non solum in regnis & terris tuæ ditioni subiectis, sed vbique per totum orbem de te clamet; attende fili quæsumus, & considera diligenter, si vox communis, quæ tantum regem vociferatur publice adulterum, & fama claritatem obfuscat nominis regij, dulcis vel amara esse debeat in auribus cordis tui*, &c.

[a] lib. Eod. Epist. 191.

Ad hæc grauissima Pontificis monita diligenter attendere velim totius Christiani orbis non modo Principes, sed & Ecclesiæ Ministros, ita vt vulgi de se opinionem, sparsosque rumores nequaquam contemnendos putent, quibus eorum fama sæpissime non parum obscuratur; Quare ipsius Christi [b] exemplum secuti non suos duntaxat familiares, imo etiam nonnullos interdum à se longius dissitos interrogare non dedignentur; Quem me dicunt homines esse, ab ipsis humillimo animi sensu exquirant, iuxta saluberrimum Petri Damiani placitum [c] *Scilicet vt rex Angelorum formam daret rectoribus hominum, quatenus non quid in os eorum assentatorie dicatur, attendant, sed quod eorum testimonium apud absentes habeatur, inquirant:* Pontificiis obtemperare monitis Castellanus princeps visus est, siquidem Benedicto arma, quibus Lusitanum impetebat, fœdere cùm ipso inito, aduersus Saracenos sese conuersurum significacauit, quem Pontifex, datis ad eum litteris, de pacis cum fidelibus ictæ, ac bellorum in perduelles commodis instruendum curauit [d]: *Fili carissime*, aiebat, *quia respondendo exhortationibus & monitis nostris salubribus de fonte charitatis, qua te velut benedictionis & gratiæ filium prosequimur, vtique manantibus*, &c.

[b] Matth. 16.

[c] lib. 7. Epist. 12.

[d] Tom. 4. Epist. 322.

Sequen

Sequenti autem anno supra millesimum trecentesimo trigesimo nono cum Aragonius Rex impia Ludouici Bauari in Pontificiam auctoritatem decreta audiuisset, Apostolicæ dignitatis tuendæ zelo incensus, suam Benedicto aduersus Bauarum opem ac copias obtulit, cui Pontifex gratias egit, eiusque eximium in vindicando Ecclesiæ iure, seruandoque Apostolicæ sedis honore studium pluribus commendauit: *Anno 1339.*

Quod ad res Castellanas attinet; hoc eodem anno Ianuenses à Pontifice moniti, vt cum Castellæ Rex ad ipsos conducendarum nauium, classisue instruendæ gratia, quo promptius Infidelium conatus retunderet, nuntios misisset, promptis animis ipsi adessent, remque Christianam alacri animo promouere non desisterent: Nouæ item litteræ Castellæ regi à Pontifice datæ, quibus inter cætera cum Lusitano fœdus sancire imperauit: studebat insuper vigilantissimus Hispaniarum Parens (tali enim titulo eum cohonestari fas est, qui rerum ad Iberorum quietem ac felicitatem spectantium studiosissimus videbatur) cæteros Hispaniarum reges arctiori fœderis vinculo nectere, vt imminenti ex barbarorum irruptione discrimini validioribus copiis occurrerent: Incalescente autem inter Aragonum & Balearium reges dissensione, ad eam extinguendam officiosissimas vtrique litteras direxit: Paruisse tandem Apostolicis adhortationibus Iacobum Maioricarum Regem, clientelaremque Petro Aragonio sponsionem exhibuisse Surita[a] affirmat: [a] lib. 7. c. 47.

Porro conciliatis Hispaniarum regibus Granatenses & Africanos debellare facile fuit, de qua insigni victoria Benedictus Alfonso Castellæ regi per litteras est gratulatus: Ad eumdem pariter hoc anno aliæ Pontificis litteræ delatæ, quibus ipsum perstringit, quod Ecclesiæ opes ac Sacerdotum vectigalia occupasset[b]: *Vtinam fili,* (inter alia sic fatur Pontifex) *charitatem progenitorum tuorum, qui non solum ab offensis abstinentes Ecclesiæ, sed etiam potius in obseruatione ac ampliatione immunitatum, libertatum, & iurium viuentes à Deo & ipsa sancta Ecclesia meruerunt honora-* [b] Tom. 5. Epist. 261.

honorari) diligenter attendentes, & repulsis quorumuis malitiosis & dolosis suggestionibus, studeres perspicacius eorumdem progenitorum recolenda vestigia imitari, &c.

Ne patiamini ô principes, quominus vobis è memoria excidat sapientissimum hoc tanti Pontificis monitum, quo ad sectanda pietatis vestigia à vestris iamdudum Decessoribus trita, complanataque inflammemini; sic enim Venerabilis Beda dictum illud Exodi: *Sumes duos lapides, & sculpes in eis nomina filiorum Israel*, suo illustrauit commentario: [b] *Vt populus*, inquiens, *scripta in veste præsulis sui patrum nomina videns, curaret sedulo, ne ab illorum meritis desciscceret*; Quod & de Boleslao IV. Poloniæ Rege probati memorant authores, qui pendentem è collo patris sui in aureo sculptam numismate imaginem semper gestabat, cumque magni negotium aliquod momenti sibi agendum incumberet, accepta in manu parentis optimi effigie, *Non me permittas, ô pater*, inquiebat, *tuæ virtutis degenerem, indignum aliquod tua illustri prosapia facinus perpetrare*; quibus verbis ex paternæ imaginis aspectu tanto ad ipsius virtutis terenda propius vestigia inflammabatur ardore, vt leuissimæ cuiuslibet vitiorum maculæ expers, singularem nominis sibi famam apud posteros compararit: Atque vtinam Supremi regnorum arbitri Maiorum suorum parentumque nomina, virtutumque exempla interdum attenta mente reuoluerent, profecto ab Ecclesiasticæ rei amplificandæ, necnon à Romanæ Ecclesiæ tuendæ studio ab ipsis generose impenso, tum etiam à primæua morum disciplina eorum opera subditis restituta, ad laudabilem ipsorum virtutis imitationem mirum in modum accenderentur:

Exod. 28.

b Beda in hunc locum.

Cromer. in hist Polon. & alij.

Anno 1340. Vix sequens annus volui cœperat, cum Mauritaniæ Rex maximos belli apparatus, superiori clade quam elapso anno acceperat, efferatus ad inuadenda Hispanica regna comparauit; quamobrem Castellæ Rex nuntios ad Pontificem misit; vt ab eo suppetias acciperet; Benedictus pro sua in Iberorum salutem propensione, mox Conchensi & Abulensi Episcopis imperia dedit, vt ad sacra arma capessen

capeſſenda fideles excitarent, ac proinde Decumas triennales ad ſumptus bellicos deſtinandas Eccleſiaſticis impoſuit, Indulgentiarumque munera, caſtra ſecuturis, vel ſtipem pro iis collaturis erogauit; Alfonſo itidem litteras dedit, in quibus eximiæ in eum dilectionis monumẽta euidenter apparent, & poſt plura ſic loquitur: *Quamuis igitur Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis regnorum & terrarum tuorum prædictorũ paterno compatiamur affectu, ac inuite ipſis grauamina imponamus; attendentes tamen vrgentem & probabilem ſupplicationis huiuſmodi cauſam, & præſuppoſitæ neceſsitatis inſtantiam, votis tuis ſuper præmiſsis eo libentius annuendum fore præuidimus, quo illa Apoſtolici fauoris fulcienda, & iuuanda præſidiis magis vtile & expedire exiſtimauimus, &c. In terris quoque cæteris & locis in dicto regno Granatæ & aliis terris per dictos Agarenos detentis, tam per te forſitan acquiſitis, quam qua diuina ſuffragante virtute acquiri contigerit, in futurum conſtrui, & ædificari volumus Eccleſias, &c.*

Subdit deinde nequaquam permittendum peregrinationes ad Mecham iniri, vel alta voce Mahumeti nomen proclamari, ac Decumas in comparandis bello agris Sacerdotibus ſoluendas; Singula beneuolo Lectori Pontificij amoris in Caſtellanum regem inſignia diutius expendenda relinquamus neceſſe eſt, quæ ſi omnia fuſiori orationis ſtylo proſequi vellemus, equidem finis ampliori materiæ imponendus non tam facile occurreret, quibus omiſſis alia perſtringamus: Caſtellanam claſſem, Deo ſic annuente, & forte iuſto iudicio Chriſtianorum peccata inſectante, à barbaris deuictam fuiſſe Mariana teſtatur; Quare Ianuenſes, Luſitani, atque Aragonij à Pontifice excitati fuere, quo promptam Caſtellæ Regi opem ferrent; Nec ipſum Alfonſum monere deſtitit Pontifex, quominus ſincero criminum dolore, ac dignis pœnitentiæ fructibus exorato Numine, promptum eiuſdem auxilium mereretur; inter cætera ſic eum monet: *Fili amantiſsime conſidera quæſumus diligenter quid in domo conſcientiæ tuæ agitur, ex tunc dum de peccatis prædictis mundatus & liberatus fueris, non habebis quod te, vel dictum populum periculis ſubiiciant formidare, nec labores tuos*

ab æterni retributione præmij vacuabunt : Hæc autem tibi, fili prædilectiſsime, quem portamus in viſceribus charitatis paternis, & charitatiuis monitis adhuc eo affectuoſius, quo ſæpius ſuademus, &c.

Ad tam ſuauis amantiſſimi patris Epiſtolæ aſpectum Alfonſus, eadem plane verba ad eumdem reſcribendo vſurpare potuit, quæ Gregorius Magnus Leandro Hiſpalenſi Epiſcopo reſcripſit: *Sanctitatis tuæ ſuſcepi Epiſtolam ſolius charitatis calamo ſcriptam; ex corde enim lingua tinxerat, quod in chartæ pagina reſundebat; in illa Epiſtola tuæ mentis dulcedinem non erat audire, ſed cernere:* Ita prorſus de propenſiſſima Pontificis mente, ac eximio in Caſtellani Regis non tam temporalem, quam ſpiritualem prouentum ſtudio hiſce litteris peculiariter expreſſis affirmare iure cenſebimur.

Lib. 7. Epiſt. 126.

Cæterum ad diuinum præſidium implorandum pro tam graui certaminis euentu Benedictus Hiſpaniarum Præſules, vt ſolemnes fieri ſupplicationes curarent, admonuit, eoque argumento ſuauiſſimas miſit litteras Archiepiſcopo Toletano, necnon ea de re ſcripſit ad Tarraconenſem, Compoſtellanum, Hiſpalenſem, Cæſarauguſtanum, & Bracharenſem: Diuino tandem miraculo partam à fidelibus victoriam fuiſſe, licet maxima Chriſtianorum ſtrages ſequuta fuerit, Surita, aliique teſtantur: Gratulatorias de hoc triumpho litteras Pontifex quamprimum Caſtellæ Regi direxit, quibus, poſt plura, ingentem animi ſui lætitiam ita exprimit: *Inde perfuſis maioris immenſitate gaudij non immerito intimis cordis noſtri, ei qui bella iniquorum conterens, & cornua peccatorum confringens tibi tuiſque robur fortitudinis & auxilium deſuper ad conterendum ſic glorioſe hoſtes fidei præſtitit, laudum cantica & gratiarum actiones deuotas in humilitate ſpiritus ſolemniter perſoluimus, & à Clero & populo fecimus reuerenter & deuote perſolui, &c.*

Tom. 6. Epiſt. 306.

Summis deinde laudibus eumdem Regem commendauit, quod cum Luſitano rege pacis fœdera ſanciuerit, ac denique, ne de hoſtibus victor à carnis concupiſcentia ſeſe miſerrime ſuperari pateretur, ſaluberrimis monitis eſt adhortatus

hortatus : Ex hac Castellani & Lusitani regum concordia Eduardo Anglorum Regi ,qui Philippum Francorum Regem à se armis impetitum ab Asiatico bello distrahebat epistolam dedit, qua illum præclariores esse triumphos admonuit,quibus religioDeique gloria dilatãtur,quam eos quibus imperij fines protenduntur, humanaque apud homines gloria comparatur : Extant & hoc ipso anno datæ litteræ ad Aragoniæ regem, itemque ad Cæsarauguſtanum & Tarraconensem Archiepiscopos,eorumque suffraganeos , quibus Benedictus ad reprimendos in Aragonia præsertim, & Catalonia Sarracenorum ac Iudæorum conatus eos prouocare conatur.

Annus denique millesimus trecentesimus quadragesimus primus, qui Benedicti fere postremus fuit , potissimas mutuæ huiusmodi Pontificem inter , ac Hispaniarum, Castellæque potissimum reges communionis significationes nobis spectandas exhibet; Hoc igitur ineunte anno partæ ex Granatensibus & Africanis Saracenis victoriæ gloriam Christo, gratésque eius in terris Vicario relaturus Alfonsus præclara spolia Benedicto transmisit : *Auenionem* , ait Mariana , *equi centum* , *gladij* , *parmæque è corio totidem è præda Maurica Benedicto Pontifici missa sunt* ; *quatuor præterea & viginti Maurica signa,equus,vexillumque regis,quibus in prælio vsus, &c.* Pontifex vero officiosissimis post huiusmodi Legationem litteris Alfonsum est prosequutus , cui inter alia: *Ad defensionem & dilatationem fidei , ac represionem & expugnationem eius hostium velut athleta strenuus in virtute diuina accinctus robore magnanimitatis & fortitudinis , sicut indicit tibi alti tui prosapia generis , & regalis persuadet solij dignitas, continuationibus laudabilibus te impendas,&c.*

Anno 1341.

Lib.16.c.8.

Tomo 7. Epist.78.

Alfonsus pariter Lusitaniæ Rex , qui Castellanum in hoc prœlio plurimum iuuerat , oratores ad Benedictum misit , vt ipsi , sacroque Cardinalium collegio grates referrent , cui vicissim Pontifex duas transmisit litteras , quibus maxima in eum laudum præconia congessit , atque paterni affectus viscera suauissimis expressa verbis ostendit:

Iam Lectorem animaduerſionem meam præcurriſſe ſuſpicor, quod videlicet Hiſpaniarum Reges ſpolia hoſtium, ac reportatæ victoriæ ſigna Benedicto detulerint; atque honorificas ad eum Legationes ordinarint, vt ei, cuius ope fulti maxime fuerant, tanquam prædictæ palmæ auctori parta gloria potiſſimum dicaretur; Quare quantum Iberi Pontifici Gallica illuſtri proſapia obſtricti fuerint, illud fuſiori oratione proſequi ſuperuacaneum videtur, cum & ipſi victoriæ inſignia grati velut animi monimẽta vltro obtulerint: Neque à cœptis Pontifex vllatenus deſiſtere voluit, quo Hiſpanicam rem contra Saracenos felicius promoueret, finitimos enim reges ad coniungenda in perditos Fidei perduelles cum Caſtellano arma ſollicitauit, quibus prompto Aragonius animo ſe comitem adiunxiſſet, niſi eum Gallus Rex ad capeſſenda contra Iacobum Balearium Regem arma inuitaſſet.

Anno 1342. Verum iam ſanctiſſimus Eccleſiæ Parens optimæ vitæ curriculum emenſus, & de Chriſtiana Republica optime meritus ad vitæ metas properabat; quare cum ſuperioribus annis, vti aperte vidimus, Hiſpanicis rebus paterna cura inuigilaſſet, vſque ad vltimum ſpiritum eiuſdem nationis incrementis ſe totum impendere voluit; extremo namque Pontificatus anno (obiit enim VII. Kal. maij anno milleſimo ſupra trecenteſimum quadrageſimum ſecundum) litteras dedit, quas ſolas hoc anno ſcriptas reperimus zelo, affectuque vere paterno plenas Hiſpalenſi & aliis Hiſpaniæ Præſulibus, quibus eos ardenter excitauit, vt Eccleſiaſticos præcipue viros impudicitiæ ſordibus inquinatos acriter perſtringerent, atque ad nouam diſciplinam obnoxiis ſibi clericis alacriori ſtudio reſtituendam incumberent: Et hæc de nunquam ſatis prædicando optimi Pontificis erga Iberos ardore ſufficiant: Ad cuius laudum cumulum cum Baronij Annalium Continuator aliquid huius anni initio in medium proferre optaret, ita ſcripſit: [De quo nonnulla digna memoria afferenda operæ pretium arbitror, quæ extremo Pontificatu geſſit: Iiſdem igitur prorſus deuotis reſtaurandæ in Eccleſiaſtico ordine primæuæ morum

* Oder. Rainald. Annal Eccleſ. *Anno 1342.*

morum ſanctitatis ſtudiis Pontificatum abſoluit, quibus illum fuerat auſpicatus;] Nam in ipſo Apoſtolicæ, quam impleuit ſedis, limine Caſtellæ Clericorum ab eo mores per litteras Iberis Antiſtitibus datas obiurgatos ſuo loco diximus: Eia, ô Iberi, beneficentiſſimum ac peculiarem veluti parentem veſtrum Benedictum XII. agnoſcite, ſummis quoq; in cœlum laudibus ipſum extollere, pretioſamque in mentibus veſtris tanti Benefactoris memoriam conſeruare non dedignemini, totius orbis exemplo permoti, qui ſplendidiſſimis eiuſdem virtutum ac miraculorum radiis colluſtratus eum venerando ſuſpicit tanquam omni humana laude ſuperiorem; Et, ſi fas eſt ſcribere, talem, qui *poſt Martyres, & alios quos Eccleſia veneratur, & colit vt ſanctos, inter meliores vnus fuit.* vitæ auctor.

Iuſtis Benedicto de more perſolutis hoc ipſo anno Apoſtolicum conſcendit faſtigium Petrus Rogerius Lemouicenſis Clemens VI. appellatus, qui pari ſtudio Deceſſorum exempla ſequutus, proſperis Iberorum rebus procurandis deſudauit: Nam cum Petrus Aragonius & Iacobus Balearis Reges inter ſe acri certamine dimicarent, vt eos Clemens felicis concordiæ nexibus ſtringeret, Amandum Aquenſem Archiepiſcopum ad vtrumque legauit: Extat Epiſtola dicto Archiepiſcopo data, in qua Pontifex inter cætera ſic ait: *Nos more pij patris, quem non prætereunt incommoda filiorum, ad huiuſmodi ſedandam diſcordiam, & turbatæ vnitatis fœdera reformanda vigilantibus ſtudiis intendentes, &c. tua cooperante ſolertia dicta diſſenſio vlterius non procedat, ſed totaliter extinguatur, ac prout proximitas ſanguinis, quæ fere dignoſcitur inter eos, expoſcit, vigeat inter ipſos fraterna dilectio, & ſit identitas voluntatum, &c.* Sed cum Pontifex concepta pacis ſpe fruſtratus eſſet, atque Granatenſes & Africanos ad Hiſpanias inuadendas huiuſmodi regum diſſenſione permotos cerneret, Andream tit. S. Suſannæ Presbyterum Cardinalem Apoſtolicæ ſedis Internuncium ad promulgandas inducias, atque ad impediendos bellici furoris tumultus direxit: Ad vtrumque principem ſingulari affectu refertas dedit litteras, qui-

Clemẽs VI. PP. Deceſſorum in Hiſpan. amoris æmulus.

lib. 7. Epiſt. cur. 7.

bus variis rationibus in medium adductis eos à pugna conferenda reuocare studuit; Sed heu! iterum Pontificiæ incassum preces abiere.

Anno 1343. lib. 16. 11. Interea Castellæ Rex Maurico bello implicitus, suppetias ab exteris principibus enixe quærebat: quare *rem Christianam periculo proximam diuino Numine sustentatam fuisse* Mariana tradit: *Cum vno tempore ex Anglia, Gallia, & Vasconibus numero & virtute valida manus venerit excitata spe veniæ, quam Romanus Pontifex Clemens VI. Lemouicensis omnibus qui pia arma caperent, pollicebatur.*

Anno 1244. Cæterum Aragonum Rege in bello tenaciter obfirmato, neque pluribus Pontificis optimi litteris à cœpto contra Balearem certamine coercito, Clemens Ludouicum Regi Castellano affinitate proximum Insularum fortunatarum principis titulo ornauit: Quare ipse Ludouicus solemni ritu earum Insularum principatus iura Apostolicæ sedis auctoritate se accepisse professus, eiusdem sanctæ sedis vectigalem publicis debito firmatis sacramento litteris se semper futurum pollicitus est; De qua re Alfonsus Castellæ Rex ad Pontificem scripsit his verbis: *Sanctitatis vestræ Litteras recepimus, Pater sancte, continentes quod charissimum consanguineum nostrum Ludouicum de Hispania dignitatis principatus insigniis vestra clementia decorantes, &c. Et quanquam nulli dubium existat, quod progeniteres nostri claræ memoriæ terram istam de manibus perfidorum, ac potentia regum Africæ Deo propitio acquirentes, &c. nihilominus ob vestram & Apostolicæ sedis reuerentiam, ac vinculum sanguinis, quo dictus princeps nobis adiungitur, grata nobis aduenit dictarum Insularum concessio sibi facta, & ex eo specialiter sanctitati vestræ gratiarum referimus actiones, prompti in his & aliis quæ vestri & Apostolicæ sedis Beatitudo iniunxerit obedire deuote.*

Ecquis, amabo vos, ad hæc assidua Galli Pontificis in Hispaniarum Reges studia non obstupescat? vnde merito ipsi Principes Summi Iberiæ Domini iisdem Gallis Pontificibus sese optimis veluti regnorum suorum parentibus deuinctissimos profiteantur: Quare Alfonsus Lusitaniæ Rex

licet

licet Clementi reſcripſerit, nemini prædictarum Inſularum iura magis quam ſibi, vtpote proximiori, concedenda fuiſſe, quippe quæ ipſius facile viribus ſubiugari poſſent, nihilominus quod dictus princeps poſſet de regnis & terris ſuis nauigia, gentes armorum, victualia, aliaque neceſſaria habere, libereque extrahere, Pontifici ſe libenti animo conceſſurum pollicitus eſt; ſuamque operam vltro oblaturum addidit, niſi ærarium ſuum continuis in Saracenos bellis exhauſtum remanſiſſet: Neque vero ſileri patiar quod Caſtellæ Rex Clementi reſcripſit, videlicet principi ſibi affinitate coniuncto iſtarum Inſularum iuribus, quæ ad ſuum ſpectare dominium aiebat, ſe vltro cedere: Quo eximij vereque regij animi facinore ſui regni poſteris heredibus hoc præclarum reliquit virtutis monimentum ſalutari conſilio annexum, quo à bello cum aliis regibus abſtinendum præcipitur, ſi quando res pro cuius poſſeſſione dimicandum eſſet, ad principis arctiſtiſſimo ſibi affinitatis vinculo deuincti manus fuerit deuoluta: Algeliram hac tempeſtate à Saracenorum manu fauſtiſſima victoria Alfonſus eripuit, quapropter, ad excitandum de ſuperata in ea vrbe Mahumetica ſuperſtitione præclarum monumentum, Clementem rogauit, vt in ea ſedem Epiſcopalem conſtituere dignaretur, cuius votis benigne annuit Pontifex datis ad eum litteris, quarum hocce initium: *Reſperſit rore gaudiorum ſpiritualium intima cordis noſtri*, &c. vti dulciſſimorum verborum præfationem ſolummodo præguſtaſſe Lectori ſatis ſit, ex quibus ſequentia Pontificiæ beneuolentiæ in tantum principem argumenta facile coniicere poterit.

Anno Chriſti milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſexto in Caſtella, Marrochitano Rege nouam in Hiſpanias irruptionem meditante, bellici fiebant apparatus; quamobrem Alfonſus ad Clementis opem confugit: per eoſdem Legatos anxius de filij ſalute pater Toletano, Compoſtellano, ac Hiſpalenſi Archiepiſcopis prouinciam dedit, vt Decumas biennales Alfonſo in ſubſidium attribuerent. *Anno 1346.*

Succe-

Anno 1349. Succedentibus vero annorum spatiis dum Alfonsus profligandis penitúsque atterendis Mauris glorioſe incumberet, ac pene omnes nequiſſimæ gentis reliquias ex Hiſpaniis eiicere meditatus, repetitis nuntiis Clementem enixe rogauit, vt propenſos aliorum principum animos ad tanti tamque neceſſarij operis prouectionem ſtudiis quam poſſet ardentiſſimis ſollicitaret: quid vero de ſe iam concitatiſſimo mentis impetu ad ferendas laborantibus filiis ſuppetias properanti ſtimulos addere genitori neceſſe fuit? En tibi celerrimo quaſi aquilæ volatu Genuam properat, Muſtam ducem precaturus vt validæ claſſis ſubſidia Alfonſo tranſmittat, tum ad Ioannem Archiepiſcopum Mediolanenſem accurrit, exin Antonium & Carolum Grimaldos, qui Monachum, ac nonnullas Liguriæ arces tenebant, efficaciſſimo verborum pondere adit, quatenùs maritimas vires coniungerent, tum vt arma Saracenis deferri prohiberent.

Anno 1350. Hæc inter paterni in Alfonſum amoris ſtudia, ipſe Caſtellæ Rex viam patrum ſuorum communi naturæ lege ingreſſus fato ceſſit, magno ſui relicto apud omnes deſiderio, immaturam cuius mortem ipſe Pontifex lachrymis, maximique doloris ſenſu eſt proſecutus, vt ex ſequentibus litteris ad Mariam Reginam datis colligitur: [a] *Non miramur, Chariſsima Filia, ſi claræ memoriæ Alfonſi regis Caſtellæ ac Legionis Viri tui de hac luce tranſitus præmaturus tuum conſternauit animum, turbauit mentem, & viſcera quoque mœrore conſperſit, cum & nos etiam in ſubtractione tanti & tam clari filij, tamque vtilis Athletæ fidei Chriſtianæ quantum licuit, ſuperna maieſtatis voluntate ſeruata, doluerimus vehementer, &c. Quis oculos compeſcet à lacrymis? quis à mœrore poterit continere? pie namque infatigabilis pugil fidei &c. In cuius obitu etſi doleamus, immenſum dolenti tibi, quaſi ex ſubtracta tibi altera tui parte, totique populo Chriſtiano condolere charitas nos compellit: Attendentes tamen quod ille miſericordiarum pater ex abducto patre tibi ex vtero tuo filium, qui ſub eodem viro tuo compoſuit virtutes & mores, &c. Ipſum maternis & ſalutaribus monitis exhorteris, quod ipſa regni tui primordia in iuſtitia & æquitate ſtabiliuit, Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas honoribus ampli*

[a] Tom. 9. Ep. ſecret. p. 5.

ampliet, &c. Nos etiam ad honoris eiusdem nati tui incrementa ex paterna charitatis debito habentes affectum & animum promptiores, &c. Ex quibus Pontificem arctissimo amoris nexu cum Alfonso obstrictũ fuisse, atque erga Regnorum suorum heredes, eorumque felicitatem maxime propensum fuisse nemo non videat: *licet vna domestica incontinentia* (vt ait Mariana) *ad reliquarum virtutum iniuriam non leuem accesserit*: Eodem argumento Clemens dedit litteras Petro nouo regi, eumque ad sectandas patris virtutes hortatus est: lib. 16. c. 15.

Hoc ipso anno datæ à Pontifice Alfonso Lusitano litteræ, quibus eum, vt ius Ecclesiasticũ in suis regnis labefactatũ in pristinum restitueret splendorẽ admonuit; neque absimili argumento Aragonio scripsit, cuius auctoritate Internuntius Apostolicus Cæsaraugustę regiis administris sacras opes iniq; extorquẽtibus resistens, eosque anathemate perstringẽs grauissimis pœnis miserandum in modum affectus fuerat; quãuis autem in dicta Epistola ob tam horrendũ facinus apud eum pluribus expostulet, nihilominus hæ ipsæ Põtificis querimoniæ eximij in eum amoris fuisse argumenta Magni Gregorij auctoritate comprobãtur[a]: *Hoc quod obiurgo vel increpo, non ex asperitate, sed ex paterna charitate scito ac dilectione descendere:* [a] lib. 7. Ep. 2.

Auctum hoc eodem anno à Clemente Cardd. Collegium, inter quos Presbyter primus adnumeratur Dominus Ægidius Aluari Hispanus tunc Archiepiscopus Toletanus, cuius præclara gesta suo loco spectanda à nobis proponentur.

Postremo tandẽ Pontificatus anno Guilelmum Archiepiscopũ Bracarensem Apostolicæ sedis Internuntiũ destinauit, vt solemni ritu Ludouicum & Ioannã sacro balsamo liniret, ac regia Siciliæ corona redimiret; Aragonum etiam regẽ paci aduersantem totis conatibus flectere pertentauit, eaque de causa nouos ad eum Internuntios legauit; ac Petrum nouum Castellæ regẽ per litteras admonuit, vt Alfonsi patris voluntati, de restituendo Compostellano Archiepiscopo eiusdem vrbis iure, quam primùm obtẽperaretur, de quo ita Pontifex: *Ipse rex velut princeps Catholicus nostris in hac parte precibus annuens, ciuitatem eamdem prædictæ restitui Ecclesiæ præcepit:*

Sed ecce nouus eiusmodi beneficæ propẽsionis campus in

ad fortia duximus dirigendum, &c. Ad eum Pontifex anno sequenti, ob parta aduersus tyrannos trophæa, gratulatorias transmisit litteras; alias quoque ad eum dedit, vt venienti Carolo Romanorum regi studeret, eumque saluberrimis iuuaret consiliis, ac tandem auxiliis foueret: de hoc autem præstantissimo Cardinalitij Senatus ornamento prolixius suo loco agemus. *Anno 1354*

Neque impari Pontifex studio res Hispanicas curauit, Aragonium enim monuit de vectigalibus ob Sardiniæ & Corsicæ regna duobus annis minime persolutis: Eumdem monuit, ne ad Principum Aragoniorum voluntatem, qui Trinacriæ contra fas inhiabant, Ioannam reginam bello lacesseret; Castellæ vero regem, vt vxorem reciperet, est adhortatus, & ad discordiæ flammas in Hesperiis regionibus extinguendas omnes animi vires applicuit, pluraque alia Ecclesiasticæ disciplinæ in pristinum nitorem restituendæ percommoda fœliciter aggredi cœpit: *Anno 1355*

Ac primùm Bertrandũ Senecensem Episcopum A.S. Internuntium, sequenti autem anno Guilelmum S. Mariæ in Cosmedin Diaconum Cardinalem Legatos in Castellam & Legionem decreuit: Audiamus, quæso, Optimi Parentis epistolam miserrimum Castellæ statum describentis, atque ex intimo eiusdem doloris sensu summæ eius erga Castellanos beneuolentiæ argumenta deducamus: *Dum anxie*, inquit, *cogitamus qualiter pacis hostis statui Castellæ & Legionis, ac aliorum regnorum & terrarum tuæ ditioni subditorum vulnera dolendæ corruptionis inflixit, &c. maioris perferimus doloris in animo punctiones Fidelium causas propterea perditioni lugentes expositas, & corpora discriminibus periclitari continuis multiplicatis facultatum dispendiis deplorantes; dolemus inquam, quod in eisdem regnis & terris cultus diuinus neglectus reperitur, &c.* Obtemperasse Pontificiis hortationibus visus est Petrus Rex, Reginamque Toletum in aulam reuocauit, de qua re, vt pote Pontifici gratissima, per litteras certiorem fecit Innocentium, qui ei viciſſim est gratulatus, eumque ad Saracenos excidendos prouocauit: Regem vero Mariana subiicit breuem cum Regina seruasse con

concordiam, ſummaque in Reginæ fautores vſum crudelitate, vnde inteſtina diſſidia, ac plura incommoda fluxerunt, quorum ipſe author meminit: Lib. 16. 20.

Enituit præcipue in re Hiſpanica promouenda Innocentij ardor anno domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſexto, cum Aragonio & Caſtellano Regibus inter ſeſe acri bello diſſidentibus, Pontifex Bertrandum Conuenarum Epiſcopum Guilelmo Card. Legato adiungendũ decreuit, vt rem ad optatæ concordiæ exitũ feliciter perducerent: *Quia*, inquit in litteris Aragonio datis, *habet id proprium Charitas, vt non putet in negotiis dilectorum prouidiſſe ſufficienter, ſed proviſionem prouiſioni exiſtimet adiungendam, nos charitatis, quam ad te, dictumque regem, ideſt, Caſtellæ gerimus affectione commoniti, venerabilem fratrem noſtrum, &c.* Anno 1356.

Hoc ipſo anno Innocentius Cardinalium collegium auxit, atque inter cæteros in Patrum numerum adſcripſit Nicolaum Roſellum tunc hærecicæ prauitatis in Aragonum prouincia Inquiſitorem: Hæc omnia prudens Lector ſimplici hiſtoriæ ſtylo à nobis in medium producta facile intelliget, ne eius patientia abuti videamur: Ipſius erunt partes ſingula in vnum colligere, ſeu diuiſim expendere, tanquam peculiaria ſummæ beneuolentiæ ac communionis argumẽta, quæ tot annorum curriculo inter Põtifices è Gallica progenie ad Petri ſedem euectos, atq; Hiſpaniar. reges, eorumq; populos interceſſit: Nullus ſane huic Pontifici excidit annus, in quo præclara ipſius in Iberos admodum propenſi officia non recenſeãtur: Alfonſo Luſitaniæ rege è viuis erepto Innocentius magno ſeſe dolore affectum per litteras teſtatus eſt, quas Petro eius filio dedit, quem ad ſequenda parentis optimi veſtigia pariter eſt addortatus; *ſiquidem virtutes eius* (poſt nonnulla ſic loquitur) *quibus dignitatẽ regiam illuſtrabat debita conſideratione penſantes, ac proinde illum inter cæteros catholicos orbis terræ principes charum, acceptumq; habentes, deſiderabamus attentius, vt longitudinem temporum ei tribueret Dominus, &c. quamobrẽ ſerenitatem tuam monemus & hortamur in Domino, quatenus tu quoque fili chariſſime attendas quod illi ſuccedis, qui ſe totum exhibebat vita & moribus Chriſtianũ, &c.* Anno 1357.

Noua

Noua Pontificis ſtudia in pacificandis Caſtellano & Aragonio Regibus mecum, Lector, perpende: ex nonnullis litterarum fragmentis paternam Innocentij in Caſtellanum dilectionem facile deprehendes; hic enim in quodam loco: *Pij patris amore, qui etiam obaudientem filium verbis ſemper ex eodem amoris fonte prodeuntibus pulſare, & in viam rectam, quoad per eum fieri poſſit, reducere non deſinit oberrantes, eo minus tacere poſſumus, quo te peramplius gerimus in viſceribus charitatis; Suſcipe itaq; fili chariſſime verba patris quæ pro tuæ animæ ſalute & honore regio in tuam magnitudinem diriguntur: poſitus es princeps inclyte ſicut & cæteri principũ, quos in ſublime prouehũt, faſtigia dignitatum, in populorum gentiumque conſpectu, vt ſicut dominando præſideris, ita illis eſſe debeas in virtutis exẽplar, &c.*

Poſtremo eadem hoc anno & ſequenti à Pontifice repetita amoris indicia sẽper irrita fuere, vnde diuino tandẽ exaſperato Numine, meritas impietatis pœnas à fratre gladio confoſſus promeruit: Atq; vtinã miſer hic princeps ſupremi Eccleſiæ Antiſtis prudens monitum prompto animo excepiſſet, quo nimirũ ipſi ſicut dignitate, ita & virtute cœteris præeſſe debere inſinuabatur, nã, vt aiebat Fulgentius: *Ita ſit vt qui ſunt in ſæculi culmine conſtituti, aut plurimos ſecũ perdãt, aut ſecũ multos in via ſalutis acquirant*; Quare cum iſte prauo ſuo exẽplo plures perdidiſſet, etiã in hac vita iuſtiſſimas dare pœnas meruit, vt cæteris etiam vitandæ Numinis iræ exemplum fieret, & ſuo quamuis funeſto, lacrymabiliue damno, caſuq; omnibus formidando cauſa ſalutis exiſteret. Epiſt. 6. ad Theod.

Cum Tarraconenſis Sedis priuilegio ab Innocentio confirmato incœptũ claudimus de eo ſermonem, quẽ Vrbanus V. proximus Innocentij ſucceſſor rebus in Iberorũ gratiam geſtis ſibi merito præcipit iterũ aperiri, qui ipſo Pontificatus exordio Petro Aragonum regi litteris perſuaſit, vt litẽ, quâ Iacobus Balearium, & Ioanna Siciliæ reges diſſidebant, ipſe cõponeret, cuius hæc ſunt verba: *Nos autem*, (Audiãt, quæſo, Chriſtiani Principes inter ſe affinitate coniuncti Vrbanum imo Chriſtum in ſuo Vicario bona ipſis verba eructantem) *inter omnes Chriſti fideles, præſertim inter principes, & potiſſime iũctos ſanguinis vinculo vigere charitatẽ & pacẽ præcipuis deſide-* Vrbanus V. PP Iberor. valde ſtudioſus. *Anno* 1363.

riis affectantes, &c. Cum autem antiqua iterum Regem inter Aragonum & Genuenſes diſcordia pullularet, Vrbanus Regem protinùs, vt Oratores ſuos ad ſedem Apoſtolicam pro ea componenda mitteret, admonuit: Duo hic obiter notatu digna occurrunt; primum quod diſcordia inter affines principes Pontifici ſummopere diſpliceret; alterum quod Vrbanus ad dirimendas pugnantium inter ſe Regum lites ipſis Apoſtolicæ ſedis iudicio ſtandũ eſſe perſuaſerit. Cum igitur Petri nauim Pontifex Gallus licet tunc temporis diuino afflante ſpiritu gubernaret, tamquam ad vnicum orbis oraculum Hiſpani etiam Monarchæ tuto confugere potuerint, nullam aliam reportaturi ſententiam, niſi quæ rationi conſona, atque ab ipſo æquitatis adyto proficiſceretur, quod itidem & amplius ipſi Reges à Petri Succeſſoribus ex neutra natione originem ducentibus conſecuturos ſibi certo perſuadeant: Aſſenſum fuiſſe Aragonium Regem, vt controuerſia Pontifici dirimenda permitteretur, teſtantur Scriptores, qui res Hiſpanicas ſuis hiſtoriarum paginis proſecuti ſunt: Ianuenſes vero rem in ſuam dudum gratiam antea deciſam, velut ambiguam nouo ſubmitti iudicio recuſarunt, quare inde bella recruduere, & noua claſſis ad Sardiniam inuadendam comparata:

Anno 1364. Noua increbreſcentis Aragonum inter & Caſtellæ reges diri certaminis occaſio, currente Chriſti anno ſupra milleſimum trecenteſimo ſexageſimo quarto, Vrbanum de filiorum ſuorum tam acriter dimicantium ſalute ſollicitum intima ad vſque viſcera ſtimulare non deſtitit, donec Petrum S. Michaëlis in Taurinenſi diœceſi Abbatem eximium Benedictinæ familiæ alumnum, in Hiſpanias ad conciliandos principes direxit; qua de re ad Petrum Caſtellæ regem hæc litteris præmiſſa fuere: [a] *Cum de tuo ac magnifici principis Petri regis Aragonum illuſtris bello graniſſimo toti Chriſtianitati damnoſo doleamus ab intimis, ſæpeque non abſque multa mœſtitia memoremus, quod remedia quæ prouidentia Apoſtolicæ ſedis adhibuit hactenus, vt te Rex per præfatum ad concordiam reuocaret*, &c. Grati animi erga Gallum Pontificem, à quo pluribus ornatus fuerat beneficiis, hoc anno Petrus Caſtellæ

[a] Tom. 7. Epiſt. Secret. pag. 188.

rex

rex edidit monumentum; Cum enim Bertrandi Gueſelini Ducis copiæ iam Auenioni appropinquantes maximum Pontifici ac Cardinalibus terrorem iniecissent, Caſtellæ rex ſe ſuaque tuendo Pontifici obtulit, claſſemque vel terra vel mari protinus inſtructurum promiſit: Cui Vrbanus litteris gratias egit, quas vt pote clariſſimis mutuæ huiuſce communionis officiis refertiſſimas delibaſſe Lectorem non pigebit: Et quidem inter alia Pontifex: [*Nos ſiquidem*, ait, cernentes in te dilectiſſimo filio ſic erga nos, & Romanam Eccleſiam dilectionis & reuerentiæ gratiam abundare, quod præ cunctis orbis principibus magnificentiam tuam reperimus diſpoſitam ad noſtra, & eiuſdem Eccleſiæ honores & commoda, ac beneplacita præparatum, ac conſiderantes quod regiæ coronæ potentiam, tuum theſaurum, ac perſonam propriam contra quoſcumque iniquitatis filios aduerſus ſtatum, & iura eiuſdem Eccleſiæ præſumentes aliquid attentare, etiam propriis tuis prætermiſſis negotiis, ſi vrgeret neceſſitas, tam per mare, quam terram pro reuerentia Dei & Apoſtolicæ ſedis nobis & eidem Eccleſiæ feruentiſſima deuotione duxeris offerendas, merito debemus & poſſumus de tanti filij tam laudabili diſpoſitione lætari, & in te noſtræ ſpei ponere firmamentum: proinde itaque non valentes tuæ largitati promptiſſimæ gratiarum condignas reddere actiones, quas poſſumus tamen tibi paterne referimus, magnificentiam tuam, quam in feruida voluntate fundatam reputamus facto completam, Apoſtolicæ commendationis præconio commendantes, ac rogantes Deum quod mentem tuam de bono in melius ſemper diſponat, &c.]

Et ſane non exiguis laudum præconiis Caſtellanus Rex dignus videbatur, cum ſuam regiam perſonam, ſuumque exercitum defendendo Pontifici promptiſſime exhiberet, à quo multis licet vicibus de officio ſeuere monitus, verbiſque aſperioribus perſtrictus, paterni tamen eius erga ſe affectus viſcera aſſidue expertus fuerat; Qua in re ſuis regnorum heredibus notatu digniſſimum ſuo inſigni exemplo documentum reliquiſſe videtur, glorioſiſſimum nempe

ſemper

semper ipsis fore, Romano Pontifici suppetias ferre, & Galliis ipsis, ex quibus Vrbanus originem traxerat, opem, si necessitas vrgeat, libenti animo præbere:

Nimirum sapiens ille princeps exhibitam D. Petri successoribus reuerentiam, verum ac germanum ardentis pro Catholica fide zeli characterem, tesseramque illustrem haberi, & esse neutiquam ignorauit; qua probe muniti Christianæ Principes Reipublicæ Summum Pontificem [a] *Supremum veluti Cælorum Cancellarium; Sanctum* item *ac Reuerendum Patrem* (vti [b] Carolus Caluus Francorum Rex Nicolaum PP. compellabat) *Beatissimum* quoque *& Sanctissimum Dominum, Culmenque religionis* (à [c] Ludouico Germaniæ, & Lothario Franciæ Regibus sic olim Papa nuncupatus) *Æthereum iubar, totiusque sanctæ Ecclesiæ Pharum* ([d] Lotharij Imp. Elogia sunt) vnicum supremi ouium Ecclesiæ Pastoris Vicarium quamstudiosissimis semper officiis prosecuti, immortalem nomini suo famam, stabilemque ac continuam regnis suis fœlicitatem conciliarunt: Impios vero ac prophanos SS. Sedis Apostolicæ, ac Beatissimi vniuersalis Ecclesiæ Pastoris contemptores in tam luctuosas rerum suarum, in peius ruentium angustias, tamque horrendum extremæ infelicitatis Barathrum tandem præcipiti deuolutos lapsu fuisse quis nesciat, vt infeliciſſima perditæ vitæ suæ, ac pertinacis Pontificum persecutionis Catastrophe eorumdem Pastorum venerationem posteris omnibus prædicarint:

[a] Georg. Steph. Rousselet in lilio sacro c. 4.
[b] in Epist ad Nicol. PP.
[c] in Epist. ad Nicol. 1.
[d] in alia Epist. ad eund. Pont. ex Codice Treuirensi.

Sequenti pariter anno Vrbanus impressa posterorum memoriæ perennius quàm æri singularis pro componendis Hispanicis rebus studij sui impressa reliquit monimenta; cum enim atrox inter Castellæ & Aragoniæ Reges belli dissidium arderet, Pontifex Guilelmum Episcopum Ciceſtrensem Apostolicæ sedis Internuntium in Hispanias ordinauit, vt paci aduersantes, quacumque ornati essent dignitate, comprimeret, omnique ardore dissidentes Regum animos strictæ pacis fœdere adunaret; tum etiam Petro Lusitaniæ, Carolo Nauarræ regibus, atque Eduardo Aquitaniæ & Vvalliæ principi eumdem Internuntium commendauit, eosque concitauit, vt vnà cum ipso huiusmodi concordiæ to-

tis

tis conatibus incumberent: Placet hic nonnulla ex litteris Caſtellæ Regi à Pontifice datis recenſere, vt hinc mœſtum Chriſti Vicarij de Principum diſcordiis indeſinenter dolentis, atque, vt ita dicam, inconſolabiliter lugentis animum clarius dignoſcamus. Hæc tanti Patris mixta lachrymis verba fuere: *Tangat, fili cariſſime, cor regium Dominus Deus tuus, vt poſt tot ſtrages, ærumnas, & calamitates ad pacis dulcedinem reuertaris: mitiget amodo tuæ mentis pietas & filialis deuotio dolores immenſos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ matris tuæ, quæ diu ſentiens duos tam magnificos filios, quos habere debet contra hoſtes Chriſti, & Chriſtianæ fidei pugiles inuicem collidentes, & grauioribus dolorum ſtimulis pungitur, quo ex remediorum ſalubrium, quantum ad ipſam pertinuit, medelæ ſæpe adhibita optatæ curationis effectus quem cogitabat, deſiderabiliter non aduenit, &c.*

Annum vero Domini milleſimum ſupra trecenteſimum ſexageſimum ſeptimum ne nobis elabi patiamur, quin aliquod Pontificiæ in Iberos beneuolentiæ ſignum delibemus: Extant Vrbani litteræ hoc anno ad Ferdinandum Petri Luſitani Regis tunc defuncti filium miſſæ: Hic cum Oratores Chriſti Vicario obſequia de more delaturos ad Vrbanum miſiſſet, Pontifex ei gratias agens paterni amoris ſenſibus plenas tranſmiſit litteras: *Anno 1376.*

Extrema demùm vitæ ſuæ periodo neque ab Hiſpanicarum rerum prouentu deſtitit; Cum enim Henrico, Petro excluſo, in Caſtellani regni ſolium euecto, nouarum flamma diſcordiarum accenſa fuiſſet, necnon Maurorum ac Granatenſium nouæ excurſiones, ciuilium occaſione prœliorum excitatæ, Pontifex Bertrandum Conuenarum & Agapitum Brixienſem Epiſcopos in Hiſpaniam legauit, vt Ferdinandum Luſitaniæ Henrico Caſtellæ Regi reconciliarent, eorumque arma in fidei perduelles conuerti impenſe ſtuderent: Pontificiis litteris excitati Caſtellæ principes ac præſules vna cum Aragoniæ & Luſitaniæ antiſtitibus ad operam Nuntiis præſtandam, inter quos Gomelij Toletani, Roderici Compoſtellani, Petri Hiſpalenſis, & Velaſci Conimbricenſis ſtudia potiſſimum enituere: Vnum *Anno 1379.*

ſupereſt annotandum antequam ad Vrbani ſucceſſorem deflectamus, videlicet eum à Petro Aragoniæ regiæ principe Minorita admonitum fuiſſe, vt minime Auenionem rediret, ne conflandi ſchiſmatis occaſionem præberet: Et hæc de clarioribus Galli hominis ſupremi Eccleſiæ Cymbæ Nauarchi erga Hiſpanicam gentem indeſinentibus officiis dicta ſufficiant:

Anno 1371. Gregor XI. Gall. Pontif. ordine licet, non tamen in Hiſpanis fouendis poſtremus.

Gregorius tandem XI. etſi vltimus ex Gallicis Pontifex ad Petri ſolium ſublimatus, inferiorem tamen locum inter eos qui de Ibera natione optime meriti ſunt, nequaquam obtinere videtur, cum variis ſuæ peculiaris in Hiſpanos beneuolentiæ argumentis noſtram apprime ſententiam confirmandam, ſigillandamve non dubitem: Inter prima huiuſce magni Pontificis geſta pacandæ Hiſpaniæ ſollicitudo annumeratur, cum enim Legatum in Luſitaniam mittere decreuiſſet; quo Ferdinandum hæreditaria in Caſtellam iura obtendentem cum Henrico conciliaret, vt pactum inter eos ac firmatum fœdus audiuit, litteras Henrico direxit, quibus de ampliſſimis ad ſe tranſmiſſis muneribus egit gratias, deque pactis cum Luſitano induciis maximè eſt gratulatus: Neque hic omittendum adeo Henricum Gregorio addictum, deuotumque fuiſſe, vt ortam inter ſe & Nauarræ Regem controuerſiam ipſi Pontifici ac Francorum Regi dirimendam vltro detulerit: Præterea Aragonij Oratores Pontificem cõuenere, vt Sardiniam ac Corſicam beneficentia Apoſtolica acceptas ſolemni ritu coram ipſo & Cardd. profiterentur.

Hoc ipſo cadente anno Gregorius ad Aragonium litteras dedit, quibus ipſum monuit, vt miniſtros ſuos in Catalonia ac Terraconenſi prouincia Eccleſiaſticam opprimentes libertatem percelleret; aliæque Luſitano ſcriptæ, vt Bracharenſi Epiſcopo liberum vrbis dominium ſine mora concederet: Eximia vero eius in Hiſpanicis regnis enituit vigilantia, cum nouis in iis partibus diſſeminatis circa SS. Euchariſtiæ veritatẽ erroribus præſto fuit, ſcriptis Tarraconenſi & Cæſarauguſtano, eorũque Suffraganeis litteris, quibus dedit in mandatis, vt ad dignoſcendos hæreticorum dolos, fraudeſque detegendas ſeduli incumberent: Sequenti anno Ara-

Anno 1372.

gonium

gonium monuit,ne simultates cum Clero foueret: *Ideo*, inquit,*Serenitatem tuam attente rogamus,quatenus præmissa quæ de paterni cordis affectu etiampro tua salute prodeunt, debita mente considerans, & tanquam diuinæ legis amator in Romanæ Ecclesiæ matris tuæ benevolentia pnrseverans, omni depositæ turbationis materia quaslibet regnorum & terrarum tuarum Ecclesias,& personas Ecclesiesticas manutenendas &c.* Tum ad componendas Castellæ & Aragoniæ Regum,ipsiusque Henrici cũ Nauarræ rege controuersias toto animi conatu incubuit.

Exortis altero anno nouis difficultatum ambagibus, ad stabiliendam Hispaniæ pacem,noua per amantissimas litteras Lusitano ac Castellano Principibus datas, Guidonisque Cardinalis eo legati beneficio studia patefecit; Vnde sancito cum Lusitanorum ac Nauarræorum Monarchis fœdere, ingenti perfusus gaudio Gregorius Henrico est gratulatus, eumque insuper vt cum Aragonio pacem instauraret, summis votis rogauit his inter alia verbis: *Caterum, amantissime Fili, tu inter cæteros mundi principes nos & eamdem Ecclesiam Romanam,prout experientia docet, speciali deuotione prosequaris,& libenter nostris, & prædictæ sedis consiliis acquiescas &c.* Vnicum hoc regiæ dignitatis insigne Christiano principi proposuisse,ad commouendum eius animum sufficere Pontifex existimauit,Regij nempe animi promptissimam Pontificiis adhortationibus ac consiliis subiectionem;in hac enim potissimum Fidelium Principum regna stabiliuntur, magno suffragante Gregorio, qui sic ad Brunichildem Francorum Reginam scribens effatur: *In eo regnum confirmatis,in quo timori Omnipotentis Domini mentis colla subiicitis, & vnde vosmetipsos seruitio creatoris subiicitis, inde vobis vestros subditos ad seruitium deuotiùs obligatis.*

Anno 1373.

Gregor.l 7. Epist. 5.

Anno demùm reparatæ salutis milleſimo trecenteſimo septuageſimo quinto fœdus inter Castellanos & Aragonios sancitum fuit, pro quo Greg. magnam pluribus operam annis impendit: Quantum vero Castellæ Rex Pontifici addictus esset,ex eo patet,quod cum ipsum breui in Italiam iturum audisset,valde indoluit,suique intimi mœroris affectum per litteras Pontifici aperuit,eam præcipue ob causam,quod

Ann. 1375.

se vnica Gregorij præsentia in Gallia sedentis plurimum in Mauros tunc bellum mouere cupientem fuisse iuuandum pro certo haberet; Pontifex Castellani Regis officia benignissime excepit, seque ipsi omnibus auxiliis præsto futurum, si Crucis signa in fidei perduelles attolleret, spopondit: Degustemus, si lubet, mutuam Pontificis ac Castellani Regis dilectionem initio litterarum expressam, quas Gregorius Henrico transmisit: *Longa tua epistola de profundis tui pectoris, vt innuebas, emanans nuper nostro Apostolatui destinata, per quam dolorem tuum de nostro accessu ad vrbem, deo dante, futuro, ex quo præsentiam nostram à te tuoque regno conspicias elongari, filiali & reuerenti lamentatione monstrasti, nostræ paternæ compunctionis affectum erga tuam magnitudinem renouauit:* Quæ vero subiicit, attente expendenda sunt, ex iis enim summa Gregorij pro Hispanica re promouenda sollicitudo aperte coniicitur, cum alia inter argumenta, quibus à Galliarum recessu retardabatur, hoc etiam non infimum fassus est, quod sua nimirum absentia Hispanicis prouentibus non parum obesset: sic autem pergit: *Sed hæc & alia similia obuiantia dicto accessui iamdudum nostris cogitatibus occurrerunt, &c. Non tamen te, regnicolasque tuos deserimus, neque derelinquimus, quos in corde nostro intendimus habere præsentes, & quanto tu & ipsi amarius de nostræ præsentiæ elongatione tristamini, tanto (prout facultas aderit) habere intendimus fauorabiliter commendatos, &c.* Singula hæc verba Lectori ponderanda reliquo, quæ amantissimi patris filium tenerrimo cordis affectu prosequentis viscera palam demonstrant.

Tom. 5. Epist. secret. pag. 13.

Anno 1376. Iam vero Gregorius diuino mouente spiritu Romanos Lares repetiturus è Galliis pedem mouebat, cum Alfonso Aragonio Regi & Ludouico Comiti Andegauensi inter se dissidentibus missa ad eos Legatione occurrit: Ferdinando itidem Lusitano in Mauros expeditionem paranti humanissimas scripsit Epistolas, quibus omnium Ecclesiasticorum vectigalium decimæ partis dimidiam, exceptis Cardinalium, Equitumque religiosorum portionibus, qui se, suaque bello in barbaros incundo deuouere, à festo Pentecostes imminente ad biennium ei attribuit, tum Indulgentiarum

tiarum præmia iis, qui religiosæ militiæ sese adscripsissent, vltro concessit: Er quoniam in immensum excurrit oratio, ne patienti supra modum Lectori, nimiumque beneuolo tædium, nimisque ingratum ipsius animo fastidium pariat, hic longioris istius sermonis filum abrumpimus, finemque Gregorij cæterorumque Pontificum Gallorum Iberis fauentium gestis imponimus.

Ex hac ergo tredecim Pontificum Gallica prosapia illustrium serie, quorum singula in gratiam Iberorum gesta prolixiori fortassis dicendi stylo hactenus prosecuti sumus, propensissimum eorumdem in amplificandis Hesperiis rebus studium, paternæque illam erga gentem dilectionis insignia, nemo est qui non agnoscat: Enimvero si Ecclesiasticæ Historiæ paginas, in quibus Apostolicæ litteræ, aliaque plura sub istis Pontificibus peracta recensentur, diligenter euoluas, singulos fere & integros annos Hispanicis rebus consperfos passim reperies; Litteras item pene innumeras Hispaniarum Regibus transmissas, impensam eorum operam, viresque ad componendum feliciter Iberorum statum, conciliandosue, si quando inter sese dissentirent, potentissimorum principum animos, tum etiam eximiam ipsorum ad compescendas, funditusque delendas, illisque regnis penitus amandandas Saracenorum acies vigilantiam, innumera denique tam Regibus quam Præsulibus concessa à Gallis hisce Pontificibus priuilegia expendere poteris; Præ cæteris autem pastoralis, paternaque ipsorum beneuolentia in dilectissimos veluti filios tot Legationum ac litterarum testimoniis veluti clarissimis intimi affectus indicibus firmata singulari te rapient admiratione, adeo vt ingenitam Gallo sanguini horum erga Iberos toties à nobis repetitam propensionem, mutuamque vtriusque regni communionem magis commendare non desinas: Et quamuis totius Christiani orbis oues supremi Ecclesiæ Pastoris curæ commissæ, ei omnino subiaceant, nihilominus, vt ex dictis liquido constat, isti mox relati Pontifices Hispanicarum præcipue ouium salutiac commodis tanta mentis propensione inuigilarunt, vt quod de Gregorio Anglo-

rum

rum respectu asseritur, idem de clarissimis istis Ecclesiæ Solibus, qui ex Gallia ortum duxere, erga Iberos optime affectis pronunciari iure possit.

Calixtus III. genere Hispan. in Gallos bene affectus.

Tempus est, vt longiori, forte quàm par sit, huic capiti coronidem imponat celeberrimus ex Hispania oriundus Pontifex Calixtus III. nobilissimæ Borgiarũ familiæ decus, ac splendor; Quis vero, acutissimi quamuis ingenij, tanti Pontificis merita nedum verbis assequi, sed & mente aliquatenus complecti queat? S. profecto Antoninus Florentinus Archiepiscopus, dum Florentinorum nomine apud Calistum ipsius Pontificatus initio Legationem obiret, in pereleganti, quam apud ipsum in Consistorio habuit oratione, data quælibet optima, & dona perfecta, quæ talem ac tantum Pontificem, pro hominibus in iis, quæ ad Deum sunt assumptum habere, decet, in ipso fuisse, ex ipsa noui nominis nuncupatione accepta protestari non erubuit: *Ex nomine enim regio*, inquit Pontificem compellans, *translatus es in nomen Pontificale egregium, Calixtum scilicet tertium, Κάλλιστος enim grace, latine optimus interpretatur; optimo autem melius addi non potest, nec adiectione indiget plenitudo: Vel secundum etymologiam Calistus quasi calidus in feruore Fidei sistens & fixus in ea, cui ternarius numerus additus sacro mysterio, & perfectione multiplici copiosus existit:* Inserta est à S. Præsule ea Oratio in suo Chronico, [a] quam præterito nomine suo modestiæ causa, ab vno è Florentinis Oratoribus habitam ait: Ex inumeris ergo ipsius præclare gestis, quibus è supremo Romanæ sedis cacumine totum orbem collustrauit, nonnulla, quæ ad nostrum conferre videntur institutum, singularia ab eodem Pontifice in Gallicam gentem collata beneficia, eiusque propẽfissimæ in Francos Principes beneuolentiæ argumentũ nobis seligenda supersunt.

[a] Apud S. Annt tit. 22. c. 16. in princip.

Anno 1455. Vix Petri sedem Sanctissimus Pater conscenderat, cum Guillelmo Tullensi, & Ioanni Atrebatensi Episcopis litteras dedit, quibus Philippi Burgundiæ Ducis priuilegia, sacrarumque dona Indulgentiarum à Nicolao V. ipsi, aliisque Crucesignatis concessa, eosdemque Antistites sedis Apostolicæ Legatos in exercitu contra Machometi Sectatores

tores instaurando confirmauit : vt autem Philippus totis studiis huic sacro bello animum viresque admoueret, Pontifex omnem adhibuit operam, vt eosdem cum Francorum Rege conciliaret.

Nondum primus eiusdem Apostolatus exciderat annus, cum intensissimo, si vmquam in quouis exstitit, Turcas bello lacessendi ardore succensus, ad Gallicæ gentis opem, tot in præliis summo Ecclesiæ Fideique bono comprobatam mentis suæ oculos conuertit; quam ob causam protinus in Gallias Auenionensem Cardinalem Alanum dictum destinauit, quo Crucis signa attolleret, Regemque enixe rogaret, vt consilio, opera, monitis, regiaque authoritate tam sanctum opus fulciret, promoueretque; Rege autem Apostolicas litteras in Galliis promulgari abnuente, his apud ipsum litteris grauiter conquestus est: *Nemo est cui hæc admirationi non sint charissimos in Christo Filios nostros Castellæ & Legionis Regem assidue cum Mauris pro fide bellare, Regem Aragonum signum Crucis cum tota fere nobilitate suscepisse, Regem Hungariæ ad prosequẽdam victoriam nuper habitam potenter defendere, Regem Portugalliæ ex vltimo Occidẽte non modo Crucem cepisse, sed Oratorem ad nos suum nuper misisse denuntiantem aduentum eius ventura æstate cum regia classe; Denique nationes fere omnes vbi colitur nomen* IESV, *feruere studio Fidei, & vbique locorum prædicari sanctam Domini Crucem: solum Regnum tuum quod potentia primum est, & Fide præcipuum immune tanti operis esse*, &c. *Non cõuenit, cum summam habeas rerum omnium opportunitatem, dissimilem te illis videri; Etsi enim præclarum sit fulgere gloria Antecessorum suorum, præclarius tamen est sua excellere, &c.*

Annal. Eccl. An. 1456. 8.

Rex autem grauissimis hisce Optimi Parentis adhortationibus minime obtẽperauit, veritus ne à regno copiis in Turcas distractis, Anglis iterũ Gallias inuadendi occasio præberetur: Grauissimas quoque Senatui Parisiensi litteras misit, in quibus; *Admiramur*, inquit inter alia, *quod in isto regno Frãcia, vnde potiora & ampliora præsidia Fidei Christianæ sperabantur, & priscis temporibus emanarunt; Cruciata & eius Indulgentiæ publicari non sinantur* : Interea Cardinalis Auenionensis animum confirmauit, ne à cœptis desisteret,

horta-

hortatuſque eſt vt omnem moueret lapidem, quo, Galli Regis gratia auctoritateque, res Chriſtiana in ſuo regno feliciter propagaretur; dux igitur Aurelianenſis, regij item ſigilli præfectus, & Petrus de Oriala S. Martini Comes, nonnullique alij Legato fauere; quare Carolus Rex libenti animo tandem aſſenſit, vt Clerus ſubſidiarias Decumas ſubminiſtraret.

Annon vna mecum, amice Lector, Vrbani II. claſſicum aduerſus Fidei perduelles tam alte in Gallia concinentis in Calliſtum verè transfuſum Apoſtolico in fornace accenſum zelum miraberis? meritiſſimoque iure ea laudum præconia, quibus Vrbani pietas ac imperium plures ex Hiſpaniis (vt ſuo loco vidimus) ad ſacra arma capeſſenda attraxit, modo in Calixtum Gallos ad ſacram militiam excitantem conuertes? nec tibi itidem abſque ſerio conſiderationis intuitu elabi permittas Pontificem tot Regum ad eius opem conuolantium copiis ſtipatum, à Franco Rege quaſi ſuppetias emendicare, non ſecus ac ſi illo deficiente, nulla ei ſpes de Turcis ſuperandis ac penitus expugnandis ſupereſſet: Vnde coniicere fas eſt quantum Chriſtianæ Reipublicæ aduerſus fidei hoſtes vel armis, vel ſcientia debellandos, conuincendoſue roboris addat Gallorum virtus, pro qua ſola obtinenda Calixtus plurimum deſudauit, in cuius aſſertionis confirmationem ipſe Pontifex natione Hiſpanus breui Gallicam virtutem encomio ſic extollit: *Confidimus quod ſi ex Francia auxilium nobis non defuerit, cum adiutorio Altiſſimi ſectam illam Mahometi, & alios infideles funditus delere, & omnino perdere poterimus.*

Numquid eodem plane argumento noſtra hac ætate, ô inclyta gens Gallica, quibuſdam veluti germanæ gloriæ ſtimulis ad ineunda deinceps contra Catholicæ fidei perduelles, infenſiſſimoſque Eccleſiæ hoſtes glorioſa certamina prouocari videmini? Totus nimirum Chriſtianus orbis confidit, quod ſi veſtrum non defuerit auxilium, omnes ferè Chriſtiani nominis hoſtes facili negotio attriti, vobis ſint manus daturi; id enim de veſtra potiſſimùm antiqua virtute, deque exemplo cæteris principibus à vobis

præſtito

præstito, facile sibi pollicetur; Quam quidem Nos fusiori inferius oratione suis ac viuis pro modulo nostro coloribus depingere, totique orbi suspiciendam, omnibusque Christiani populi Athletis imitandam suo loco proponere conabimur.

Hac autem sublimi Gallicæ virtutis æstimatione imbutus idem Pontifex iterum Francorum Regem sollicitauit, vt parta in Pannonicis campis victoria ad Turcas debellandos vteretur, eique diuinas iras hisce litteris intentauit, nisi sese quantocyùs ad tam præclarum opus accingeret: *Tuam igitur Serenitatem iterum hortamur, & intimo cordis affectu requirimus, vt tempus hoc quo Deus summus serenitati tuæ opportunitatem offert, vt nomen tuum immortalitati consecrare possis, non deseras: non desunt modo Christiani Potentatus, qui & nobiscum qui sanguinem & vitam nostram in hac diuina causa denouimus, vires eorum adiungant, &c.* Subiicit ad id Galliarum Regem præ cæteris Principibus obstrictum esse, quippe qui Christianissimi nomen gerat, sectandaque S. Ludouici exempla ipsi ante oculos proponit.

Vt autem eius animum ad prædictum opus magis inflammaret, ipsum aureæ rosæ munere hoc anno adornare cogitauit, quo militarem virtutem Gallici propriam sanguinis aduersus Turcas incenderet: *Nobis autem*, in suis ad Francorum Regem pro hac re datis litteris ait, *qui diuina voluntate quamquam immeriti pastorale culmen Romanæ Ecclesiæ tenemus, cum vellemus hoc præclarum munus in tempore proximæ Quadragesimæ implere, occurristi quem potissimum hoc dono dignum existimaremus: nam ad nobilitatem sanguinis, qua humanum ferme fastigium exuperas, tot adiesisti proprias in omni genere virtutes, vt tantum diuis progenitoribus tuis gloria sis æmulatus, quantum illi serie quadam & splendore maximarum rerum cæteris omnibus regibus ac principibus excelluerunt: en igitur accipe pignus & monumentum nostri in tuam Serenitatem amoris, &c.* Quibus Callisti illustribus sinceræ dilectionis officiis Carolus rex permotus, Pontifici triginta triremes pro Constantinopolitana expeditione sese daturum pollicitus est, quamuis illæ in Turcas immissæ non fuerint:

Cardinali etiam Auenionensi litteras dedit, vt academicos Parisienses ad reuocandam appellationem cogeret, cum nullum maius Pontificio tribunal extare verus quisque catholicus exploratum habeat:

Anno 1458. Cum autem Lugdunensem inter ac Rothomagensem Archiepiscopos de Primatu lis orta fuisset, & Lugdunensis per Oratores ante Galliarum regis tribunal controuersiam mouere tentasset, Calixtus dato diplomate eos admonuit, ne alteri Apostolicum Romanæ Sedis iudicium subesse vnquam paterentur; Quare cum iam Cardinalis Auenionensis eius Legatus Rothomagensem ab imperio Lugdunensis liberum fecisset, huic stare decreto præcepiti: Nunquid paria, mi Lector, à Pontifice genere Hispano reddita Galliis studia, vel in sedandis tam inter principes quam inter Præsules dissensionibus, vel in corrigendis Cleri moribus, vel in pluribus erga principes amoris significationibus declarata, quæ, vt supra vidimus, è Gallia oriundi Pontifices plenis in Iberos manibus contulere.

Atque vtinam piissimus, ac fidei dilatandæ zelo ardentissimus Pater diu superstes fuisset, nam paucioribus annis Christianam gubernauit Rempublicam, cum pastorale hoc onus ætate iam grauis septuaginta septem annos natus suscepisset, præclariora sane pietatis, generosiue animi sui monumenta edidisset, frequentioraque in Gallicam gentem amoris insignia nobis reliquisset: Ex istis autem trium annorum spatio ab eo gestis potiora auspicari licet, quæ prolixiori annorum curriculo ad publicam Christiani orbis, priuatumque Francici populi commodum perfecisset:

Anno 1492. Alexand. VI. PP. natione Hispan. non à Gallis séper alienus. Ex eiusdem Pontificis sorore Valentinus Borgia ipsius nepos anno domini millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo sub Alexandri VI. nomine Ecclesiam administrandam suscepit; Hic licet Carolo VIII. Gallorum Regi Neapolitanum regnum inuadenti infensus esset, nihilominus insitam Iberis erga Francos propensionem haud ita ignorauit, vt aliqua ipsis munera, ac peculiaris amoris insignia exhibere, nequaquam eos dedignatus, minime omiserit,

ſerit: Enimuero ſeptem inſignes viros è Gallia oriundos Cardinalitia dignitate cohoneſtauit: Cæſarem vero Borgiam Cardinalem Valentinum filium ſuum poſt fratris cædem relicta purpura Pontificio exercitui præfectum cum regis propinqua Carolotta connubio ſociari, ac deinde Gallicis copiis coniungi permiſit: Quin etiam ſua comitate ac prudentia Gallorum ad Vrbem numeroſo exercitu cum armis properantium animos ita verbis delinire, promiſſiſque demulcere, efferatoſque ſedare potuit, vt amiciſſimi diſceſſerint, ſic enim Ciacconus [b] teſtatum reliquit.

[b] In vitis Pontific.

Et hæc de potiſſima inter Pontifices Gallico illuſtres genere cum Iberis, & Pontifices ex Hiſpania oriundos cum Gallis communione dicta ſufficiant: Poſtremo hic loco immenſa cæterorum Pontificum ſtudia componendis amborum Regum diſſidiis indefeſſo conatu impenſa nonnulli fortaſſis recenſenda fuiſſe opinabũtur, quod ſuperuacaneum meo quidem iudicio futurum affirmabunt, vbi vel vnicam oculorum aciem in Eccleſiaſticarum volumen hiſtoriarum coniecerint, nam ex illarum monumentis continuiſue Sedis Apoſtolicæ Legationibus, necnon Apoſtolicis vtrique Regi crebro tranſmiſſis litteris perſpicue patet, Summos Pontifices nimium quantum aſſidue deſudaſſe, totoſque mentis conatus adhibuiſſe, vt ambo iſti potentiſſimi reges præcipui Eccleſiæ filij ſtrictiſſimo amoris nexu deuincirentur, vnde maxima commoda in florentiſſima eorum regna, atque in vniuerſas Chriſtiani orbis Prouincias exundarent: quare de his ſatis: ad alia nunc pergimus, in quibus alterna Francorum ac Iberorum conſuetudo maxime effulſit, quod in ſequenti capite mutuas Legationes continente clarius apparebit.

Gallorum in Hispanias, & Hispanorum in Gallias Legationes, necnon aliquorum Cardinalium utriusque Nationis in iis regnis gesta.

CAPVT QVARTVM.

EXIMIAM Romanorum Pontificum, qui in præstantissimo totius Ecclesiæ corpore Capitis munere fungi iure censentur, sedulitatem, assiduaque Christianæ status Reipublicæ salubriter administrandi studia in Apostolicæ Sedis Internuntiis veluti brachiis ac potioribus membris firmiter innixa consistere neminem inficias ire crediderim; Quapropter in celeberrima Arnulphi Lexouiensis Antistitis Epistola ad Cardinales hæc inter cætera de eorum labore ac ope Summis Pontificibus præstita adnotantur [a]: *Interim si Domino nostro & vobis nostram non possimus præsentiam exhibere, aliqua tamen ex parte supplet devotio charitatis absentiam, quoniam venerabilibus Patribus nostris Sedis Apostolicæ Legatis assistimus, cum eis toto studio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ utilitatibus insistentes:*

[a] Annal. Eccl. anno 1159. n. 69.

Cum igitur de continua Summorum Pontificum vigilantia ad firmandam mutuam Gallorum atque Hispanorum societatem enixe impensa superiori capite disseruerimus, de eorum Legatis ad eamdem stabiliendam indefessolabore intentis, necnon de Cardinalibus Gallico genere illustribus erga Iberos propensissimis, ac de Hispanis Cardinalibus Francicarum rerum prospero statui promouendo addictissimis modo sermonem à nobis fieri nostri ratio postulat instituti: Commemorandus imprimis occurrit Cæsarius Arelatensis inter præcipua Ecclesiæ Gallicanæ lumina pietate ac scientia clarissimus, ad quem Symmachus Papa scripsit in hunc modum [b]: *Decernimus ut circa ea quæ tam in Gallie.*

Anno 514. S. Cæsar. Arelat. Legatus in Gall. & Hisp. à Symmacho PP. declarat.

[b] Sirmond. Tom. 1. Concil Gall. pag. 187.

quam

quam Hispaniæ prouinciis de causa religionis emerserint, solertia tua Fraternitatis inuigilet, & si ratio popoſcerit, præsentiam Sacerdotum seruata consuetudine vnusquisque tuæ dilectionis admonitus auctoritate conueniat, &c. Et in hac parte magnopere te volumus esse sollicitum, vt si quis de Gallicana, vel Hispanica regionibus Ecclesiastici ordinis atque officij ad nos venire compulsus fuerit, cum Fraternitatis tuæ notitia iter peregrinationis accipiat, vt nec honor eius per ignorantiam aliquam contumeliam patiatur, & ambiguitate depulsa à nobis animo securo in communionis gratiam possit admitti:

Archiepiscopum Arelatensem in Galliis Pontificias olim gessisse vices apud Ecclesiasticæ historiæ peritos in confesso est; quæ quidem prouincia Cæsario, aliisque Legatis in Gallias directis, vt suo loco dicemus, à Pontifice commissa fuit, vt nimirum Hispanicis simul rebus sedulo incumberent; vti etiam sub Innocentio III. Petrus Presbyter Cardinalis tit. S. Laurentij in Damaso Gallicæ, Hispanicæque Legationi vacauit; Et Bonifacius Papa IX. Petro de Luna Gallicanæ ac Castellanæ Legationis munere cum à se decorandum pollicitus est, dummodo à schismate resipiscceret; Quare ex vno eodemque Galliarum ac Hispaniarum Apostolico Legato antiqua vtriusque nationis communio ac consuetudo manifeste dignoscitur: Annal. Eccl. anno 1390, n. 7.

Inter cæteros purpuratos Patres Galliæ alumnos secundum obtinet locum (vt videre est in Gallia purpurata) Hugo Cardinalis cognomento Candidus: Hic ab Alexandro II. Sum. Pont. in Hispanias Legatus à latere destinatus vna cum Episcopis Hispanis Legatis qui Concilio Mantuano interfuerunt, Hispanias petiit: Illuc appulsus Barcinone Concilium celebrauit, in quo plura ad instaurandam Ecclesiasticam disciplinam assiduis Maurorum excursionibus labefactatam sancita fuere; Præcipue vero idem Legatus Apostolicus Gothicas leges quibus Catalani vtebantur penitus abrogauit, nouasque sanxit, vnde iura populis ad nostram vsque ætatem dari consueuere: Hic vna mecum siste paululum, Lector, & virum natione Gallumnouas Iberis leges ponentem expende, quas tan- Hugo Candidus Gall. Card 2. Legatus in Hispan. Annal. Eccl. anno 1064. n. 42. Mariana lib. 9. c. 5.

ti fecere, vt poſthabitis auitis firmiter ad hanc vſque diem illas retinere decreuerint: Quamobrem cum aſſidue Gallorum decretis in publica regni adminiſtratione vtantur, eximiæ eorum ſolertiæ Occiduam illam gentem etiamnum maxime deuinctam, ſimul & potiſſimum iſtud præ cæteris mutuæ inter vtramque nationem conſuetudinis, vnioniſve argumentum eſſe profitearis: Idem vero Legatus tantæ fuit apud omnes auctoritatis, vt Hiſpaniæ Alexandrum Summum Pontificem, Cadaloo contempto, agnoſcendum, venerandumque facile perſuaſerit, quod ſane inter præcipua in illos populos à Gallo homine collata beneficia recenſendum merito videatur.

Anno 1073. Altera Eiuſdem Card. Legatio ſub Greg. VII. in Hiſpan.

Verum altera Legatio, quam prædictus Cardinalis ſub Gregorio VII. in Hiſpaniis obiuit, potiora noſtro inſtituto argumenta ſuppeditat: Primo igitur ſuæ aſſumptionis menſe Gregorius Hugonem in Hiſpanias dimiſit, cui per Gallias iter facienti litteras dedit ad Geraldum Oſtienſem Epiſcopum & Raimbaldum Subdiaconum Legatos in Galliis, quibus eumdem Legatum tunc ſtudio ac voluntate ſibi connexum aſſerit, addit-

lib. 1. Ep. 6. que: *Vos autem ex noſtra parte rogate Abbatem, vt tales ſibi adiungat, qui eum comitentur, quorum conſilio & adiutorio iter & laborem illum fiducialiter aggredi poſſit, Legatione tamen in eo principaliter poſita: extra Hiſpaniam vere nullius vnquam publici rerum Eccleſiaſticarum negotij ſine veſtro conſenſu, quamdiu vos in Gallia fueritis, licentiam ſibi dedimus faciendi*: Pontifex enim Iberarum ouium ſalutis perquamſtudioſus Cardinali dederat in mandatis, vt dum per Gallias iter haberet, è Cluniacenſi monaſterio Monachos aſſumeret, qui ad plurima in Hiſpaniis ordinanda eum iuuarent:

Attende, obſecro, quanta in vno rerum congeries? Pontifex ad informandos Iberorum mores ſibi dudum probata Galli opera in illis regionibus vti decreuit, Legatos in Gallia, vt ei præſto eſſent, admonuit; Monachos item indigenas è Cœnobio abduci, vt ad primæuum virtutis florem

rem

rem Iberos restituerent, præcepit, mutuum denique Hispanici cum Gallicis Legati consensum animorum indicit; Ex quibus omnibus tanquam rectis ad centrum productis lineis, singularibus in vtroque regno expressa huiusmodi consuetudo significationibus aperte demonstratur:

Et certe maxima tunc temporis huiusce Legationis necessitas vrgebat; nam Mauris post varios à Catholicis motos conflictus debellatis, eorum Prouinciæ ad quas Pontifex ius habebat, antequam Arabes eas occupassent, debitum persoluere tributum ægre ferebant, tum etiam ex prædictis barbarorum dissensionibus res fidei, Ecclesiasticaue in iis regnis disciplina in decliui positæ admodum periclitabantur; Quare Gregorius in Epistola ad dictos Galliarum Legatos transmissa sic fatur: *Tales illuc personas dirigi procuraretis, qui & errorem Christianorum, qui ibi reperiuntur, in spiritualibus corrigere saperent, & in exquirendis causis S. Petri iuxta tenorem pactionis, si res bene procederet, sat idonei forent:* Quod autem ad Comitem spectat, de quo in eiusdem Gregorij litteris facta est mentio, vnum ex Gallicis Principibus fuisse haud dubium est, *Gallos enim*, ait Baronius[a], *Sua sponte, siue vocatos ab Hispaniarum Regibus expeditionem parasse contra Saracenos Francorum antiqua monimenta declarant*: Quæ sane omnia mutuum Galliæ cum Iberis consensum, eximiumque Francorum non modo sacræ addictorum militiæ, verum etiam singularis virtutis ac pietatis laude insignium pro Hispanicarum rerum prouentu zelum ardoremque significant, cum vel sua sponte à barbarorum iugo eas regiones erepturi Hispanicis copiis sese strenue adiungerent, vel ipsi Hispaniarum reges ad opem sibi ferendam eos tanquam ab omni sæculorum memoria sibi confœderatos inuitarent, atque suarum victoriarum participes efficere mirum in modum exoptarent: Quantum igitur Legati opera ac studio vna cum Monachis è Francia eductis Christiana res profecerit, vnicuique augurandum relinquimus:

[a] Annal. Eccles. Anno 1073. 36.

Bernardus quoque Cluniacensis antea monachus simul & sancti-

Bernardus Abbas Maſſil ſub eod. Greg. VII. Legatus in Hiſpan.

Sancti Victoris Maſſilienſis Abbas ſub Gregorio VII. Apoſtolicas in Hiſpania vices egit: *Vir vndequaque doctiſſimus, vita & cõuerſatione valde religioſus, in cauſis Eccleſiaſticis ſæpe Legatus induſtriam ſuam oſtendit*: ita de eo [a] Trithemius: Qua autem ſolertia eiuſmodi apud Iberos munus obierit ex eo coniicere fas eſt, videlicet quod eius germanus frater Riccardus Maſſilienſis item Abbas & Card. mox ipſi defuncto in eadem Legatione à Gregorio ſuffectus fuerit; Magna igitur prudentiæ ac pietatis laude, qua Prouinciam illam adminiſtrauit, fratri eam promeruiſſe iure quidem optimo ominari licet: de Riccardo ita Gregorius ad Gerundenſem Epiſcopum & ad Centullum Comitem ſcribens: [a] *Quod ſi acquieſcere monitis veſtris fortaſſe neluerint, oſtenſis eis præſentibus litteris* (intercedebat enim tunc temporis acris inter filios Raimundi Berengarij Comitis Barcinonenſis diſcordia) *ad tenendam eos treguam firmiſſimam vſque ad determinatum tempus ex auctoritate veſtra conſtringite; Infra quod nos tales illuc ex latere noſtro Nuntios dirigamus, qui cauſam litis eorum ita iuſte definiant, vt non ſe ad gratiam alicuius nec præmio nec fauore deflectant*: Verum hic obiter aduerte Cardinalem cæteroqui Gallum lites in Hiſpaniis dirimentem, nec humano aliquo reſpectu ac fauore vel tantillum ab æquitate deflectentem, vt hinc Francica gens Iberorum diſſenſiones extinguere, ac veluti amantiſſimorum Fratrum quieti ac felicitati totis animi corporiſue viribus incumbere præcipuum munus ſuum eſſe ſibi gratuletur.

[a] Annal. Eccleſ. an. 1076

Richard. Bern. Fratri in Legat. à Pontif. ſuffectus.

[a] Lib. 16. Epiſt. 6. & 10

Ad Alfonſum quoque Caſtellæ regem idem Cardinalis Legatus à Pontifice directus fuit, qui auream clauiculam more Maiorum catenæ S. Petri ramentis ditatam Gregorij nomine obtulit: Burgis, vbi veteris Caſtellæ caput erat, ad formandos mores & priſtinam Eccleſiæ formam reſtituendam, Concilium habuit; In eo veteres Eccleſiæ leges in morum diſciplinam reuocatæ, ac præſertim quod in Germania non abſque motu factitatum erat, vxores Sacerdotibus auulſæ, quas priſci moris obliti, & voluptatum illecebris ſuperati plerique habere conſueuerant: Præterea

Io. Marian. Ly. c. 11.

Arago

Aragoniæ exemplo precandi ritus & Romano more sanciti : Prisca Gothorum instituta rebus diuinis procurandis, propitiandoque Numini antiquata ; pleraque alia ad morum disciplinam decreta : Perspicuis igitur signis, ô Iberi, post longas Maurorum excursiones Ecclesias vestras Francorum hominum studio ac labore ad florentissimum reductas statum potestis aduertere, vnde peculiari vos titulo eisdem obstrictos esse fateamini.

Cum autem Riccardus Canonum propugnator acerrimus Alfonso Regi vxoris suæ consanguineam sibi in sponsam adiungere cupienti generoso animo obstitisset, multa ab eodem Rege pati coactus fuit ; Quibus auditis, Gregorius Legatum litteris est consolatus, Alfonsumque, vt à cœptis desisteret, grauissimis hisce verbis admonuit : *Dici non potest, Fili charissime, quantum nos referente Filio nostro Apostolicæ sedis Legato Riccardo nobis cognita præclara tua obedientia latificauerat*, &c. *acquiesce autem per omnia Legato nostro Fratri Riccardo, quem nisi prudentem & religiosum cognouissem, nostras ei vices nullatenus commisissem:* Alfonsum tandem Pontifici paruisse, ac Legato sese adiunxisse ex aliis Gregorij litteris ad ipsum Regem conscriptis liquido patet, in quibus inter cætera Pontifex sic loquitur : *Quapropter Serenitatem tuam stadere oportet, vt cum consilio præclari nostri Legati Riccardi Massilienſis Abbatis alioramque religiosorum, eligatur inde si inueniri potest (nempe Toletanus Episcopus) sin autem aliunde expetatur talis persona, cuius religio & doctrina Ecclesiæ vestræ & regno decorem conferat & salutem.*

l. 7. Epist. 5.

l. 9. Epist. 17.

Clarissimum autem Castellani Regis cum Legato cæteroqui Gallo coniunctionis argumentum satis mirari non possum, cum videlicet Alfonsus à priori eum, quem animo conceperat, eligendi sententia recedens, Abbatem S. Facundi natione Gallum ad Toletanam Sedem promouendum curauerit : Rem gestam nos suo loco fusius ; Nunc aduertere sufficiat hominem Gallico ortum genere tanta ab Alfonso dignitate cohonestatum, Legati potissimum hortatu, ac consilio, qui ex eadem ortum natione virum

alioqui optimum tali Primatus honore dignissimum eidem proposuerat.

Giraldus Prior Cluni ac Card. Legat. in Hisp. Gal. purpurat l. 2. & Greg. PP. VII. l. 2. Epist. 56. & l. 9. Ep. 34.

Non desunt authores, qui missum à Gregorio VII. in Hispanias Legatum Giraldum Gallum Cluniacensis Cœnobij Priorem, postea Cardinalem Ostiensem, vna cum Ratholdo Nouiomensi Antistite affirment: Hinc collige non modo Pontifices è Galliis oriundos suorum conciuium opera ad res Iberorum componendas, (quod sane non adeo mirandum foret) vsos fuisse, verum Italos etiam Pontifices è Cardinalium Collegio Francos potissimum, tanquam præ cæteris non tam regionum proximitate, quam insita inter sese necessitudine ad Iberorum res pertractandas maxime idoneos elegisse: Et recte quidem, cum nihil efferatissimos licet dissidentium animos magis inter se conciliet, quam natiua morum suauitas, ingenuique sermonis affabilitas, vnde Summi Pontifices ad conciliandos inter se vtriusque Nationis animos, ipsis Gallos (quorum ingenua piæ cæteris, si fas est dicere, affabiliisque natura) Legatos destinauere.

An. 1091. Rayn Cluniac. Card. in Hisp. Legatus.

Sub Vrbano II. Raynerium genere Gallum ex Cluniacensi monacho Presbyterum Cardinalem Legatum in Richardi Abbatis Massilienſis locum ad Hispaniarum Regem suffectum fuisse Mariana [b] testatur: Eius igitur studio tum alia decreta pro Ecclasiastica disciplina in mores reuocanda, quæ temporum iniuria nimium laxata erat, promulgata sunt, tum illud constitutum, ne amplius Gothicis litterarum characteribus in publicis tabulis, vsus esset, Gallicosque pro iis charecteres substituit: Quæ autem subiicit citatus author diligenter notanda accipe: *Etenim ab antiquissimis temporibus Gothi, Longobardi, Vuandali, Sclaui, Francique proprios singulæ nationes characteres litterarum forma à Latinis discrepantes, quibus vtebantur, inuenerunt, Franci & Sclaui veterem retinent, cæteræ nationes progressu temporis abdicarunt*: Cum igitur Franci proprios characteres retinuerint, iisque Iberi, cæteris omissis, vsi fuerint, præcipuam inter vtramque gentem interceſſisse consuetudinem,

[b] lib. 9. c. 18.

ac

ac singulare commercium postremorum diuturniori temporum interuallo continuandum fore clarissimis hisce characteribus coniunctarum veluti mentium indicibus expressum omnes vna palam fateamur.

Nihil dico de Matthæo Cardinali Albanensi in Remensi Prouincia edito, quem inter cæteras insignes, quas obiuit, Legationes in Galliis, Anglia, & Germania, Hispanica quoque functum Petrus Cluniacensis [a] testatur. *Anno* 1230. Matth Card. Gall. Leg. in Hispan. [a] lib. 2. c. 16.

Ad Ioannem Halgrin Congregationis Cluniacensis à Gregorio IX. Cardinalium numero adlectum orationem conuerto, qui in Hispania Legatione ad Iacobum Aragonum Regem functus est, in cuius regno prædicandæ sacræ in Sarracenos militiæ plurimum incubuit: Hoc vero munus tam præclare obiuit, vt Maiorica vrbs à Sarracenorum imperio glorioſe vindicata fuerit; Ex Hispania Italiam repetens, Sanctum Raymundum de Penna forti ordinis Prædicatorum Iureconsultissimum, sacræque Pœnitentiariæ, ac totius Dominicani instituti sapientissimum moderatorem comitem secum duxit: Huic igitur Gallico Cardinali cum Raymundo Hispano arctissima necessitudine coniuncto Italos maxime obstrictos esse quis non videat, cum ipsius nimirum beneficio sanctissimi, doctissimique viri solertia in Curia Romana, necnon Pontificiæ ipsius animæ in sacro Conscientiæ foro regendæ eximia sollicitudo, plurimaque virtutum eius lumina publicis Christianorum commodis accensa mirum in modum effulserint. *Anno* 1228. Gall. purpurat. l. 2.

Petrum de Bar Gallo ortum genere, ac Cisterciensis antea instituti professorem omitto, qui inter cæteros sub Innocentij IV. Pontificatu Apostolicæ sedis Internuncios in Hispanias destinatos, adnumeratur. *Anno* 1248. Petr. de Bar. cistere in Hisp. Legat.

Ad redintegrandam quoque in Lusitania rem Ecclesiasticam missus est à Clemente IV. Apostolicæ sedis Nuntius Folquinus Canonicus Narbonensis, ampliſſimaque instructus authoritate, diuulgatas aduersus Alfonsum Regem ab Archiepiscopo Bracarensi, aliisque Præsulibus ac populis moras in regem querelas excipere iussus est: Quid de Ioanne Annal. Eccl. *An.* 1268. 40. Folq. Narb. Canonic. in Lusitan. à Clem. IV. missus. *An.* 1284.

Chilet præclara item Gallica progenie dicam, quem anno Domini ducentesimo octuagesimo quarto supra millesimum Martinus Papa IV. in Gallias & Hispanias contra Petrum Aragonensem delegauit: Ipse etiam ab Honorio IV. in extremas Gallici regni oras versus Baionam directus fuit, vt Sancium Castellæ Regem & Philippum Galliæ cognomento Pulchrum fœdere coniungeret; post varios conuentus, in quibus nouæ semper dissensionum causæ excitabantur, Cardinalis opera ictum hisce conditionibus fœdus, vt nimirum Alfonsus Cerda à Regis Castellæ appellatione abstineret, & Mauricæ regnum Sanctio, vtpote Castellæ Regis beneficiario traderet, etsi absque prole decederet, Ferdinandus frater natu minor substitueretur; mille equites in subsidium Galli Aragoniam inuadere meditantis mitterentur, tutumque iter Gallicis copijs per Prouinciam daretur; Cerdæ autem fratres soluti carcere Philippi Regis dominio traderentur: O quoties Purpurati è Gallia orti Patres sanciendæ inter Francos ac Iberos pacis negotio operam nauarunt, eamdemque prouinciam suis eiusdem dignitatis heredibus delegarunt!

Anno 1287. Idem ab Honor. IV. in Gall. Legatus.

[a] lib. de gestis Philippi.

Anno 1294. Guilel. Ferrer. Card. Bonif VIII. Legatus. Ciaccon. in vitis Pontif Ioan. Villan. l. 8. c. 13. l. 1. Ep. 213.

Guillelmus itidem Ferrerius in Prouincia Galliæ natus Cardinalis tit. S. Clementis à Bonifacio VIII. delegatus est, vt pacem inter Philippum Francorum, Carolum Siciliæ Reges, Carolum Alenconij & Valesij Comitem, & Iacobum Aragonium instaurari contenderet, ad quem datæ Pontificiæ litteræ, ex quibus hæc pauca decerpsimus: *Vbicumque circa explicationem tractatus eiusdem aliquis te nodus dubitationis ingesserit, quod te forsitam in perplexo deduceret, oculos conuertens ad Christum, quantum cum illo poteris conformes tuæ conscientiæ gremiũ ad id potius quod prædictæ perfectioni proficiat, quam quod ipsam per obstaculum alicuius ingesti præpedij aliquo modo lædat*, &c. *sic te geras tractabilem & humanum, quod rigorem mansuetudine tua prouisio temperet, & ad aquitatis dulcedinem per modestos & explicitos terminos circumspectio prouida secum gratia humanæ amabilitatis inclines:* Quæ verba in medium adducere optimum duxi, vt hinc perspicuum

spicuum sit quantum Apostolicæ sedis Internuntij de humanæ diuinæque sapientiæ consiliis, iustæque comitatis gratia à Pontificibus instructi, ad pacis tractatus cum potentissimis Regibus feliciter terminandos omnes conatus adhibere consueuerint.

Huiusce purpurati Patris Germanus frater extitit Ioannes Ferrerius primùm Melphitensis in Apulia Episcopus, qui certantibus pro regni Neapolitani iuribus contra Aragonios Francis, Alexandri VI. auctoritate ad Ludouicum XII. Francorum Regem, & Ferdinandum missus est; Colloquium igitur amborum Regum impetrauit, lituoque sacro, Arelatensi Ecclesia Pastore tunc destituta, eiusdem regis auctoritate tunc fuit decoratus.

Ioan. Ferrer. dicti frater Arelat. Archiep. ad Gallien. & Hisp. mistus.

Quod si vlterius annorum periodos euoluendo progrediamur, Guilelmum Godin Theologum Parisiensem Dominicanæ familiæ olim alumnum, ac deinde tit. S. Cæciliæ Cardinalem in Hispaniam delegatum fuisse à Ioanne XXII. Summo Pontifice, Ioanne Mariana [a] referente, exploratum habebimus; Eius vero industria Castellæ res plurimum redintegratæ, Palentiam regni conuentus indicti, Alfonso Infanti administratio concessa; Proceres qui Tutorum nomine plures turbas excitabant, rumoresue spargebant, ablegati: Vallisoleti Synodum habuit, in qua plurimorum Hispaniæ Antistitum consensu permulta ac præclara ad Ecclesiasticos mores instaurandos decreta fuere; anathemate percussi qui carnibus Quadragesimæ & Quatuor temporum diebus vescerentur; à nostra religione alieni, ne templis, dum diuina peragerentur, interessent, præscriptum fuit; purgatio vulgaris reprobata, qua Hispani vulgo vtebantur.

Anno 1321. Guilel. Godin Card. in Hisp. Legatus.

Ioan. Marian. l. 15. c. 18.

Plura in Hisp. Concilia à Gall. Nuntiis coacta.

Plura in Hispaniis Patrum Comitia Apostolicorum opera Nuntiorum, & maximè Gallico illustrium sanguine conuocata fuisse compertum habetur; Quare cum ad rem Ecclesiasticam in prouinciis fouendam, augendamue, pervtilis Conciliorum vsus semper fuerit, Iberi potissimũ Francos, qui huiusmodi Conuentus ea ætate in Hesperiis vrbibus celebrarunt, Ecclesiasticæ disciplinæ in suis partibus

rebus renouandæ studiosissimos agnoscunt, iisdemque prorsus verbis in Gallorum gratiam Legatorum vti possunt, quæ Antistites in Toletano Concilio sub Vuamba celebrato congressus initio protulerunt: [a] *Eramus hucusque prolabentis*
[a] *Anno 675.* *saeculi colluuione instabiles, quia annosa series temporum subtracta luce Conciliorum non tam vitia auxerat, quam matrem omnium errorum ignorantiam otiosis mentibus ingerebat: cernebamus enim quomodo Babylonicæ confusionis olla succensa nunc tempora Conciliorum quæreret, nunc Sacerdotes Domini dissolutis moribus irretiret, &c. Cum tandem diuina nos clementia ex alto respiciens & tempori ætatis nostræ se occursuram præbuit & saluti, præparans nostris sæculis religiosi principis mentem deuotam pariter & instructam, cuius feruidæ sollicitudinis voto & lux Conciliorum reuocata resplenduit, & alterna charitas se mutuò in corrigendis vel instruendis moribus excitauit, &c.* Hæc eadem plane commoda Iberi Gallorum Cardinalium studio ac diligentia sunt experti, qui in ipsorum regna ac prouincias post longa dissidia cum barbaris habita sunt delegati, vt Ecclesias præstantissimas cæteroqui in pristinum disciplinæ florem restituerent.

Anno 1529. Bertrand. Gall. & Petr. Gomes Hisp. Bened. XII Legat. ad Gall. & Angl. Reges. En iam Benedicti Papæ XII. tempora sensim sine sensu discurrendo attigimus, qui anno Domini millesimo supra trecentesimum vigesimum nonum Legatos in Gallias ordinauit Bertrandum de monte Fauentino diœcesis Cadurcensis, & Petrum Gomesium Hispan. tit. S. Praxedis Cardinalē Legatos ordinauit, vt optatos inter Philippum Franciæ, & Eduardum Angliæ Reges pacis tractatus inirent: Legati ergo quamuis debito cum honore in Galliis excepti fuerint, ipsis tamen aditum in Angliam profecturis Eduardus præcluſit, qui Procuratores Ioannem Cantuarienſem & Riccardum Dunelmenſem Antiſtites de rebus controuersis cum Philippo tractaturos mittere solummodo voluit; quare nihil effectum.

Sequenti vero anno hæc inter alia Eduardus Pontifici scripsit: *Et licet coram Reuerendis Patribus Petro tit. S. Praxedis Presbytero, & Bertrando sanctæ Mariæ in Aquio Diacono Cardinalibus, & Sanctitatis vestræ Nuntiis, qui circa*

pacis

pacis negotium laudabiliter & sollicite laborarunt, petitum sit nostro nomine dictum Regnum Franciæ, quod ad nos pertinere noscitur, omni iure præfatis Cardinalibus sub certis viis pacis velle nostrum bona fide fecerimus aperire, &c. Obserua mecum, Lector, Pontificem è Gallia oriundum, Hispani Cardinalis opera vsum, quo exacerbatos istorum Regum animos leniret, nouoque pacis vinculo sociaret; Ad tam arduum insuper opus felici exitu perficiendum Cardinalem Franco cretum sanguine ipsi comitem adiunctum.

Hinc clare deducas quantum vtriusque regni felicitati conferat mutuus Cardinalium ex vtraque natione consensus, quorum potissimum studio, sicut olim in Galliis Benedictus optatæ pacis finem consequi sperabat, ita nunc tota Christiana Respublica ipsis purpuratis Patribus vtrique nationi fauentibus de instaurata inter ambos nuper reges concordia, eorumdem præcipue diligentia solertique contentione prouecta gratulatur; Maioris quippe Dominici gregis Senatus S.R.E. Cardinales, cum sint Iuridici interioris disceptatores Conclauis (quos & Fratrum nomine Pontifex compellat) pro suo laudabili in Ecclesiæ commoda zelo vnanimi Decretorum consensu sanctissimas populis leges bonorum omnium fontes imponunt, vnde potiora in dies commoda, maioresque in vtraque gente prouentus ab ipsorum noua consociatione, gratoque commercio haud temere auguramur.

Neque hic silentio præterire licet Cardinalem Hispanum Francis de rebus Iberorum maxime studiosis, vt supra vidimus, impensa à se in stabiliendo cum Anglis fœdere opera amplissimum fœnus reddidisse; in cuius rei maiorem protinus confirmationem Ægidium Garziam Aluarum Carriglium Albornotium Toletanum primùm Archiepiscopum, postea inter purpuratos Hispaniarum Patres conspicuum læti ouanteque producimus, qui copiosa suorum præclare gestorum in Francorum gratiam multitudine cæteros omnes multis partibus superauit:

ravit: Hic à Clemente VI. Gallica inſigni proſapia anno Chriſti milleſimo trecenteſimo quinquageſimo purpurâ cohoneſtatus vna cum Cæſarauguſtano tunc electo, cæteriſque digniſſimis Patribus fere omnibus Gallico genere oriundis, quorum ſane Ægidius & à Pontifice nominatus eſt primus, & ab Innocentio VI. primariis etiam muneribus decoratus.

Ægid. Garzias Albornotius à Clemente VI. Card. creatus.

Ex diuturno autem Romanorum Pontificum, & calamitoſo ab Vrbe exilio commoti nonnulli Principes aſſidue in Italia Diui Petri patrimonium per tyrannidem occupare pertentabant; Inter cæteros Ioannes è vico pluribus vrbibus Eccleſiæ dominio ſubtractis, cæterorum ipſius factionis coniuratorum conſilio ac ope Romam ipſam ſibi ſubiicere meditabatur. Ad ipſorum igitur frangendos conatus, atque Eccleſiaſticam ditionem recuperandam Innocentius quamuis natione Gallus, ac tum temporis plures non tam numero quam virtute ac ſolertia clariſſimi Patres purpura inſigniti in Galliis progeniti eum ſtiparent, nihilominus cæteris prætermiſſis in vnicum Ægidium Hiſpanum genere oculos animumque conuertens ampliſſimæ Legationis munere auctum in Italiam miſit: Summam Cardinalis virtutem, ſingularemque tam ardua prudentiam ex Pontificis litteris ad eum datis colligere licet, in quibus poſt plurima ſic habetur: [a] *Nos vero diligentius attendentes, quod propter magna & ardua quæ nobis in partibus citramontanis incumbunt, ad partes illas vbi mente ſumus accedere perſonaliter pro huiuſmodi noſtro exequendo deſiderio non valeamus, & quod perſonam tuam gratiarum dator Altiſſimus ſcientiæ magnitudine, induſtriæ claritate, & aliis multis virtutibus inſigniuit, ad te, in cuius affectu geritur pacificare diſcordes, & virtutum ſeminaria ſerere, noſtrum intuitum vt fortem opere & ſermone mittamus ad fortia, & tuis robuſtis humeris onera grandia imponamus, duximus dirigendum, ideoque gerentes de tuis claris meritis & virtuoſis operibus fiduciam in Domino ſpecialem, quamuis nos & Fratres noſtri tanti viri præſentia nobis & Eccleſiæ Romanæ neceſſaria, & perutili careamus*

Innoc. VI. PP. ipſum in Ital. Legatũ mittit.

Quãti Innocent. eumd. Card. fecerit

[a] Nicol. Laurent. vitæ auctor. c. 18.

mus

mus inuiti, tamen propter vrgentem necessitatem partium, prouinciarum, & terrarum prædictarum, quibus speramus per tuam prouidentiam circumspectam, illo tibi auxiliante qui potest omnia, in præmissis salubriter consuli & vtiliter subueniri, te tanquam pacis Angelum ad dictas partes, &c.

Ecquis amabo te, mi Lector, tam disertam, tamque præstantem conficit panegyrim? Pontifex alioqui natione Gallus; de quo tam sublimia prædicat? de Cardinale Hispano; Quis non miretur summam à Pontifice de tam insigni viro conceptam opinionem, cum in tam illustri, & ad Apostolicum splendorem redintegrandum spectante negotio, relictis aliis omnibus, suimet vices in Italia gerere voluerit; dixit Pontifex se ad partes illas, vbi mente præsens aderat, accedere non posse, quare sui ipsius illic sustinendi personam Cardinali prouinciam dedit: Istud profecto eximiæ in eum beneuolentiæ existimationisue argumentum cum amantissimis diui Paulini verbis ad Pammachium scribentis conferre liceat: *Certe adsum tibi & potiore mei parte, cum animo ad te venerim, & quo nisi adsimus, vt etiam corpore interssimus, præsentiam non probamus, vacua nostri imagine mentis absentia:* Numquid eadem plane verba Pontifex in suis pronuntiasse litteris videtur? Italiæ nãque regionibus aderat animo præsens, & potiori sui parte in D. Petri patrimonio diuersabatur, quod vt apertius ostenderet, hominem delegit, qui suæ mentis communi reparandæ saluti intensissimæ viuam in se imaginem exprimeret: *Hanc de te inuicem* (Pontifex subiicere quodammodo poterat, toti Italiæ per suum Legatum opem ferens) *gratiam, quæso, merear, vt tu quoque me interioribus videns oculis tanquam adstantem cominus, & coram loquentem, & coanhelantem anxietudini tuæ de necessitate communi vel patientiæ congratulantem de spe fidei susceptas pariter atque conspicias.*

Epist. ad Pãmach.

Neque vero Italia pontificiis defuit votis, in egregia namque Hispani Legati solertia, insigniq; virtute Innocentium ipsum reuerita est, atque in eiusdem obediẽtiam quamprimũ restituta; sequenti quippe anno Innocentius Ægidio de

Eiusdẽ Card. in Ital. præclare gesta.

Anno 1354.

felicibus Legationis suæ primordiis hisce litteris est gratulatus: *Litteras tuas, per quas significasti nobis successus prosperos, quos aduersus abominationis idolum Ioannem de Vico habuisti, benigne recepimus, & tanto inde maiori exultauimus gaudio, tantoque ipsi Omnipotenti Deo gratias egimus ampliores, quanto per ministerium tuum spei nostræ vberi partus initia vberiora succedant, quantoque illa feliciori exitu terminanda sine dubitatione tenemus; sic ergo fili laboribus & sollicitudinibus tuis operam prosecutionis & solertiæ diligentioris adiicias, &c.* Marchiam igitur, Polentanos, Rauennam pariter, aliasque vrbes ad Pontificium obsequium strenue redegit; Bononiam Ecclesiæ restituere pertentauit, quam deinde à Ioanne Ligiano recepit; Cæsenam, aliasque arces à tyrannis detentas feliciter expugnauit.

Tom. 2. Epist. Secret. pag. 73.

Interea plurimis vagorum militum turmis Apuliam deprædantibus, Ægidium Ludouico Siciliæ Regi Gallico illustri sanguine Innocentius auxiliares copias submittere iussit, eidemque in Siciliæ regno Legationis Apostolicæ munus demandauit, vt prædones coerceret, aliaque perficeret, quæ in litteris ad Ludouicum sic exprimuntur: *Eundem Legatum ad regnum & terras citra Pharum prædicta tanquam pacis Angelum, & reformatorem eorum tibi in eis vices nostras committendo, &c Cum ad audientiam nostram & Sedis prædictæ infestus rumor deduxerit, quod in dicto regno & terris citra Pharum, humani generis inimico turbatore quietis afflante, ipsius tempestatis reliquiæ multæ remanent; fauillæ recalescunt, &c. Et quod fortius est dolendum, diuinus ibidem cultus negligitur; Hæreticorum quamplurimum, & præsertim illorum, qui Fraticelli vulgariter nuncupantur, damnata rabies inualescit, Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum bona & iura violentis prædationibus exponuntur, & vt plurimum etiam Clerici Ecclesiasticæ disciplinæ laxatis habenis, inhonestis artibus & vitiis se inquinant, &c.* Quibus feliciter peractis, aliisque eiusdem Cardinalis studio vrbibus Apostolicæ Sedis imperio restitutis, cum anno post Christum natum sexagesimo primo supra millesimum trecentesimum nonnulli

Epist. cur. 14

Anno 1361.

nulli etiamnum Tyranni se Ecclesiastiaca ditione spoliari pertinaciter abnuerent, Ægidius in Hungariam profectus est, vt Ludouicum Regem ad ferendas Ecclesiastico statui suppetias concitaret; & quamuis eius iter optato exitu frustratum fuerit, attamen quantus in eo pro defendendis Ecclesiastici dominij iuribus feruor ac sollicitudo enituerit, ex diuturno huiusmodi atque incommodo itinere merito possumus arguere. Eiusd. Card. in Hungar. profectio.

Post Innocentij obitum sacris Pontificalibus initiatus Vrbanus V. genere itidem Gallicanus Hispano Cardinali de Ecclesia optime merenti litteras amantissimas dedit, quarum partem hic appositam non cursim, sed attente perlegi velim, vt non vulgaris electi recenter Pontificis erga Hispanum hominem beneuolentia tanquam ab Innocentio in ipsum transfusa clarius innotescat: *Ad præmissa itaque nobis necessaria obtinenda facilius tuarum orationum suffragiis indigentes, Fraternitatem tuam hortamur ac obsecramus in Domino, quatenus debilitatem nostram apud Altissimum tuis deuotis precibus adiuuans, iniunctum tibi ab Apostolica sede Legationis officium solitæ tuæ prægrandis prudentiæ sollicitudine prosequaris, in terris tuæ Legationis charitatiuo comportans studio impositam nobis vniuersalis oneris grauitatem, vt mediantibus tuis auxiliis de grege nobis à supremo Episcopo & Pastore commisso bonam eidem rationem reddere valeamus: Cæterum prægrauem tuorum laborum sarcinam, solicitudinis indefessæ solertiam, & variarum cogitationum amfractus ætatis tuæ grauedine cumulatos, quibus pro felici statu, & honore sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cuius honorabile membrum existis, adeo vexaris assidue, quod dulcedinem quietis ignoras per experientiam qua illos tecum quandoque communicauimus in minori officio constituti certa scientia cognoscentes tibi de illis paterne compatimur, & maioris adstringimur vinculis charitatis, gerentes in votis ac proposito illa Domino adiuuante peragere, quæ tuis consolationibus ac desideriis reddantur accepta, &c.* Anno 1362. Vrbani V. Pont ad ipsũ litteræ.

Iam Ægidius indefesso labore pristinum Ecclesiæ dominium restituerat, ac Pontifici, vt in Italiam repedaret, iter munierat; Tanti hominis, eiusque virtutum iam per pro- Anno 1365.

Sparsæ de eod. Card. Calumniæ.

uincias volantem famam diutius inuidia ferre non potuit; quare nonnulli honorifici ipsius nominis, quod sibi tot præclare gestis comparauerat, æmulatione succensi, suos in vsus, Apostolica vectigalia conuertisse, aliaque contra initorum fœderum religionem pertentasse malitiosa obmurmuratione seminarunt, *Inuidia enim* (teste Bonauentura,) *in gratiarum aquis fortius exardescit, vnde deberet extingui*; Vrbanus solidæ Legati sui virtutis probe gnarus, malitiosis huiusmodi rumoribus pro nihilo habitis, quibus à Sicula legatione retardabatur, eius animum talibus datis epistolis confirmare sategit: *Negationes & responsiones tuas super ijs iam factas admittimus tanquam veras, scienteque tua conscientiæ puritatem, & exquisitam prudentiam, ac zelum quem habes, &c. Numquam credidimus nec credimus huiusmodi obloquentium, quos satis nouimus, maledicta & propterea miramur non modicum fortitudinem tui cordis magnanimi sic impatientiæ cedere, vt inuictus in factis arduis, imo vincens hostes fortissimos à verborum iaculis supereris, &c. scimus te competenter adhuc corpore compotem & animo vigorosum, &c. & si (vt firmiter credimus) apud Deum mereri desideras, cum nos Beati Petri populo te admodum necessarium reputemus, agonisante Martino, laborem impositum non recuses, sicque cum Apostolo glorieris in Domino plus omnibus, præsertim propter bonum obedientiæ, quod præfertur victimis, laborasse, &c. si reuenires ad Curiam, idem regnum* (id est Siciliæ,) *tuæ reformationis, qua indiget, beneficio frustraretur, non absque graui præfatorum regni & Ecclesiæ detrimento, &c.*

In Dicta tit. 1.

Tom. 3. Epist. secret. pag. 36. Vrbanus PP. ipsi contra obloquentes munito Siculas res commendat.

Eiusd. in Sicil. profectio.

Paruit Pontifici Ægidius, atque in Siciliam contendens res illic Ecclesiæ bono admiranda sedulitate composuit: Ex quibus omnibus Legatum optime de Ecclesia meritum apud Vrbanum in summa semper veneratione habitum liquido demonstratur, cum idem Pontifex eius partes tueri, accusatoresque suos manifestæ calumniæ notis aspersos, tandemque conuictos palam professus fuerit, quodque ipsum à diuturna Legatione, licet iam ætate grauem, tantoque se onere leuari postulantem remouere abnuerit, non secus ac si nemo in Purpuratorum Patrum collegio ad terminan-

dam

dam huiusmodi Legationem illo aptior censeretur : Quare magnum hunc Cardinalem non modo Hispaniarum, sed & totius Ecclesiæ præcipuum decus, ac Romanorum Pontificum dexteram nuncupare haud verear ; Ecclesiasticum quippe imperium, quod tot arcibus ac præcipuis Italiæ ciuitatibus Tyrannorũ vi detentis spoliatum plurimum Apostolicæ sedi splendoris abstulerat, adeo vt in Italiam Pontifices propemodum reuerti vnquam nequirent, eius solertia, continuoque studio Pontificię concessit ditioni; vnde potiori fortassis ratione nemini placitum illud conuenire videtur, quod de Apostolicis Internuntiis asseruit Arnulphus Lexouiensis in Epistola supra citata : *Viri sunt quorum sanctitatem miratur populus, sapientiam Clerus vsquequaque collaudat, ad virtutem seueritatis principes expauescunt* :

Idem Card. Hisp. decus & Sum. Pont. dextera:

Arnulp. Lexoui. loco citat.

Ineunte tandem anno Christi millesimo supra trecentesimum sexagesimum septimum Vrbanus Pont. Maximus iter Italiam versus, visitato primùm S. Benedicti monasterio in Monte Pessulano sito, inire decreuit, vnde Massiliam applicuit, deinde Ianuam, iterque feliciter prosecutus ad portum Corneti peruenit, vbi ab Ægidio exceptus fuit, quem omnes fere nobiles ac Magnates Ecclesiæ terrarum ac Prælati, aliique quamplurimi armati comitabantur: sed communis totius Italiæ lætitia pro Summi Pontificis aduentu aliquatenus disturbata fuisse videtur Ægidij Cardinalis obitu, qui in diem vigesimam quartam augusti eiusdē anni Viterbij incidit: *Eius obitus*, ait, vitæ auctor, *fuit multum toti Ecclesiæ damnosus, & præfato Vrbano Papæ displicibilis & doloroſus, præsertim in sui dicti aduentus principio, cum speraret in suis agendis per eum in plurimum dirigi & iuuari : fuit namque Legatus in dictis partibus continue fere per quatuordecim annos, diuino fretus auxilio sic operatus est, nunc per tractatus amicabiles, nunc vero per insultus hostiles, quod fere omnia ad obedientiam dictæ Ecclesiæ suo tempore suoque ministerio reducta : fuit insuper homo admodum virtuosus, litterarum scientia præditus, in agibilibus multum circumspectus, corde magnanimus, corpore laboriosus, ac in factis armorum, non omissa Pontificali decentia,*

Anno 1367.

Vrban. V. PP. in Ital. ab eod. & aliis Magnat. honorifice except.

Ægid. Card. Albornot. obitus. Apud Bosquetum.

valde edoctus atque expertus; ſciuitque in omnibus ſic & taliter gerere, quod in tota Italia viuens amabatur, aut ſaltem timebatur; plura bona fecit pro ſalute anima ſuæ, &c.

Ingens de eius morte luctus in Ital. & honor eius cineribus delatus.

Cum igitur tot tantiſque mentis ac corporis dotibus hunc Cardinalem Alciſſimus decorarit, haud mirum ſi publicus ac poſt hominum memoriam celebrandus in Italia veluti prouidiſſimo omnium parente orbata luctus exſtiterit: Accipe demum Vrbani ipſius in Hiſpanum Cardinalem ſingularis beneuolentiæ poſtremum veluti ſigillum;

Vrban PP. Indulg. eius feretrum portantib. conceſſit. Ioan. Marian. l. 17. 7.

Ipſe namque ampliſſima Indulgentiarum præmia funus cohoneſtaturis, ac feretro ſubcollantibus largitus eſt, cum eius cineres Aſſiſio Toletum transferrentur, quare populi Toletum vſque ferendo humeros feretro ſupponentes certatim occurrebant: Quod autem prolixiori orationis ſtylo tam præclari geſta Legati obitumque proſecuti fuerimus, nemini mirum videri debet, vnicum enim hunc Cardinalem genere Hiſpanum ſupradictorum Legatorum, qui ex Gallia ortum duxere, labores ſtudiaque longe ſuperaſſe, ac Summis Pontificibus Gallis tunc temporis regnantibus in ampliſſimo huiuſmodi Legationis munere difficillimis Eccleſiæ temporibus ſtudioſiſſimum præ cæteris fideliſſimumque obſequium præſtitiſſe, vnde incredibilem ſibi eorum beneuolentiam compararit, apud omnes in confeſſo eſſe non dubito.

Anno 1343. Bertrand. Vtic. Card. Clem. VI. in Aragon. Legatus. Gall. Purpurat. lib 3.

In Gallias nobis modo reuertentibus, Bertrandus Vticenſis Ebredunenſis Archipræſul, ſacra dein purpura à Benedicto XII. inſignitus occurrit; Hic anno Domini quadrageſimo tertio ſupra milleſimum trecenteſimum in Hiſpanias à Clemente V I. ad Petrum Aragonum regem miſſus eſt, quo ardens Balearium inter & Aragonum reges bellum ſedaret, qui vna cum adminiſtro Legationis Oliuerio Valentino Antiſtite, optatas inter eos inducias firmauit:

Anno 1347. Bern: de Allia S. Cyria. Card. abeod. Clem. in Hiſp. miſſus. Ibid.

Alterum quoque Aragonenſis Prouincia A. S. Internuntium è Galliis ortum, Bernardum videlicet de Allia Epiſcopum Ruthenenſem, & S. Cyriaci in Thermis Cardin. venerata eſt, qui ad conciliandos Petrum Aragonum & Iacobum Maioricarum Reges in Hiſpanias Clementis V I. iuſſu

iussu se contulit, à quibus salutares armorum inducias impetrauit, vt opportuniori tempore fœdus sanciret; & Petrus quidem falsis susunorum calumniis permotus, Episcopo Gerundensi & Canonicis infensior, toto regno eos depulerat, quare ab Apostolica sede anathemate perculsus, ad saniorem denique mentem reuersus proscriptos reuocauit, & ab eodem Bernardo Legato excommunicatione solui promeruit:

Neque impar Guidonis de Bolonia præstantissimi inter Gallos Cardinalis studium Hispaniæ fuere expertæ, cum Petrus Rex Castellæ cum Aragonio acri certamine maximo subditorum detrimento disceptaret: Tunc ab Innocentio delegatus est Guido, qui in Almasano oppido facta dicendi facultate in Castellæ Regum laudes effusus, quos Hispaniæ columen perditis esse rebus asseruit; plurimum Pontificem dolere, quod ciuilibus bellis sacra in fidei perduelles prœlia retardarentur: Sanctissimi denique Pontificis nomine se renuntiare addidit; venturum ipsum ea studiosius iura sollicitare, nisi ætatis incommoda, aliæque publicæ, priuatæque imperij Ecclesiastici administrationis curæ ipsum detinerent, &c. *Anno* 1359 Guido de Bolon. Card. ab Innoc. VI. in Hisp. Legatus.

Dum hæc attento animo Lector percurrit, nunquid insitam Gallis principibus ad res Iberorum componendas ei tacite insinuant: Gallus etenim Legatus Pontificis item Galliæ filij amantissima verba profert ad permouendum Castellæ Regem, vt pacem cum Aragonio sanciret, efficacissima: Post congressum cum Castellano rege habitum, in Aragoniam repedauit, nonnulla paciscendi fœderis spe motus, si quidem de pacis conditionibus iam agi cœptum fuerat; tempus interim variis absque fructu altercationibus protrahebatur; nec induciæ, quod dolendum fuit, impetratæ: Verum nouis Guido studiis adhibitis tandem inspératæ, ac proinde suauioris tractatum pacis feliciter absoluit, quæ tamen diuturna nequaquam exstitit, ipseque ad Pontificem rediit: *Anno* 1372. Idem à Greg. XI. in Hispan. missus.

Hic iterum vir probatæ virtutis ac sapientiæ à Gregorio XI. in Hispanias missus, de quo sic Mariana [a]: *Quo tempore* [a] lib. 17. c. 17.

pore Guidonem Bolonienſem Cardinalem veniſſe à Gregorio Pontifice Legatum in Hiſpaniam nuntiatum eſt, rogat Henricus Caſtellæ, vti eius aduentum Caracæ operiretur, vbi regina morabatur, negat ille, cum tantum bellum eſſet excitatum, ad quod componendum miſſus eſſet in Hiſpaniam; ergo continuato itinere Mirobugiam appulit vtrumque regem adire conſtituens, Henricum videlicet Caſtellæ, & Petrum Aragoniæ: Placuit regibus Guidonis Legati conſiliis acquieſcere: pace itaque inter Hiſpanicas nationes conſtituta, felicius quam antea tres Reges parentelis inter ſe contractis confœderantur, cum Ioannes Henrici primogenitus Petri, & Carolus Nauarræ Regis natu maior Henrici Filias in vxores acceperint.

Ab Innocentio VI. Guilelmus de Iuge Gallus Clementis VI. nepos vna cum Bertrando Epiſcopo Senecenſi Nuncio, ad flectendum erga Blancam Borboniam Petri Caſtellæ ac Legionis Regis vxorem animum, in Hiſpanias eſt delegatus; quem tamen conciliare cum ea nequaquam valuere: Adeo impotentes effrænatique animorum motus, dum non eis mature obſiſtitur, repetitis in dies frequentium actuum facinoribus, iteratiſque prauarum cupiditatum eruptionibus incaleſcunt, tamque firma miſerum hominem tyrannidi ſuæ mancipatum pertinacia poſſident, aguntque in præceps, vt extincto penitus rationis lumine, contemptiſque ſalubriter monentium conſiliis, adhortationibuſue, cum nonniſi quæ carnis ſunt, brutorum more, ſenſuumque oblectationis ſapiant, in profundiſſimam fœdiſſimarum voluptatum ſentinam, ac proinde vitiorum omnium pelagus, tandemque in luctuoſam extremæ calamitatis abiſſum cœco penitus impetu rapiantur:

Anno 1357 Neque abſimili defuit ſtudio, cum noua inter Caſtellanum & Aragonium Reges diſſidia orta fuiſſent, Guilelmus alter Farinerius Gallus ex Generali Fratrum Minorum præfectura ad Cardinalatus apicem ab Innocentio VI. promotus, atque in Hiſpaniam miſſus; pacem igitur inter eas gentes firmaturus, magna contentione vltro citroque conuolando inducias obtinuit; verum cum ab Aragoniis

arces

arces Legato traditæ fuiſſent, Caſtellæ vero Rex à fœdere vltimando nouis prætenſis iuribus abſcederet, Cardinalis Caſtellæ ſacris interdixit, Regēque anathemate perculit, licet hoc nimium præpropere ab eo geſtum Pontifici viſum fuerit, quam ob cauſam ab Hiſpania eum reuocauit.

Nunc de Angelico Cardinali Auenionenſi Vrbani V. Fratre, ſeu, vt alij tradunt, [a] Fratris filio nobis agendum eſt; Hic ab ipſomet Vrbano in Hiſpaniam directus fuit, eoque agente pax cum Petro Caſtellæ Rege ſancita eſt; Conditiones autem huiuſmodi fuere, nimirum vt ſublato nomine & munere Magiſtri diui Bernardi, Behetriæ, ea retenta appellatione, Regi cederent, eas donandi, vendendi, alienandique facultas nulla eſſet; datum id religioni, quoniam ſacræ militiæ dicatæ erant, ne pretio venales eſſent: Vt tertia decumarum, quam Pontificibus Caſtellæ Clerus dare conſueuerat, exinde Regibus ad belli ſacri ſuppetias traderetur: Epiſcopos, militares Magiſtros, Priorem Hoſpitalarium inſtituendi, aliaque præcipua dignitatum faſtigia donandi, niſi Regis accedente conſenſu Pontificibus Romanis poteſtas ſublata, quæ omnia ad vnius regis emolliendam duritiem tranſacta fuere: quod factum Mariana ipſe Hiſpanus ſummopere admiratus ita concludit: *Id ſtudio datum publicæ tranquillitatis, quamuis contra quam moribus erat ſuſceptum, & contra omnia vetuſtatis exempla, & miror Pontificem ad cuiuſquam gratiam paſſum eſſe tantum de ſua auctoritate in Hiſpania diminui, ſed tanti fuit ea ætate regis vnius vecordiam ſanare malis prius, deinde victoria multo quam antea ferocioris.*

Anno 1367. Angelic. Card. Vrb. V. frat. in Hiſp. directus. [a] Ciaccon. in Vrb. V.

Marian. l. 17. 11.

Loc. cit.

Præcurriſſe te iam animo noſtram, Lector, animaduerſionem ſentio; Tanti igitur fecit Vrbanus Papa ineundam cum Caſtellæ Rege concordiam, vt ſuummet fratrem ad illum direxerit, ac potius Eccleſiæ iuribus quodammodo decedere, quam nata inter ſeſe amplius diſſidia fouere voluerit: Egregium tanti Pontificis exemplum ad terenda eius veſtigia Chriſtianos principes dubio procul inuitat, vt ſi quando pro ſancienda inter eos concordia, quæ immenſam bonorum omnium congeriem eorum populis pa-

rere ſolet, tantillum aliquid de iure ſuo detrahendum videatur, id lubenti animo concedant, optaſſimo tanti boni fœnore contenti.

Petr Lagier Card. Greg. XI. in Caſtell. Legat. Annal. Eccl. Ann 1374.

Petrum Lagier Gallum Cardinalem Legatum à Gregorio XI. ad Ioannem Caſtellæ Regem huius nominis primum miſſum fuiſſe auctores tradunt: verum Pontificem in eiuſmodi Legationum muneribus Hiſpanorum etiam opera vſum eſſe conſtat; cum enim inter ipſum & Eduardum Angliæ regem controuerſia agitari coepta eſſet, ad eam componendam Bernardum Pampilonenſem ac Rodulphum Senogallienſem Epiſcopos, Ægidiumque Sancium Valentinæ Eccleſiæ præpoſitum A. S. Internuntios mandauit: Et hæc de Legatis è Francia oriundis à Pontificibus Gallis ampliſſimis Legationibus inſtructis ſufficiant, vbi admonitum velim Lectorem eos Hiſpanorum opera rarius vſos fuiſſe, quod pauci ex illa gente tunc temporis ſacra purpura inſigniti reperiantur.

Franc. Burdegal. & Io. Guter Aquēſ. Arch à Bonifac. IX. in Hiſpan. Legat. Annal Eccl. An. 1391.2.

Hic modo duæ Legationes ab Italis Pontificibus, Cardinalibus Gallis expeditæ proponuntur à nobis expendendæ: Prima eſt Franciſci Archiepiſcopi Burdegalenſis, & Ioannis Guteris Aquenſis: cum enim Henricus Caſtellæ Rex, eiuſque proceres de damnando Schiſmate pia conſilia agitarent, Bonifacius Papa IX. dictos Legatos illuc direxit, qui Henricum, ex Vrbani ſententia, ob ſchiſma regio honore ſpoliatum priſtino diadematis ſplendore cohoneſtarunt, Præſules Eccleſiaſticis cenſuris ſoluêre, ac inter alios Petrum Toletanum Archiepiſcopum in ea ſede confirmarunt: Data eſt etiam iiſdem Internuntiis prouincia, vt Henrico Regi & Catharinæ Ducis Leceſtriæ filiæ, Petri olim Regis Caſtellæ, cui crudelis cognomen, Nepti, quamuis tertio conſanguinitatis gradu obſtricti connubio iuncti fuiſſent, poſtquam ad Romanæ Eccleſiæ gremium damnato Schiſmate reuerſi eſſent, ſolutis Cenſuris in connubio degere permitterent: Altera eſt Petri ſenioris Cardinalis de Foix, qui pro firmanda in Regnis Aragonenſi & Nauarræo vnitate, quam Petrus de Luna ſuſtulerat, à Martino V.

Anno 1426. Petr. Card. Fuxenſ. in Aragon. à Mart. V. delegatus.

ad

ad Alfonſum Regem legatus fuit : Hic in Montepeſſulana quondam Academia Iuris doctrinam publice profeſſus fuerat; altera quoque fuit huiuſce Legationis cauſa, nempe vt Aragonius rex Henricum Fratrem ergaſtulo detentum liberaret : Surita lib. 13 de rebus Aragon.

Alani Cardinalis ex Gallis orti opera vſus eſt Calixtus III. natione Hiſpanus, cum S. Vincentij Ferrerij corpus, quod in Britannia Armorica ſeruabatur, in Hiſpaniam transferri curaret ; miſſus igitur Alanus Legatus à latere ad ſacros cineres exhumandos : Ab eodem item Pontifice in Gallias ad Carolum VII. Francorum Regem legatus fuit, vt eum ad ſacrum bellum aduerſus Turcas inſtaurandum adhortaretur, quare dicendi arte, patentique cauſæ merito, iureque innixus, facili negotio Carolum, Regnique proceres in ſuam traduxit ſententiam ; At dum plurimi fierent in Galliis militum delectus Pontifex è viuis deceſſit : Hinc nobis coniicere fas erit non modo Pontifices qui ex Francia originem duxere Cardinalium Gallorum opera in promouendis Hiſpanicis rebus vſos eſſe, ampliſſimiſue Legationibus eos honeſtaſſe, verum Pontifices etiam Ibero ſatos ſanguine ad ardua quæque peragenda, Gallos Cardinales elegiſſe, ſuaſque vices iis vltro commiſiſſe, quodſane haud vulgare mutuæ inter eos communionis ac beneuolentiæ argumentum eſſe palam omnibus apparet. *Anno* 1456. Alanus Card. Gall. pro S. Vinc. Ferr. Corp. in Hiſpan. Tranſl. à Calixto III. Legat. deſtinatus.

Nec abs re erit hoc loco Ælium Antonium Nebriſſenſem audire, qui pulcherrimam Roderici Cardinalis orationem refert, ex qua noſtri inſtituti ratio veriſſima comprobatur. Cum Ludouicus XI. Gallorũ Rex Hiſpaniæ Regnorũ ſucceſſionem ad Elizabetham Ioannis Regis filiam deuolutam eſſe certior factus eſſet, eamque à duobus Principibus ſibi ex factione publica infenſis peti in coniugem accepiſſet, veritus ne proinde partis aduerſæ vires augerentur, confeſtim Legatos decreuit, qui ipſam Caroli Fratris ſui Aquitaniæ Ducis coniugio ſummis votis expeterent : Rodericus vero Cardinalis Legationis Princeps fuit, qui coram Elizabetha Principe & Optimatibus hanc habuit orationem, vt in Regis Galli gratiam eius animum inflecteret: *Niſi Galliæ re-* *Anno* 1470. Decad 1. l. 1. c. 8. & 9. Rodericus Card à Lud. XI. ad Elizabeth in Hiſp. miſſus.

Eiuſd. adeãd. Oratio, qua eius cum Carolo Aquit. Ducenuptias perſuadere tentauit.

gum atque principum Hiſpaniæ vetus amicitia, & fœdus eternum apud omnes nationes teſtatum eſſet, atque iam inde à multis illuſtribus officiis confirmata ſocietas; poteram ego, Clariſſima Princeps, multa nunc commemorare, quæ ad eam rem pertinerent, ſed in hac causâ de qua Oratores aduenimus, nolo proſit nobis fuiſſe Gallos Hiſpanis ſemper amicos atque ſocios, idemque ſemper de re communi ſentiſſe, &c. petit connubia tua Luſitanorum Rex, petit rex Siciliæ, petit Aquitaniæ Dux; cõſultatio tibi eſt qui ex tribus ſit deligendus, &c. Eſto tamen ſint omnia vtrimque paria, non valebunt in electione hinc amicitiæ, illinc inimicitiæ paternæ & auitæ? non ſummus conſenſus maiorum huius cum Ioanne patre tuo, cum quo illius pater ingentes egit inimicitias? quod ſi apud eos, qui vita exceſſerunt, aliquis eſt noſtrarum rerum ſenſus, nihil magis oblectabit vtriuſque regis defuncti Manes; quare quamadmodum in vita ſe ipſi dilexerunt, ita & poſteri ſui in eadem maneant charitate, &c. Quare vt vno verbo Legationis huius mandata colligam, Rex Gallorum offert tuæ præſtantiæ coniugio belliſſimum Fratrem viribus, ingenioque præſtantem, patrimonio ampliſſimo præditum, cuius Maiores cum Maioribus tuis vixerunt in ſumma concordia; quo pignore, & antiqua fœdera renouabuntur, & vtriuſque regni vires quotidie magis magiſque inualeſcent; idque vt facias, non ſolum vehementer rogat, tibique, oblitus ſe regem, ſupplicat, atque eo nomine omnia quæ poſſidet non modo vtenda, ſed etiam abutenda permittit, &c. Qua vero ratione Elizabeth ſeſe de ineundo cum Aquitaniæ duce coniugio excuſarit, ſuo loco meminimus.

Eadem prorſus oratione vſus eſt Card. cum ad Henricum Hiſpaniarum Regem alteram filiam Ioannam dictam pro Gallorum Regis Fratre impetraturus aduenisſet: *Quo cum veniſſet Cardinalis* (tradit idem auctor) *honorificeque eſſet exceptus, vſus eſt eadem prope oratione, qua in petenda Elizabeth principe antea erat vſus, cõmemorans Gallorũ atq; Hiſpanorũ regum antiquam amicitiã, ſocioſq; Penates, quod fœdus dicebat nunc arctiori vinculo poſſe connecti:* Vtrum autem eius votis aſſenſum Henricus præbuerit, alibi vidimus; Atque hæc veluti ex ſecreto Hiſpan. hiſtorici ſcrinio eruta prolixiori quidem, ſed fideliori ſermonis ſtylo producenda viſa ſunt, vt clariora

Roder. Ead. pro Ioãna. Gall. Reg. Fratri obtinenda Orat. Idem Decad. 2, lib. 2. c. 2.

omnia

omnibus auitæ ſocietatis,intimæque inter Gallos ac Hiſpanos conſuetudinis moniméta cunctis nota ſint atque perſpecta : ſapienter quippe arbitratus eſt ſolertiſſimus Cardinalis nulla re magis,quam antiquæ Maiorum amicitiæ,ac confœderationis memoria Principum animos ad inſtauranda fœdera excitari ; ideoque tota contentione dicendi facultatem ad hoc præcipue conuertiſſe viſus eſt, vt innatam Gallos inter ac Iberos,eorumque ſupremos Principes amicitiam tam regis quam Elizabethæ Principis menti inſereret :

Potiori igitur ratione poſt tranſacta duo fere ſæcula,in quibus inſtaurata pluries fœdera,atque inter eoſdem reges inita connubia,eadem,imo & ampliora antiquæ ſocietatis officia, ac innumera cõmunionis intimæ ſtudia in vnum ſimul hoc opere congeſta auguſtiſſimis hiſce Principibus humillime exhibenda,atque toti orbi in admirationem, plauſumque exponenda decernimus;quin & conceptæ nuper recentis lætitiæ, ingentiſque gaudij ſignificationes edere; cum præſertim in fauſto huiuſmodi Chriſtianiſſimum inter Galliarum Monarcham, & Sereniſſimam Principem Catholici Hiſpaniarum regis filiam connubio ſolemniter inito reuocata videamus,quæ Rodericus Cardinalis ducentis fere abhinc annis propriis intueri oculis peroptabat :

Hactenus dę Gallicanis Hiſpaniſue Cardd. in vtroque Regno. A.S.Legatis: Ad hunc modo locum nonnulla de aliis non tam Pontificum,quam ipſorum Regum Legatis, atque de Cardinalibus ex vtraque natione illuſtribus,qui in vtriuſque regni prouinciis præcipua ſuæ beneuolentiæ ac neceſſitudinis impreſſa veſtigia reliquere,duximus reuocanda;Primus vberem dicendi campum aperit Ioan.de la Grolaye de Villiers,qui poſtea ab Alexandro VI.in Cardinalium numerum adlectus fuit , dum in Hiſpania Legati munere fungeretur apud Regem Ferdinandũ V.pacis tractatus feliciſſime ſanciuit ; de qua ſcribens ad Pariſienſes S.Dionyſij Monachos hæc ait : *Heſterna luce fuit pax ſtabilita inter Monarchas Franciæ & Hiſpaniæ die ſacra D.Dionyſio Patrono noſtro & Protectori hodie fuit promulgata;rogo vos iterũ atque iterum, vt ſolemnẽ celebretis proceſſionem,& ignes lætitiæ excitetis,vt Lutetiæ*

Anno 1477. Io.de la Grolaye de Vill. Card.Gall.in Hiſp Legat. multa præclare egit. Gallia Purpurat.l.4.

excitabuntur per plateas, quibus rex mirum in modum delectabitur:

En quanto publicæ iucunditatis sensu Francica gens perfusa fuerit, quanta gaudij signa ediderit, dum auitam cum Hispanis communionem, nouamque animorum consensionem vesano armorum furore interdum tumultuque disturbatam instauraret; ad dulcissimum namque pacis sonitum omnium mentes merito exhilarantur, testante Gregorio Nysseno: *Quodcumque nominaueris ex ijs rebus quæ in vita suaues & iucundæ sunt, pace opus ad hoc vt iucundum sit; quid enim hominibus ex iis rebus, quibus frui atque potiri student, vita pacifica dulcius est?*

S. Greg. Nyss. orat. 7. de Beatitud.

Cæterum haud impares beneuolentiæ summæque existimationis erga Francos pluries ostensæ ab Iberis redditas vices ex hoc vno agnoscas: Ægidius Albornotius Cardinalis Hispanus, de quo celebris superius facta mentio, cum iam pacatis in tota Italia motibus, rebellionumque turbinibus, eiusdem alacri studio feliciter ad Pontificis obsequium rediisset; Singulis item ciuitatibus probatæ fidei viros præfecisset, necessariisque militum præsidiis muniuisset, Auenionem lætus repetere decreuit: Quem vero sibi in amplissimo illius Legationis munere, totiusque Italiæ administratione putatis suffecisse, vel saltem penes Pontificem promouisse? Virum in Francia natum, Andronicum nempe Cluniacensem Abbatem, non vero conciuem suum, vel vnum aliquem sibi affinitate deuinctum (quod sane à Pontifice Gallo licet, nullo negotio impetrasset, cum optimi parentis, ac Cardinalium oculos, animosque ad se tanquam de Ecclesia optime meritum conuertisset, ideoque omnia facillime ab ipsis Patribus pro libito euicisset) successorem relinquere sategit; Tantus in Hispano Cardinale intimæ cum Gallis amicitiæ, consuetudinisue sensus vigebat, vt suorum fere oblitus, erga Cluniacensem Abbatem propensissimum sese ostenderit:

Ciaccon. in vita.

Andronic. Cluniac. Abbas Gall. ab Ægid. Card. Alborn. Legat. in Ital. successor propositus.

Quanta vero Galli Cardinales singularis beneuolentiæ significatione Hispanum hominem prosecuti fuerint, hinc ediscere poteris; quod ei Auenionem appropinquanti

Id. Ibid.

Sum

Summus Pontifex cum vniuerſo Cardinalium cœtu ad duo paſſuum millia ab vrbe obuiam officij cauſa prodierit, mox in Pontificium Palatium deductum Innocentius pro ſuggeſtu magnis illum laudibus extulit, rerum ab eo feliciter geſtarum ſummam graui oratione complexus, Eccleſiæ Patrem communi totius purpuratorum Patrum Collegij conſenſu appellauit; Plura tam Pontificis, quàm Cardinalium magna ex parte Gallica illuſtrium proſapia amoris, obſequiiue impenſa Hiſpano præſuli officia, in ipſius vita fuſiùs deſcripta reperies; Hæc autem modo delibaſſe ſatis erit, vt ex mutua Cardinalium vtriuſque nationis ſocietate, inſitam quoque in vtraque gente animorum ad inuicem propenſionem nobis arguere liceat:

Ægid. Cad. Albornot. ex Ital. red. eunti à Pont. & Card honores delati.

Anno vero Domini milleſimo quadrageſimo trigeſimo nono memorant Hiſtoriarum paginæ Epiſcopum Meldenſem ac Ioannem è Turrecremata Apoſtolici tunc Palatij magiſtrum, ac Theologiæ ſcientia celeberrimum natione Hiſpanum ab Eugenio IV. Summo Pontifice oratores ad conciliandos Anglorum Francorumque Regum animos miſſos fuiſſe; Extant litteræ affectu pleniſſimæ ab Eugenio ad eos directæ, vt omnem operam pro felici huiuſmodi concordiæ exitu adhiberent. Vnde notatu dignum videtur Apoſtolicorum Legatorum Galli videlicet atque Hiſpani conſenſum ad ſtatuendam inter Reges concordiam plurimùm conferre; Ideoque non caſu factum arbitremur, quod Eugenius hoſce duos ſimul Internuntios ſuos mandarit; Etenim cum ambæ iſtæ nationes in vniuerſo Chriſtiano orbe præ cæteris dignitate ac ſapientia effulgeant, ſi earum Proceres intima animorum neceſſitudine ad inuicem coniungantur, omnia quæuis ardua non ſolum domeſtica Regnorum ſuorum, ſed & cæterarum Prouinciarum negotia ad feliciſſimum breui exitum ſint perducturi:

Anno 1439. Epiſc. Meld. & Io. Turrecre. ab Eug. IV. in Gal. Legati.

Quare Innocentius VI. Pont. Max. ad Carolum IV. auguſtum & Annam eius vxorem in Vaticano coronâ decorandos duos Cardinales Gallum videlicet & Hiſpanum natione, Petrum Bertrandum iuniorem, & Ægidium Albornotium legauit, vt patet in eiuſdem Epiſtola ad Petrum Cardi-

Anno 1355. Petr. Bert. Gall. & Alborn. Hiſp. ab Innoc. VI. Carol. IV. Coronat. deſtinati.

Cardinalem data: *Tu, dictuſque Legatus regi præfato, & chariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Annæ Reginæ Romanorum illuſtri vxori ſuæ mitras & diademata imperij, ac eidem regi ſceptrum, & alia ſolemnia tribuatis, ipſorumque inclytos vertices inſignis eorumdem, adhibitis vetuſtæ conſuetudinis ſolemnitatibus, decoretis, &c.*

Anno 573. Euphem. Tolet. Arch. in Gall. pro Ingunde Regis ſui filio obtinenda miſſus.

[a] M. Maxim. in Chron.

Inter cæteras, quas Hiſpani Præſules obiere in Galliis Legationes, celeberrima ea fuit, qua Leouigildus Gothorum Rex Euphemium Toletanum Archiepiſcopum inſtruxit, vt Ingundem Sigeberti Francorum Regis filiam Hermenegildo coniugem impetraret[a]: Cum autem anno Domini quingentesimo ſeptuageſimo ſecundo Agila Patrimoniorum Comes in Gallias conceſſiſſet, Sigebertum Regem ac Brunichildem Reginam deprecaturus, vt lectiſſimam Heroinam Regis ſui primogenito nubendam traderent, ob teneram puellæ ætatem res in ſeptennium dilata fuit; Quare tranſacto conſtituto tempore, nouam Leouigildus inſtruxit Legationem; Primus inter cæteros, quos Rex in Gallias Ingundem adducturos miſerat Oratores, Euphemius Toletanus eminebat:

Anno 579.

Ad maiorem vero nuptiarum pompam Gallicæ Principi in Hiſpanias traducendæ adiuncti comites fuere nonnulli Gallicanæ Eccleſiæ Antiſtites, viri poſt hominum memoriam celeberrimi, ac nobiliſſimæ illius temporis Sacerdotum gemmæ; Fortunatus videlicet, qui tum Pictauienſem regebat Eccleſiam, Frontianus Aquenſis, & Fronimius Agathenſis Præſul fidei zelo præclariſſimus, de quo alibi fuſiùs; Beltrannius Burdegalenſis, Saluius quoque Albigenſis Epiſcopus ſanctitate clarus, & Gregorius Turon; de quo licet in eiuſdem Gregorij hiſtoria nulla ſit facta mentio, tamen à Maximo tunc Cæſarauguſtæ agente, cum Gregorium videre & alloqui cõmode potuerit, inter cæteros Antiſtites Ingundis comites haud immerito connumeratur: Ex tam præclaro igitur Francorum Antiſtitum catalogo, qui Hiſpanias cum Ingunde ſpõſa adiere, mutuum vtriuſque gentis commercium intimamque inter ambarum Eccleſiarum Primates beneuolentiam à priſcis illis temporibus cœptam, annorumque decurſu magis firmatã prudens quiſque lector adnotare valet;

Greg. Turon. l. 5. c. 28. & M. Max. in Chron. an. 580.

quod

quod ex sequenti, quam S. Adelphus Toletanus Primas in Galliis obiuit, Legatione apertius confirmatur.

S. Adelph. Tolet Arch. à Reccaredo in Gall. pro ead. re missus. Martyrol Hisp. 19. Aug.

Cum enim prima Reccaredi vxor debitum mortalitatis exoluisset, Rex Toletanum Archipræsulem Adelphum in Gallias Oratorem decreuit, vt Closuindam Chilperici Francorum Regis filiam sibi iungendam obtineret, qua facile impetrata, expletaque Legatione, eam Reccaredo debita solemnitate copulauit: Non desunt auctores qui hunc Toletanum Archiepiscopum, antequam ad Primariam illam sedem eueheretur, à Francis Regibus (nam & ipsum ex Metensi Mediomatricûm Lotharingiæ vrbe ortum faciunt) Leouigildo in Hispaniam Legatum fuisse ordinatum, ac deinde peracta feliciter Legatione in Regali Toletano Agaliensi Cœnobio monastica cuculla indutum; ac demum ad Toletanæ regimen Ecclesiæ sublimatum affirment, quod profecto si historicæ cohæret veritati, quis alternam Gallicæ, Hispanæque nationis communionem, cum Gallus primaria Hispaniarum dignitate, ac nobilissimæ Legationis munere fuerit cohonestatus, iure non admiretur?

S. Sacerdos Lugd. Episc. in Hisp pro ead. re destinatus. Mart. Hisp. 5. Maij.

Ad hæc S. Sacerdos Lugdunensis Antistes missus ad Athanagildũ legitur, vt filias Regibus Francorum connubio iungendas expeteret, quo quidem munere summa cum laude perfunctus, clarissima duo Hispaniæ germina regias nempe puellas Gallico solo inserendas, Franciscque Principibus connubiali thoro iungendas impetrauit, easque in patriam lætus, ouansque publicæ pacis arbiter Principibus Dominis suis oblatas fastis votorum suorum auspiciis est prosequutus.

Noua Reg. Filior. connub a procurare Episc. munus est proprium.

Quapropter Gallicani Hispanique Antistites clarissima nostræ ætatis lumina priscorum Patrum exemplis, quorum illustrissimas condigne sedes occupant, inuitati, hoc præclarum incumbere sibi munus probe norunt, vt regias non modo puellas iam thalamo iungendas comitentur, sacrosque in earum nuptiis ritus celebrent, verum etiam, quo publica semper populorum, quibus præsunt, commoda quantociùs procurent, ipsosmet Principes, vt faustissima huiusmodi interdum connubia, optatæ veluti pacis pignora inter se

incant, potissimis rationibus adhortentur, supplicibusque votis ac precibus, totaque animi, verborumque contentione eorum affectus vrgendo, immensum tandem hoc populisque, supra quam verbis explicari queat, saluberrimum publicæ fœlicitatis fontem apud Diuinum Numen exorent.

Neque vero Illustrissimi populorum Pastores se ab hac S. Ambrosij sententia perstringi vllatenus arbitrentur, dicentis; *Nemini expedire altis connubio iungedis operam dare*; Nam vbi publica populorum salus, totius Ecclesiæ vtilitas, necnon potentissimorum concordia Principum simul coalescunt, nullum sane negotium Episcopali magis consonum dignitati videtur; Ideoque si summis conatibus, indefessoque studio ei vacare, faustissimisue iam cœptæ vnionis prouentibus incumbere non desinant, eam sane Christianus orbis, in ipsis mirabitur, suspicietque, quam Ionathas olim summus Sacerdos apud Demetrium Regem obtinuit, gratiam ac familiaritatem; Ea namque fretus cœpit, *ædificare & innouare ciuitatem*; Quasi à munere degener sibi videretur, nisi totum quod gratiæ & fauoris à Rege acceperat, in sacræ Vrbis restaurationem, præsidium, ac munimen refunderet; Quare graui Stephanus Cantuariensis commentario ex hoc præclaro Ionathæ facinore Prælatos sic compellat: *Quicquid familiaritatis habuit cum Demetrio, retulit ad ædificationem sanctæ Ciuitatis; Similiter Prælati gratiam, quam adepti sunt apud Reges, debent conuertere ad ædificationem Ecclesiæ:* Ad cuius reparationem, præsidium, splendoremque tunc maxime sacri Præsules animum intendunt, cum primarios Ecclesiæ lapides, Christianos nempe Principes inter se firmiter necti, perennique amoris, strictæque confœderationis vinculo sociari satagunt; ex quorum lapidum angularium, qui faciunt vtraque vnum, intima conglutinatione, cæteri populi tamquam lapides viui coædificantur in domum spiritualem, id est templum Dei sanctum, quod est Ecclesia.

1. Machab. 1.6.

In sylua Allegor.

Nullum quæso Dominici gregis Pastorem pigeat Martini Calaguritani Præsulis Sanctij Castellæ Regis Oratoris studia in conciliandis istorum regum animis impensa,

Mart. Calag. Ep. in pacandis Regibus insignis. Marian. l. 14. c. 10.

genc

generoſo animo imitari; Neque labores vllos reformident, quemadmodum clariſſimus ille Præſul plura à Gallis pertuliſſe gloriabatur, dummodo optatæ pacis ttactatus feliciter abſolueret; ſquin & Gutterij Toletani Archiepiſcopi, ac Semæni Gonſalui eiuſdem in Toletana ſede ſucceſſoris, atque Merini Præſulis Auſtricenſis memorabili exemplo incitentur, vt eam quam iſti ad annum Domini milleſimum octuageſimum ſextum, & ad nonum vſque pro reconciliandis amborum regum animis operam impenſe nauarunt, ipſi ad firmanda modo eoſdem inter auguſtiſſimos Principes fœdera, perpetuoque duratura indeſinenti ſtudio, animique alacritate impendant.

Item Gutter. Tolet. Arch. Semæn. Gonzal. & Merin. Ep. Aſtur Id. Ibid.

Atque vtinam Vaſconis Palentini Præſulis adhærere veſtigiis numquam deſinant, qui Caſtellæ Reginam, vt filio Petro adoleſcenti coniugem ex Gallia peteret, omnium primus eſt adhortatus: Neque vero præclariſſimum Carillij Toletani Archipræſulis exemplum ſibi formident imitandum proponere, ſi quando, quod Deus auertat, inter ipſos coniuges mutuæ dilectionis ardor tepeſceret; Enimvero præſtantiſſimus hic pacis Angelus Lectum Caſtellanum Regem à Ducis Borbonij filia ſibi matrimonio iuncta paululum auerſum ſaluberrimis conſiliis ad eius amorem excitare, verbis quam potuit efficaciſſimis admonere, ſeuerioribuſque litteris carpere vllo modo deſtitit, donec licentia diſcedendi impetrata, domeſticorum curam negotiorum cauſatus, primùm Concham, deinde in Galliam ſe contulit; adeo nobiliſſimum huiuſmodi, tanquam peculiare Epiſcopi munus, amantiſſimorum videlicet coniugum animos inuicem copulatos ſeruãdi eius cordi inſederat, vt exilium pati, ac Primariæ Sedis ad tempus adminiſtratione priuari ſatius duxerit, quam nociuo ſilentio, ſuaque indulgentia Regij in ſponſam odij fouere primordia, ex quibus inteſtina deinceps Francos inter ac Iberos diſſidia orirentur.

Item Vaſco. Palent. Ep.

Anno 1351. Marian. l. 16 18.

Carill. Tolet. Arch Caſtell. Reg. cum vxore deſperata vnione in Gall fugit. Id. Ibid.

Quid autem de Carillio ſplendidiſſimo Hiſpanicæ Eccleſiæ tunc temporis lumine actum ſit, mecum, ſi lubet, expendite: numquid ſuæ gentis odium adeo incurriſſe putandus eſt, vt eum veluti ſub modio abſcondi oportuerit?

Id. exul. à Clem. VI. Card. creatus.

minime vero; Quin imo supra Romanæ Ecclesiæ candelabrum tanquam clarissimum lumen collocari meruit; Ipse namque Auenionem appulsus, Pontificibus ea tempestate ex Gallia progenitis vir alioqui Hispanus assiduus, adeoque gratus fuit, vt demum Clemens VI. eum purpura donarit, aliique Pontifices amplissimis Legationum muneribus (vti supra pluribus) ornauerint: Hinc coniicere nobis facile arbitror Episcopali maxime congruum officio, vt posthabitis cæteris humanæ prudentiæ rationibus, quibus ipsam Principum gratiam aucupantur, nonnullorum potius gratiam atque instabilem fugacemque amicitiam deperdere, quam mutuam inter ambos reges necessitudinem, assiduamque confœderationem quouis modo non fouere malint.

Procurata ab Episcopis pax ipsis ad honores viã parat.

Hæ sunt nimirum Ecclesiæ Seniorum partes, vt Pacem bonorum omnium maximum, cæterorumque conciliatricem tam Principum, quam subditorum animis inferere conentur; Hoc, inquam, proprium censetur Episcoporum munus, quod non solum diuino gratissimum Numini, cuius sola & numquam peritura in Cœlis merces ab ipsis ambienda, sed & apud homines solida dignum laude, ipsisque quam maxime proficuum foret, ita vt non modo à prioris dignitatis fastigio descisscere, nequaquam pertimescere debeant, imo potius ad ampliora Christianæ Reipublicæ obeunda munera, & ad supremos Ecclesiæ apices extollendos ipsos fore, merito iure ex patentissimo Carillij exemplo auspicemur: Cui confirmandæ veritati proferre libet doctissimi sacrorum Codicum Interpretis Placitum, quo sic effatur: *Quia cognouerat Dominus Moysem zelum habere ad commune bonum, & ad pacificandum inter fratres, ideo eum præfecit.*

Oleast. in Exod. 2. 12. *Anno* 1412. 10.

Huc porro reuocandum Alfonsi Carillij Hispani Cardinalis amplissimum munus, quo ab Eugenio IV. instructus fuit, cum ciuitates Auenionensem nimirum & Venusinam Pontificis nomine administrandas suscepit cum omni plenaria potestate, qua antea Franciscus Archiepiscopus Narbonen-

bonensis S. R. E. Camerarius à Martino V. Sum. Pont. donatus fuerat.

Anno 1505. Pet. à Terazza Hisp. ab Alex. VI. Auen. Legatus. Ciaccon.

Auenionem quoque Petrus à Terazza Hispanus Celtiber Prior Generalis vigesimus octauus ordinis Carmelitarum Alexandri VI. Legatus à latere concessit: Idem Pontifex Franciscum Ilorim Valentinum Hispanum ad Ludouico XII. Francorum Regi de morte Caroli VIII. condolendum, proque aliis tractandis negotiis destinauit, quas vices Carolus à Lotharingia Cardin. Guisianus nuncupatus Hispano Regi Caroli IX. & Catharinæ Reginæ Matris nomine retulit; In Hispanias quippe missus fuit, vt de Isabellæ morte, quæ Philippi II. vxor fuerat, condoceret, vtque alteram Elizabetham Maximiliani II. Imperatoris filiam pro eodem Carolo vxorem deposceret, quam obtinuit.

Anno 1497. Fr. Ilorim. Hisp ab eod. in Gall. missus.

Anno 1560. Carol. à Lothar. Guis. Card. à Gal. Rege in Hispā. directus. Gall. Purpurat. l. 4.

Numquam vero ad exitum perueniret oratio, si omnes hoc loco Oratores ab Hispanis Regibus ad Francos directos, & vicissim à Galliarum Monarchis in Hispanias deputatos vellem commemorare; atque insignia per vastas illas regiones in Regum gratiam ab ipsis edita facinora recensere aggrederer: Taceo igitur Francisci de Turnone Archiepiscopi Bituricensis Card. Galli pietate ac doctrina clarissimi Legationem, qua à Rege suo in Hispaniam directus, pacis Matriti seu Mantuæ Carpentanorum in Hispania Regem inter ac Carolum V. Imperatorem sancitæ auctor fuit.

Fr. de Turn. Card. in Hispan. profectus. Ciaccon. in Clem. VI.

Lectorem igitur, ne in immensum excurrat oratio, ad eos qui Cardd. gesta, resque Hispanicas Gallicasue historica narratione complexi sunt, remittimus, apud quos plures alias Legationes, cæteraque memoranda à viris ex vtraque natione oriundis gesta, mutuæ veluti beneuolentiæ relicta in vtroque regno monimenta reperies. Templum in Auenionensi territorio, ac Monasterium à Petro Gomesio de Barroso Hispano Cardinali erectum offendes, necnon eorum historias diligenter euoluendo, plura eximiæ pietatis à Francisco de Ioyeuse, ac Petro de Berulle Cardinalibus

Gallis edita in Hispaniis monumenta perlustrabis.

Vnum superest quod tanquam dictorum sigillum ad huiusce capitis calcem consulto remittendum duximus, immensa nimirum Francisci Toleti Card. præclarissimi Hispaniæ, ex cuius sinu prodiit in totius Christiani orbis lucem, imo & Italiæ, ac potissimum Vrbis, sua ætate, eximiæ pietatis ac doctrinæ laudibus ornamenti, indefessaque opera, qua apud Clementem VIII. Pontificem pro Henrici IV. Francorum Regis reconciliatione desudauit; adeo enim Cardinalem pro felici huiusce pacis exitu laborasse auctores affirmant, vt Hispanico pene affectui, nominique nuntium penitus remisisse videretur: Quo plane egregio facinore æternæ memoriæ tabulis dignissimo tam egregie de vniuersa Gallia est promeritus, vt tanto viro è viuis sublato Henricus Rex in Primaria B. V. æde Parisiis magnificentissime parentandum duxerit; ac ipse Rex insolitam tanti Cardinalis, viri alioqui ex Hispania orti erga se propensionem ac beneuolentiam admiratus, Iberorum à Francis animos nequaquam auersos, vti proceres obmurmurabant, nonnumquam affirmare consueuerit.

Fr. Toleti Card. Hisp. Laus.

Henric. IV. Gall. Regem Eccl. reconciliauit.

Id Henr. Rex ipsi Iusta in B. V. templo persoluit.

Audiamus, si lubet, doctissimum Spondanum de Toleto tanto tamque eximio Cardinali sic pronunciantem: *Quinimo scribunt Itali hoc tantum bonum Ecclesiæ Toleto potissimum acceptum referri debere, eique propterea vniuersam Rempublicam Christianam gratias habere immortales, qui primus opportunam esse hanc Pontificis benedictionem probauerit quinque præ cæteris rationibus ex Euangelico præcepto, ex iure naturali, in re Canonico, & argumentis à ratione sumptis, & argumentis moralibus, &c.* Quo tam raro tanti Cardinalis exemplo studiosi vtriusque nationis purpurati Patres commoti, suorumque Decessorum vestigia secuti, fœdera interdum ambos inter reges renouare fategerunt; Et hac nostra ætate, (quæ summa diuini Numinis in nos benignitas fuit) recenti Sereniſſimorum vtriusque nationis Principum Connubio nouam, atque, vti speramus, diuturniorem animorum coniunctionem, magnis vtique laboribus in tam arduo negotio perfuncti, stabilitam, perpetuæ Christiani orbis tranquilli

Annal. Eccl. *Anno 1595. 11.*

Cardd. pacis & concordiæ authores.

Maxime huius postremæ pacis inter Gall. & Hisp. istæ.

quilitati procurarunt, cuius mutuæ tantorum inter se principum necessitudinis beneficio tanquam primarij Ecclesiæ filij supremo ipsius Capiti Christi in terris Vicario, Petrique Successori optime compacta veluti membra tenaciter adunati, studioque indesinenti adhærentes, suorum more Maiorum ardentissimo dilatandi Christi imperij zelo incensi, tartareis Principibus terrorem incutiant, infensissimosque Matris Ecclesiæ hostes, lunatosque nefandi Mahometis assecias potentissimis Cruciatæ copiis debellatos, aut penitus deleant, aut certe, si quo tandem modo fieri possit, suauissimo Christi iugo mancipatos, tamquam gloriosa Dei virtute parta trophæa, Cœlo terraque plaudentibus, omnium Ecclesiæ fidelium oculis ostentent.

Fides

Fides in vtroque regno propagata mutuo ambarum nationum studio ac commercio, vbi de Conciliis simul habitis.

CAPVT QVINTVM.

IN ipso florentissimarum Gallicanæ atque Hispanicæ Ecclesiarum limine veluti suspensus hærere, dicendique facultate pene destitui mihi videor, vbi copiosa atque immensa loquendi seges suppeditatur; Enimvero si Galliam perlustremus, primo nobis aspectu Pictauiensis Præsul Hilarius occurrens de Christiano tanti Regni decore sonora veluti tuba concinit, altaque voce deprædicat in hunc modum: *Firma fidelis petræ fundamine domus fidei integritatem, intemeratæ voluntatis illæsam imperturbatamque constantiam, innocentem, inuiolatamque religionem seruasti:* Nec impari fauet encomio Alexander IV. Summus Ecclesiæ Hierarcha: *Ex hoc inquit genere susceptit mater Ecclesia, & suscipit filios benedictionis & gaudij, filios factis & fama pollentes, filios opportuni auxilij, & fauoris, ex quibus haurit continue amœnum sinceritatis odorem:* Et Gregorius IX. magnificis hisce verbis Galliam compellat: *Post Apostolicam sedem quoddam totius Christianitatis speculum, & immotum fidei fundamentum, vt pote quæ in feruore fidei Christianæ non sequaris alias, sed antecedas:* Maxima denique ob eximium illius splendorem admiratione correpti vnà cum Gregorio Magno ad Childebertum Francorum Regem scribente; *Quanto cæteros homines regia dignitas antecedit, tanto caterarum gentium regna hoc regium culmen excellere iure quidem optimo concludimus.*

De Synod.

In Regest. Vatic. Spondan. Anno 1255.

Ibid.

lib. 2. Epist. 6

Aliunde vero illustrata priscis ab vsque temporibus mirando

rando Christianæ religionis ac pietatis decore Hispanica Regna nostrorum faciem oculorum haud minori luce perstringunt;[a] in religione etenim diuinoque cultu perspicuam hodie Hispanorum laudem florere, ac semper floruisse quis non videat? adeo vt Genebrardus Parisiēsis Theologus Iberos de hoc peculiari munere summis laudum præconiis celebrarit; [b] *Hispanorum*, ait, *opus esse infideles & paganos expugnare.* Et in Concilio Toletano XVII. *Certum namque est verumque præconium in cuncto pene terrarum orbe relatione perspicua extitisse vulgatum, quo fidei plenitudine fines semper Hispaniæ floruerunt*: Vnde Baronius in suis merito Annalibus ad illustrandum Ecclesiasticæ disciplinæ vigorem in gentium illarum animis insitum hæc apposuit: *Hoc plane sibi laudis vendicauit semper Ecclesia Catholica in Hispania, vt non ab erroribus tantum, sed & ab suspicionibus suos voluerit esse immunes; quo factum est, vt & hoc ipso nostro sæculo cum longe lateque facibus hæreticorum orbis inflammaretur, ipsa illæsa perstiterit, ipso præcipue Catholico Rege super omnes in opus mnuiter incumbente.*

[a] Ioan. Pistor in Præf. ad To. 3. Hisp. Illustr.

[b] Lib. 4. Chron. Anno 1492.

Annal. Eccl. An. 563. 17.

Quare Magnus Gregorius Francorum Regis (vt modo vidimus) Encomiastes haud impari virtutum Panegyri Regis Gothorum Reccaredi in Fide promouenda ardorem, ex quo pene immensum processu temporis Religionis fore prouentum in ea gente præuidebat, merito ita celebrauit: *Hæc me fateor quæ per vos acta sunt sæpe conuenientibus filiis meis dicere, sæpe cum eis pariter admirari delectat: Hæc me plerumque etiam contra me excitant, quod piger ego & inutilis tunc inerti otio torpeo, quando in animarum congregationibus pro lucro cœlestis patriæ reges elaborant: quid itaque ego in illo tremendo examine iudici venienti dicturus sum, si tunc illuc vacuus venero, vbi tua excellentia greges post se fidelium ducet, quos modo ad veræ fidei gratiam per studiosam & continuam prædicationem traxit?*

Lib. 7. Epist 12. 7.

Porro vt acrem hic nonnullorum soluamus controuersiam, necnon de antiquo Christianæ Religionis cultu ab Hispanis prius quam a Francis exceptæ contentionem dirimamus, nostri instituti ratio non exposcit; Nam cum de mu-

tua vtriuſque gentis communione ad præſens ſermonem inſtituerimus, diſſenſionum matetiem inter eadem regna ſuppeditare ac fouere cum valde incongruum foret, tum ab hoc noſtri ſcopo inſtituti prorſus alienum videtur: Cæterum haud tam facile, quod de Iacobi Apoſtoli apud Iberos prædicatione plurimorum ac fere omnium ſententia. comprobatur, inficiari poſſimus. Item [a] quod Athanaſij, Cyrilli Hieroſolymitani, Epiphanij, Ioan. Chryſoſtomi, Theodoreti, Sophronij ex Græcis; Hieronymi, Gregorij Magni, Bedæ, Adonis Viennenſis ex Latinis Patribus, de S. Pauli in Hiſpanias aduentu, auctoritate firmatur: Vnde Gregorius VII. [b] Epiſtolam ad Alfonſum & Sancium Hiſpaniæ Reges ſic exorditur: *Cum Apoſtolus Paulus Hiſpaniam ſe adiiſſe ſignificet, &c.* Et S. Irenæus Lugdunenſis in Gallia Archiepiſcopus ſic habet: [c] *Etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſint, tamen virtus traditionis vna & eadem eſt; & neque hæ, quæ in Germania ſunt fundatæ Eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ quæ in Iberis, neque hæ quæ in Celtis.*

[a] Baron. an. 461. 3. 4.

[b] Lib. 2. Epiſt. 64.

[c] Lib. contra Hæreſ. cap. 3.

Cum igitur Hiſpanica Eccleſia Irenæi temporibus iam efflorereſceret, Fidem non modo ab Apoſtolicæ doctrinæ alumnis, verum etiam ab ipſis Apoſtolis nempe à Iacobo & à Paulo hauſiſſe, *Nos Patres & Acta magni Concilij docere*, cum Baronio rite aſſeramus; quæ licet pro certis & exploratis habeantur, nihilominus in ipſa Euangelij prædicatione, qua Hiſpani ſe ab ipſo Paulo inſtructos fuiſſe gloriantur, Gallicæ gentis haud vulgarem cum Iberis communionem interceſſiſſe dignoſcimus: Et certe in Romano non recentiori duntaxat, ſed etiam antiquo Martyrologio expreſſe traditur Apoſtolum cum in Hiſpaniam pergeret, apud Narbonam Paulum (quem aiunt fuiſſe Sergium Proconſulem) reliquiſſe, vt Euangelij luce regiones illas colluſtraret; quare Franci ſparſa ab Apoſtolo Hiſpanias perluſtrante fidei ſuæ ſemina agnoſcere ſeſe, ac proinde ei nationi, in cuius potiſſimum gratiam Paulus Apoſtolus eo contenderat, plurimum obſtrictos eſſe fateantur:

anno 816. 51

Mart. Rom. 21. Mart.

Et ſane cum à S. Petro plures Epiſcopi in Gallias fuerint

rint ordinati, quorum meminit in suis Annalibus Baronius; vnde Gallicani Martyrologij auctor SS. Petrum & Paulum Galliarum *proprios* nuncupauit *Parentes, & Reuerendos in Christo Pædagogos; sicque illius Gallia,* subdit ille, *quam possidet ab eluescente orbis Euangelio fidei & religionis auctores agnoscit, vt perpetuos eiusdē colat ac prædicet vindices;* Subiicitq; Leonis Magni sententiam: *Præsentissimo progressus adeo auspicati commodo vtentes* (postquam ipsum Romani Imperij apicē Christo subiecissent) *Legatos suos in Gallias summiserunt, qui populos amplissima huius regionis pleroſque ritus Christiani sanctitate imbuerunt*: Sed & ab iisdem Apostolis in Hispanias plures Episcopi Euangelicæ doctrinæ seminatores directi fuere, teste Gregorio VII. in Epistola iam citata: *Postea septem Episcopos ab vrbe Roma ad instituendos Hispaniæ populos à Petro & Paulo Apostolis directos fuisse, qui destructa Idololatria Christianitatem fundauerunt, &c.* 29. Iulij. Lib. 1. Ep. 64

Cum igitur eadem fere ætate ab ipsa Apostolica sede tot Euangelicæ doctrinæ præcones in Hispanias ac Gallias missi fuerint, maximam inter eos viguisse consuetudinem, cum in finitima regna eiusdem Euangelij luce eorum studio irradianda directi fuissent, nemo asserere vereatur: Quamobrem si Gallicanam Hispanicamque Ecclesias ab ipsis nascentis fidei primordiis, clarissimis Ecclesiasticæ disciplinæ Nomothetis refertas, ac deinde tot Conciliorum, Hominumque pietatis, doctrinæque laudibus insignium illustratas fulgoribus, tanquam miraculum totius orbis aspectui expositas admiramur, vtriusque Christianæ gentis claritatem ac splendorem à mutuo fidei, pietatisque lumine, quo Hispanici simul atque Gallicani Præsules eas regiones illustrarunt, deriuatam haud dubie affirmabimus.

Hac profecto claritate ea Christianissima regna potissimum effulgent, nempe quod sint vnum interse, iuxta diuinum Christi oraculum; *Claritatem quam dedisti mihi dedi eis, vt sint vnum sicut & nos vnum sumus*: In quem locum Theophilactus sic disserit: *Non enim tantummodo gloriam seu claritatem daturum esse dicit, quæ per* Ioan. 17. 22. In hunc Loc.

dogmata & ſigna, & doctrinas, ſed & aliam quoque gloriam concordiæ ſcilicet, vt ſint vnum, iſta enim gloria maior eſt: Quare cum priorem eorumdem dogmatum ac doctrinæ claritatem ambæ iſtæ nationes fuerint conſecutæ, poſtrema ac potiori, concordiæ videlicet, vt inter ſe ſint vnum, claritate mirum in modum effulgere gloriantur: Neque hoc gratis, à nobis prolatum arbitremini, auctores quippe non modo Hiſpanos, ſed & Gallos, qui Præſules Regnorum ſuorum indigenas Iberorum regiones, & è contra Hiſpanos Gallias ad fidem amplificandam peragraſſe teſtantur, quam fideliſſimos huiuſce veritatis teſtes mox in medium producemus:

I. Chriſti ſæculo.

S. Paulus 1. Narbonenſ. Epiſcop.

a 11. Decēb.

Placet à Narbonēſi Antiſtite Paulo, cuius paulo ante meminimus, exordiri: hic, vt videre eſt in Gallicano Martyrologio, [a] *Tarraconēſem prouinciam fere totam Chriſto ſubegit, Hiſpali, Cordubæ, Barcinone, Caſarauguſtæ lumen fidei fere extinctum reparauit; Semen euangelicum vbi ſparſum non fuerat feliciter plurima per loca diffudit; hinc manipulis onuſtus copioſæ meſſis redux in Galliam Auenione Rufum Epiſcopum collocauit, &c.* Cernite, ô Iberi, poſt prima ab Apoſtolo ſtudia pro ſpargenda Fidei ſemente veſtris regionibus impenſa, ab Antiſtite Gallis præfecto diffuſa Euangelij lumina fuiſſe; Quare tam præclaro Præſuli cum exultatione veſtræ fidei manipulos portanti, Franciſque ipſis auitæ beneuolentiæ, veſtræ ſemper incolumitati opportunæ inſignia exhibendo, occurrere non dedignemini.

S. Fronto Petragoric. Epiſcop.

Alter Apoſtolorum alumnus, à quo noſtri inſtituti ratio magis ac magis confirmatur, S. Fronto Petragoricenſis Epiſcopus fuit: Petragoricis in Gallia ordinatum à D. Petro Epiſcopum, ibique cum Georgio presbytero magnam illius gentis multitudinem conuertiſſe Romanum tradit Martyrologium; Ex Gallicano autem hæc excerpta ſubiicimus: *Editis in interiori Gallia Apoſtolici curſus monimentis, diuinus heros ad nouos labores ſe accingens in Aquitaniam velox aduolat, Burdigalam nouo Chriſti præconio imbuit; hinc Baionam tendit, penetrat in Hiſpaniam, atque Palentiam pergit, quam ſalutis nuntio primus latifi-*

25. Octobr.

tus,

cat, totamque Tarraconenſem regionem fulgoribus Euangelij replet.

Ne vero Francos ſuorum Præſulum, illuſtrium velut Euangelij præconum nomina plus quam par ſit commendare, eorumque geſta amplificare ſupra modum arbitremini; cum eos ad exteras etiam nationes dilatandæ cauſa fidei celeri curſu profectos oſtentant, hoc ipſum namque ab Iberis authoribus comprobatum, publiceque in ſacris eorum Faſtis aſſertum, Hiſpanique Martyrologij auctor, eadem plane, quæ modo retulimus verba, recitans, Frontonem præcipuum ſuæ gentis prædicatorem vocat, atque veneratur: Martyrol. Hiſpan. 25. Octob.

Hic prudens Lector, à pluribus ſanctiſſimis Euangelij præconibus, qui primo Chriſti ſæculo floruere, in Hiſpaniam ad meſſem Euangelij delegatis, Francicam quoque gentem ſacris dogmatibus inſtructam nullo ſibi negotio perſuadebit, præſertim ſi innatam dudum Galliarum populis conſuetudinem in memoriam reuocare dignetur; Cajus enim Iulius Cæſar, qui huiuſce genium Nationis probe calluit, à Gallis ſiſti, ac retineri viatores, eoſque de inſtituto profectionis ſedulo interrogari ſolitos teſtatum reliquit [a]: *Eſt hoc*, inquit, *Gallicæ conſuetudinis, vt viatores etiam inuitos conſiſtere cogant, & quod quiſque eorum de quacumque re audierit, aut cognouerit, quærant*: Quem ſecutus morem Sidonius Apollinaris præſtantiſſimum ſuæ ætatis pietate ac doctrina Galliarum ornamentum ad Fauſtum Regienſem ſcribens, eum hortatur, vt tempore præcipue minus quieto à frequentiori litterarum inter ſe commercio abſtineant, ea potiſſimum de cauſa, *quod tabellarius nequaquam irrequiſitus tranſiret, dum ſecretum omne gerulorum peruigil indagaret explorator*: Quare antiquiſſimæ conſuetudinis ſuæ tenaces Francigenas à viatoribus ad Iberos ſibi finitimos Fidei radiis illuſtrandos properantibus ſedulo de ſui itineris inſtituto ſciſcitari, ac viciſſim veræ ab iiſdem religionis dogmatibus imbui ſolitos haud immerito opinamur: Hinc maxima inter eos ab aurea illa naſcentis Eccleſiæ ætate, in qua fidelium erat cor vnum & anima vna, conſuetu- Apoſtolici viri in Hiſp. Legati Gall. fidem docuerunt.

[a] de bello Gall. l. 4.

do interceſſit, quæ deinceps in poſteris firmius radicari conſueuit:

II. Sæculo. Sed iam fortunatum aurei primi Sæculi curriculum emenſi, dum ſecundum ingredimur, inter Apoſtolicos illos Primates qui hac ſecunda Chriſti ætate Gallias Euangelij prædicatione illuſtrarunt, propriique ſanguinis effuſione decorarunt, potiſſimum ſibi vindicat locum diuinus

S. Dionyſ. Areopag. Gall. Apoſt. I. Lutetiæ Epiſcopus. ille Dionyſius Areopagita primus Pariſiorum Antiſtes, & Galliarum Apoſtolus: [Neque hoc loco cum nonnullis viris Franciæ etiamnum indigenis, in Eccleſiaſtica cæteroqui hiſtoria plurimum verſatis, Dionyſium cognomento Areopagitam Pariſienſium Antiſtitum Catalogo expungere conantibus diſceptare intendimus, in Notis enim ad calcem operis quædam pro communi non tam Gallorum, quam fere omnium ſententia de vnico Areopagita Dionyſio, eoque Pariſino Paſtore tuenda proponimus.] Quamuis autem iſti Dionyſium ad Decij tempora referendo, quoad ætatem ſimul & patriam à nobis diſcrepare videantur, attamen quoad eiuſdem, ſuorumque diſcipulorum cum Hiſpanica gente commercium ac conſuetudinem in pluribus aſſentiri patebit:

9. Octobr. Audiamus primum, quæſo, Hiſpanici Hagiologij verba ad nonam Octobris diem à doctiſſimo ſcriptore appoſita: *Celebris eſt in Hiſpania memoria S. Dionyſij Areopagitæ, & S. Pauli Apoſtoli diſcipuli, qui cum à B. Clemente Pont. Max. totius Galliæ eligeretur Apoſtolus, Noſtrates adyt, vrbes inuiſit, Eccleſias luſtrauit, Chriſtianos fouit, & Gallias reuertens apud Pariſios corona per Martyrium ad cælos redimitus aſcendit:* En tibi, Lector, non Gallici ſed Hiſpanici Scriptoris celeberrimum de Dionyſio encomium; Sed expendendum hic obiter, ex eo Dionyſium Hiſpanias luſtraſſe,

Idem à S. Clemente Gall. & Hiſp. Legatus creatus. quod nimirum totius Galliæ Apoſtolatus munere à Romano Pontifice digne fuerit cohoneſtatus; quod iampridem à L. Dextero notatum fuit ſequenti periodo: *Haud multo poſt S. Dionyſius Areopagita Hiſpanias inuiſit, vt Legatus à Clemente totius Occidentis ordinatus*:

Viden Hiſpanum Gallicanumque Regna ſub vna Præſulis

sulis Legatione à Romanis Pontificibus primæuis ab vsque sedis Apostolicæ temporibus ad Fidem excitata, simulque sociata? Quare diuini oblitus oraculi, *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, à mutua etiamnum confœderatione eadem discernere quis vnquam audeat? Cum vir iste sanctissimus Apostolicæ disciplinæ fidelis assecla, totius Galliæ Apostolus, imo totius Occidentis Legatus fuisset ordinatus, Galliarum tantummodo, Hispaniarumque peragrauit Prouincias, easque Euangelicæ prædicationis institutis, suoque & discipulorum labore mirum in modum excoluit, vnde clarissimo Galliarum Apostoli, Hispaniarumque Ecclesiastis titulo decorari apud Iberos meruit, vt ex eorum Martyrologio constat; in quo si eximium tanti Præsulis encomium ab authore viro alioqui Hispano in suis notis ingenioſe descriptum attente perlegeris, quantum huic primo Parisiensi Antistiti Galliarumque Apostolo Iberi iure deferant, clarissime intelliges, quod ex modo adducendis perspicue constabit: Matth. 19.

Præstantissimam, ac cæterarum Hispaniæ Primatem toto orbe celeberrimam Toletanam Ecclesiam, à Iacobo Apostolo, vt aiunt, primitus erectam, tot Conciliis illustratam, sanctissimisque Præsulibus decoratam huic Galliarum Apostolo, primoque Parisiorum Pastori, si non sui Fundatoris, eximij saltem Instauratoris, ac peculiaris sui Patroni titulum deferre non tam Gallicana quam Hispanica sacra monimenta testantur; Enimuero cum de Eugenio Toletano Episcopo, M. Elpidio Iacobi discipulo, vt volunt, suffecto à Gallis scriptoribus mentio fit, omnes in Hispaniam à Dionysio sublegatum fuisse, Toletumque missum affirmant, quorum sententiæ Iberi etiam adhærent: Quamuis enim Eugenium vna cum Petro Hispanias lustrasse (quod tanquam certum decernere hic nostrum non est) & ab eodem Toletanæ Ecclesiæ præfectum asserant, ex ipsius tamen Actis, quæ Iberi proferunt, Eugenij aduentum vna cum Petro in Hispanias, non autem peculiaris alicuius Ecclesiæ præfecturam ipsi ab eo collatam probare videntur; In iisdem tamen de Dionysio hæc clare recitant: Idem Tolet. Eccl. Instaurat. ac Patronus.

Probabilius est S. Eugen. Tolet. Eccl. à S. Dionys. datum Præsulem fuisse: Martyrol. Hisp. 15. Nouembr.

citantur: *Dionysius tanquam summi Pontificis Legatus, &c. in Hispanias Eugenium ablegauit* (Toletumque ab eo missum addunt Galli) *qui protinùs Dionysij benedictione susceptâ secum deferens comites Toletum deuenit, &c.*

Sed esto quod Eugenius antea Toletanus Antistes fuerit destinatus, à Dionysio Apostolico Galliarum Legato, cum quo Roma abscesserat, ad amplissimam illam vrbem subdelegatum fuisse omnes vna profitentur: Quare haud temere assertum putetis, ô Iberi, si clarissimum hunc Galliarum Apostolum Toletanæ Ecclesiæ Instauratoris nomine modo à me insignitum audieritis, vos enim ipsi in eiusdem Eugenij Actis eum à Dionysio Toleti visitatum, saluberrimisque imbutum monitis ad Ecclesiam ea tempestate, qua fides vndique persecutionum procellis quassata periclitabatur, Christiana solertia, zeloque plane Apostolico regendam assentimini, sicq; demum concluditis: *Cum aliquando grauissima negotia in rebus Hispaniæ sæpissime instarent, & desiderio reuisendi Dionysij accensus, & vt quæ in credito opere Euangelicæ dispensationis peregerat, ipsi referaret, vicissimque ab eo prouehendæ amplius Christi gloriæ & salutis Hispanicæ consilia mutuaret, in Galliam profectus, &c.*

Hispani à S Dionys. Eugen. visitatum asserunt.

His etiam adstipulantur Gallici scriptores, quorum auctoritatem alioqui verissimam velut in hac re sibi admodum fauente nimium suspectam dedita opera hoc loco in medium adducere Hispanis duntaxat testibus pro re Gallica testantibus contenti prætermittimus: proh quanta Toletanum inter Antistitem, & Parisiensem Episcopum intercedebat communio! cum ea quæ Eugenius pro Euangelij dilatatione feliciter apud Iberos peregerat, Dionysio referare quãtociùs percuperet, imo vt & saluberrimis pro re Ecclesiastica in iis partibus fructuosius promouenda consiliis ab eodem muniretur: Quis ad huius vocis sonum, *vt ab eo salutis Hispanicæ consilia mutuaret*, à nobis Dionysium Toletanæ Ecclesiæ Instauratorem rite appellatum non vltro concedat? Annuant itidem Iberi se plurimum Dionysio Galliarum Apostolo deuinctos esse, atque ab intima Toletani istius Antistitis cum ipso necessitudine, adeo vt eius præsentia

fru

frui, consilioque in arduis vti peroptans, Gallias petierit, summam inter vtriusque Primariæ Sedis Successores familiaritatem, ac consensum vtrique Regno futurum deinceps quam maxime vtilem deduci fateantur.

Si Hisp. S. Dionys. se plurimum debere asserunt, Galli de S. Eugenio Tolet. idem fateri debent.

Cum vero Hispani, atque imprimis Toletani Dionysio Parisiorum Præsuli sese plurimum obstrictos iure agnoscant, Toletano vicissim huic Archipræsuli se Galli haud parum debere profiteantur necesse est; *Ipsum namque in Galliam profectum Tolosæ pedem aliquando fixisse, vt gregem Dominicum atroci martyrio S. Saturnini primi illius vrbis pastoris exturbatum, exterritumque confirmaret; Deinde recta Lutetiam Parisiorum tendisse, vbi nuper confectum Dionysium cum sociis multiplici martyrio vulgari fama perceperat, afflictis vt rebus nouellæ huius Ecclesiæ tanto orbatæ parente ac doctore, studio, operaque sua suffragaretur*; Gallicana testantur Martyrologia: Quamobrem clarissima ex dictis celeberrimas inter totique orbi venerabiles, Toletanam ac Parisiensem Ecclesias, (quarum vna Hispaniarum Primas, altera in ipsa totius regni Metropoli sita semper floruere, ac etiamnum ampliori in dies splendore eluescunt) prisca consuetudo, vtrique genti tam Ecclesiasticis quam sæcularibus ordinibus conspicuæ vnanimem inter eos animorum consensum ostentat, mutuamque deprædicat societatem; vnde istis Apostolorum alumnis sacrum illud Prophetæ oraculum; *Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* Non tam ob frequentes diuersis in Prouinciis excursiones, quam ob fœcundam, copiosamque animarum regenerationem, quas ipsi Christo pepererunt, atque ob eximia pacis fœdera, quæ vtrique genti prænunciabant, rite aptari concludimus.

Martyrol. Gall. 15. Nouemb.

Isaiæ 60. 8.

S. Ionas M. S. Dionysij discip. Hisp. cultor.

Neque vero in vno Dionysij condiscipulo ardens eius in amplificanda apud Iberos religione studium quieuit; plures enim ab ipso in Hispanias directi memorantur, inter quos Ionæ seu Iouij Presbyteri præcipui eiusdem discipuli zelus enituit, cuius memoria in Ecclesiasticis Hispanorum tabulis expressa asseruatur horum tenore verborum: *Castris Cæcilis in Lusitania S. Ionæ Presbyteri, qui cum Dionysij*

Martyrol. Hisp. 22. Septemb.

comes effectus, primo Gallias, poſt Hiſpanias perluſtrauit, apud Caſtra Cæcilia pedem & ſedem figens, ibidem inſignes Eccleſiæ pediſſequos parturiuit, donec Pariſios remeans abſciſſo capite cœlum Martyr aſcendit.

S. Saturnin. Toloſan. Honeſtum Toletum direxit, illicque ipſe pro fide laborauit.

De Saturnino Toloſano primo antiſtite, cum Dionyſio à Romano Pontifice in Gallias directo quid dicam? nonne & ipſum Iberi vna cum Gallis eximium in Hiſpaniis verbi Dei præconem venerantur, cuius potiſſimum ſollicitudinem præcipuæ Iberorum Eccleſiæ expertæ fuere? ipſe nimirum Toloſæ primum reſidens Honeſtum in Hiſpanias direxit, ac deinde Toletum Carpetaniæ famoſiſſimam Hiſpaniarum Metropolim ipſe contendit, vbi biennio commoratus in exequendo ſalutis opere mirifice elaborauit, vnde in eius Actis ab Hiſpano Martyrologio deſcriptis nobiliſſimo titulo inſignitur, *Hiſpaniarum ſcilicet prædicatoris, & Pampilonenſium, necnon vtriuſque prouinciæ*, Galliarum videlicet atque Hiſpaniarum, *Apoſtoli.*

Martyrol. Gallic. 29. Nouemb.

Atenim obſeruatum velim Francos ſcriptores cum de Saturnini Toloſani Antiſtitis aduentu in Hiſpanias diſſerunt, iſta ſubiicere, quæ maxime noſtro fauent inſtituto: *Ad Hiſpaniæ, quæ ſideribus pietatis orbata erat, colluſtrationem animum intendit, excitus Paterni ipſius gemitibus, qui Toleto ad eum veniens, ei gentis illius deſolationem notificauerat:* Ex quo mutuam hanc Præſulum vtriuſque regni communicationem antiquitùs cœptam, iamque toties à nobis inculcatam admirari non deſinam: ſi quando enim in Hiſpaniis Eccleſiæ nauicula rabidis fidei perduellium procellis concuſſa miſerrime fluctuaret, gens illa in tanto ſalutis diſcrimine, tantaque Rei Chriſtianæ perturbatione ignara pene quid conſilij caperet, ſubito tandem diuini Numinis impulſu ad ſanctiſſimos Galliarum Præſules confugiebat, vt laboranti in illis regionibus Eccleſiæ quam citiſſimam opem ferrent, qui confeſtim Fratrum pro Chriſto graues tolerantium ærumnas compaſſione moti, nulla periculoſi itineris, mortiſque ſibi imminentis habita ratione, præſentem illuc opem ſubminiſtraturi conuolabant, atque ab Apoſtolico feliciter adimplendo munere nullis vnquam laboribus, crudeliumque fi-

Gallia Chriſtia. Hiſpan. in perſecut. aſylum.

dei

dei hostium sæuissimis ad mortem vsque vexationibus deterreri poterant; Imo stimulos ipsis potius, alasque addebant, quippe qui flagrantissimo diuini amoris igne succensi, Christi Sanctorumque exemplo, opportunam patiendi occasionem, gloriosamque probandæ virtutis materiem sollicite quærerent, iuxta D. Augustini mentem, qui ad Honoratum scribens Christianos Athletas confirmat his verbis: *Vt clades hostiles ideo non fugiant, ne deserant ministerium Christi, hoc enim fit vbi Dei charitas flagrat, non mundi cupiditas fumat, magis timent ne membra corporis Christi destituta spiritali victu necentur, quam ne membra corporis oppressa hostili impetu torqueantur.*

Haud impar fuit Honorati, Gallis attestantibus, Saturnino in Tolosana sede suffecti erga Toletanam Ecclesiam studium; nam ipsum in Hispaniam excurrisse, Toletanamque Ecclesiam pene desolatam opportuno solatio recreasse, ac Pontificio coluisse studio, ipsaque Pelagio probatæ fidei viro commendata, proprium ad ouile fouendum Tolosam regressum aperte testantur; cui fauet Hispanici Hagiologij Illustrator qui vtriusque nationis de Honorato controuersias sedare conatur: Et quonam peruenit mutua Gallorum Antistitum cum Iberis consuetudo? Quid maiori dignum admiratione, quam quod ex Gallia Præsules Hispanica sæpius regna adeundo, non modo viros Ecclesiasticæ disciplinæ laudibus insignes illarum gentium regimini ordinarent, sed etiam in primaria sede, vti erat Toletana, Symmistam constituerent, sicuti Pelagio accidit, qui in illius Ecclesiæ Antistitum catalogo quintus recensetur: Hinc omnia, quæso dissidia, hinc contentiones inter Sacra in vtroque regno Ecclesiæ lumina procul faceſſant; discant à primæuis suis Patribus hæc amantissima inter se verba vsupare: *Ne sit iurgium inter nos, fratres enim sumus.*

S. Honorati Tolos. Episc. in Hisp. pro fide labores. Martyrol. Gallica. 22. Decemb.

Martyrol. Hispan. 31. Decembr.

Anno 160.

Genes. 13. 8.

Sed iam ad Polycarpi alumnos è Græcia in Gallias directos pergamus; isti forsan Gallicanas solummodo Prouincias peragrando, Euangelicæ istarum Prouinciarum messi colligendæ toti vacarunt, ita vt cõiunctissimos non tã finibus quàm animis Iberos nunquam inuiserint, neque sacris fidei

S. Polycarpi alumni è Græcia in Hisp. appulsi, & illic Satores fideiceffecti.

institutis imbuerint? Non ita se res habet; audiamus, si lubet, ipsum Hispanicarum rerum Commentatorem in sacris Fastis de Andeolo Polycarpi discipulo ita differentem: *Qua missione peracta in Hispaniam venit, & Carpetanos perlustrans Fidei rudimenta incolas edocuit, deinde Vettones inuisit, & ad Niuariam vrbem inter Salmanticenses & Complutenses accessit, plurimos per hasce vrbes Ecclesiæ manipulos colligens, iterum in Galliam proficiscitur, sub Seuero coronatus:* Licet autem Gallici scriptores ista de Andeolo reticeant, Iberi tamen à diuini Verbi præcone in Gallias directo sacris se dogmatibus instructos fuisse vltro deprædicant: Qualia Deus immortalis! intimæ dilectionis insignia, quæ plusquam fraternæ necessitudinis officia ipsos Galliæ alumnos erga Iberos sibi finitimos exhibere decet, cum exteri homines Græci in Gallias appulsi, quominus Hispanias lustrarent, eamque gentem ad veræ Fidei agnitionem & cultum, Ecclesiasticæque disciplinæ normam dirigerent, cum ipso mortis discrimine sese cohibere nequiuerint: An quæ tunc in Christi fidelium cordibus inflammari cœperat charitas processu temporis ac religionis quasi senescentis tepore refrigescet? haud vtique; florentissimam illam ac perantiquam vestrarum Ecclesiarum faciem (quæ licet persecutorum rabie efferatisque barbarorum conatibus, nondum sacro omnibus lauacro indigenis in Christo consepultis viderentur tamen mutuo charitatis ardore succensæ in tota Christiana Republica mirum in modum effulgere cœperunt) post amplificatæ Fidei in vtroque regno felicissima incrementa, post tot exhibita vicissim eximiæ beneuolentiæ ac confœderationis argumenta, iam nouis, ô inclyti Præsules, animis reducite, vt ex hoc firmissimo tenerrimi amoris, intimæque concordiæ nexu inter vtriusque gentis Antistites, eisque commissas oues stabilito, & ipsi Augustissimi populorum Arbitri in diuina charitate, humanaque simul concordia Regnorum suorum perennitatem imperiumque radicare delectentur.

Martyrol. Hisp. 1. Maij *Anno* 100. S. Andeolus eiusdem Polyc. discip. Hisp. lumen.

An. 155. S. Irenæus Lugd. Ep.

De Irenæo S. Polycarpi discipulo ac Ioannis Euangelistæ auditore glorioſissimo Lugdunensi Antistite & Mart. in

Ibe

Iberorum gratiam Flauius dexter in remotissimis nationibus propagatam eius zelo Euangelij prædicationem, expugnatasque hæreses transmissis in Lusitaniam ad Vettonum Vrbem Valentiam discipulis affirmat: Non me. latet maximam Gallos inter ac Iberos scriptores controuersiam inesse de Valentiæ vrbe, ad quam suos Irenæus alumnos direxerat, Valentiam enim Segalaunorum sub Metropoli Viennensi glorioſis hisce Irenæi discipulis Franci assignant, nonnulli autem Hispanici scriptores ad sua regna traducunt: Quin & addunt [a] ex ipsis S. Irenæi libris liquido constare ipsum præcipue contra Gnosticos Hæreticos pugnasse, vt non solum in Galliis & regionibus quæ Rhodano adiacent, quas Gnostici infecerant, sed & apud Hispanias in eos tela contorsisse, libros suos illuc misisse, vnde libere deduci libeat illuc etiam aliquos ex suis discipulis destinasse, cumque Toletano Antistite Turibio peculiaris amicitiæ vinculo deuinctum fuisse.

salutis Iberorum studioſus.

Illuc alūnos destinauit.

[a] Comment. in M. max. Chron. an. 439. pag. 141.

Verum quis non videat hanc ipsam Gallos inter ac Hispanos ortam de Irenæi alumnis ad Iberos ordinatis contentionem nostro maxime patrocinari instituto ad mutuæ huiusmodi inter eosdem populos communionis incrementum? Esto quod Irenæi discipuli illuc nequaquam appulerint, vt Galli contendunt, Iberorum tamen eiusmodi concertationem summa dignam laude existimo, cum non inter Fratres talis orta sit contentio, quis eorum videretur esse maior, vnde merito à diuino Magistro arguerentur, sed vt Lugdunensi Antistite, eiusque alumnis, à quibus finceris germanæ fidei dogmatibus institutos se esse gloriantur, veluti in hac re minores sese vltro profiteantur: Sancta ista, vt sic loquar, dissidia, laudabilesque fidelium contentiones mirari satis non possum, quibus peculiaris primæuorum ex vtraque Natione Christi Sectatorum propugnata communio posteris imitanda proponitur; ab Irenæo certe si non istos Felicem videlicet, Fortunatum, & Arbillium in Hispanias prædicationis gratia destinatos, alios saltem è schola sua operarios in illam vineam excolendam dimissos fuisse probabilius videtur, cum in remotissimas etiam

Laudabilis Gall. & Hisp. pro fidei suę Apostolis contentio.

nationes propagari fidem, vti dictum est, summis votis exoptarit, ipsum proinde Iberorum necessitati non defuisse, vt Græcorum Decessorum suorum exempla sequeretur, pie omnino ac multa cum ratione credendum est, qui profecto dum primarias Galliæ sedes tenerent, Hesperiis etiam regionibus suorum discipulorum opera, suaque aliquando præsentia suppetias pro Fide illic dilatanda ferre consueuerant.

Sed iam nonnullas sollicitis Gallorum studiis ac laboribus pro Fide per Hispaniæ prouincias serenda non sine fructu impensis redditas ab Iberis hoc ipso tempore vices ab authoribus vtriusque gentis in hac re maxime concordibus audiamus: S. Firminus Pampilone in Hispania (ita eius nationis scriptores referunt) inter Senatores primus, Honesto adhæsit, & Saturnino, qui è Tolosa Toletum venerat, vt ibi Euangelij lucem diffunderet, in variis Hispaniæ vrbibus fidem disseminauit, donec Galliam adire decreuit; [a] *Quia ibi tunc magna inferebatur persecutio Christianis*; Ad Aluernos transiit, magnamque gentis illius copiam ad fidem traduxit, ab Andegauensi deinceps Antistite detentus, vt populum in fide confirmaret: eosdem Fidei prouentus Hispani hominis studio in suis regionibus excerptos ipsi palàm Galli fatentur, his verbis: [b] *Qui vt receptæ benedictionis gratiam excitaret, suadente ipso Honesto à cuius diuino ore pendebat, Galliam longe lateque peregrinare constituit, Fidei iubar quod proferebat in gentium salutem diffusurus; Agennam primum, &c. hinc in Aruerniam, &c. Andegauum progressus Aurelio Episcopo in infidelium conuersione desudanti id auxilij attulit, vt intra menses quindecim ciuitatem totamque circum regionem Christi reddiderit placitis obsequentem: Digressus hinc in Neustriam strenuus hominum opitulator secundæ Lugdunensis populos vitæ præcepta edocuit, &c.*

S. Firminus Pampilon. S. Saturnin. Auditor in Gall. venit opem Christian. in persecut. laturus

[a] Martyrol. Hisp. 25. Septembr.

[b] Martyrol Gall. 15. Septemb.

Hæc in Gallicano Martyrologio fusiori stylo expressa fideliter à nobis in medium prolata Hispani viri labores pro Gallis fide imbuendis exantlatos ostentant, quos à Gallicis auctoribus, ideoque testibus omnium fide dignissimis,

pro

prolixo elegantique encomio celebratos, si cum assiduis Gallicanorum Antistitum in amplificanda apud Iberos fide studiis comparemus, immensa procul dubio in vtrisque regnis secuta religionis incrementa, & labentibus sæculis mirum in modum aucta indefessæ eorum sollicitudini, quippe qui vtrique vicissim genti consuluerint, illustribusque tantorum Christi Confessorum agonibus nihil nos vetabit adscribere.

Porro eadem per plures annos inter ambarum nationum Antistites commercia intercessisse, quibus insolita Christianæ Fidei progressibus, atque Euangelicæ sementis maturitati in vtriusque regni prouinciis facta est accessio, ex ipsis SS. Patrum ex vtraque gente illustrium epistolis vltro citroque datis, & Conciliis simul habitis, atque ex sacris amborum regnorum Annalibus clarissime constat; Nobis hæc tantum delibasse satis erit, vt Lectoris animum ad reliqua quæ Auctores, qui singularum in suis regnis rerum gestarum historias prosecuti sunt, perlustranda excitaremus, quod si pro commodiori sua temporis opportunitate peregerit, multo fortassis maiora istis quæ in medium adduximus, alternæ Gallos inter ac Hispanos in Fidei dilatione communicationis officia reperisse oblectabitur.

Quapropter plurimorum Galliæ Antistitum erga Iberos ardorem impẽsaque pro ipsis in fide erudiendis confirmandisue, illa vere aurea, vtpote Christianorum Athletarum sanguine purpurata ætate, studia iis laudũ præconiis iure prosequemur, quibus trecẽtos fere post annos eorum successores à Magno Gregorio indigni censebantur, vnde Theodorico & Theodeberto Francorum regibus scribens, ita de eorum regni Sacerdotibus conquerebatur: *Peruenit ad nos Anglorum gentem ad fidem Christianam Deo miserante desideranter velle conuerti, sed Sacerdotes vestros è vicino negligere, & desideria eorum cessare sua adhortatione succendere:* Huiusmodi sane querimoniæ locus tunc non erat, cum tot clarissimi Præsules è Francia finitimos Iberos adierint, vt in Euangelicæ doctrinæ, Ecclesiasticorumque morum institutis eos roborarent. l. 5. Ep. 58.

Nollem

Quare plures ex Gall. Hiſpan. Apoſtoli, quã ex Hiſpan. Gallorum in fide magiſtri hic recenſiti. Baron. *Anno* 1029.

Nollem vero me Gallicanæ potius Eccleſiæ quam Hiſpanicæ fautorem haberi, quamuis plures è Galliis ſacros fidei præcones Hiſpanias diuinæ Lucis colluſtrantes radiis, paucos vero ex Hiſpaniis Gallorum in fide pædagogos enumerarim: hoc ipſum Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ parenti accidit, qui ſeſe aliquando excuſare coactus fuit, cum ieiuniorem de rebus Hiſpanicis ſermonem, fuſiorem vero de Gallicanis à ſe inſtitutum, non Hiſpanici ipſius regni in rebus Eccleſiaſticis memoriæ mandandis ſterilitati, cum Diuorum, Conciliorum, ſacræque rei vberrima ſegete locupletetur, verum auctorum ipſorum in ipſis poſteritati conſignandis raritati ob frequentes Saracenorum excurſiones, aliaque veſtræ illius regionis infortunia, adſcribendum eſſe affirmarit: Eodem plane argumento obiectum mihi crimen apud vos, ô Iberi, purgandum cenſeo, veſtræ omnino gentis Scriptorum penuria, non rerum ipſarum à Maioribus veſtris, priſciſque indigenis glorioſe geſtarum inopia parciorem orationis materiem, breuioremque dicendi campum ſuppeditauit; cum apud omnes compertum ſit ex illuſtribus regnorum veſtrorum Eccleſiis clariſſimos ſemper prodiiſſe viros, qui & Franciæ, & aliis vicinis populis, cæteriſque regionibus Sacri dogmatis panem fregere; adeo Catholica fides in veſtris tales ac tantas prouinciis radices egit, vt in maximam confeſtim creuerit arborem, ac ſuos vndequaque ramos ad publicum totius, nouique etiam orbis commodum ac miraculum extenderit.

Circa Anno 406. lib. 7.

Clerici ex Hiſp. in Gall. fidei propagatores, & maxime in Burgundia.

Prætermitti vero nequaquam ſilentio patiar, quod Paulus Oroſius de Burgundionibus teſtatum reliquit: *Eorum eſſe prævalidam & perniciosam manum Galliæ hodieque teſtes ſunt, in quibus præſumpta poſſeſſione conſiſtunt, quamuis prouidentia Dei omnes Chriſtiani modo facti Catholica fide, noſtriſque Clericis, quibus obedirent, receptis blande, manſuete, innocenterque viuant non quaſi cum ſubiectis Gallis, ſed vere cum fratribus Chriſtianis:* Cum igitur Oroſius Hiſpanus origine, patria Tarraconenſis Burgundiones aſſerat, *noſtris Clericis quibus obedirent receptis*, Chriſtianis ſacris initiatos fuiſſe, haud dubie Hiſpanos Sacerdotes ſuos intelligit; & quod

de

de Gallis addit, nihil ad Francos occiduos attinet, qui Idololatriæ cultui adhuc erant addicti; Ex quibus aperte infertur Hiſpanos maxime in Galliis Burgundionum conuerſioni incubuiſſe, efferamque illam nationem magna ex parte Chriſti iugo ſubieciſſe; quamuis enim Gunebaudus eorum Rex Ariana labe infectus eſſet, Gunduicus tamen eius pater ab ea immunis fuit, vnde ab Hilaro Papa ad ipſum ſcribente, *Filius noſter*, appellari promeruit; Clotildis Chilperici fratris Gundebaudi Burgundiæ Filia Chriſti Fidem adeo coluit, vt Clodouæum Regem virum ſuum, ad dandum Chriſto nomen precibus, efficaciſſimiſque monitis induxerit:

Alios item plures ex Burgundiæ Regum familia ab Ariana impietate alienos fuiſſe Gregorius Turonenſis, & SS. Iurenſium Romani, Lupicini, atque Eugenij vitæ auctor vnà teſtantur: Quare cum plurimi vel ſaltem maior illius pars gentis, dicente Oroſio, *Omnes Chriſtiani modo facti Hiſpanicorum præſertim Clericorum ſtudiis*, quibus ſacris ſeſe dogmatibus erudiendam vltro commiſit, ſuaui Chriſtianæ fidei iugo colla ſubmiſerit, quiſnam pretioſa iſta Chriſti ſpolia è Principis tenebrarum manibus erepta, feliciterq; in Galliis Eccleſiæ Iberorũ triumphis adſcribere recuſabit? Et quis in maximam Hiſpanorum gloriam totum redundare, quicquid tam glorioſo eorum in ea prouincia diuinæ gloriæ comparatum eſt, denegare audebit?

Eorumdem opera Arianiſmus extirpatus.

Idem Iberorum ſtudium in promouenda apud Galliarum populos fide ex eo confirmatur, quod ex Iſidoro, aliiſque Hagiologij Hiſpani auctor de S. Elpidio & fratribus refert; Hic ex Hiſpania Tarraconenſi oriundus tres Illuſtriſſimos ſanctitate, infulis, ac doctrina fulgentes fratres germanos ſuſcepit; quorum natu maior Heluidius Galliam infulis, & ſanctitudine ſimul & Hiſpaniam condecorauit: Iuſtus Pontifex illorum medius ſedem Vrgellitanam Celtiberoſque populos gratis ſcientiæ ac morum adoribus perfudit; Iuſtinianus eorum tertius Valentinæ Sedis in Edetanis Hiſpaniæ regimini intentus virtutibus, eloquentia & miraculis ſic claruit, vt S. Iſidori Metropolitæ

Circa An. 560

Martyrol. Hiſpan. 2. Septemb. S. Elpidius Hiſp. Fratrum exẽplo in Gall. pro fidei dilatat. ſe contulit.

Hispalensis debita elogia meritus fuerit: Tantorum igitur Fratrum Elpidius splendore illustratus, sanctitate doctrinaque illustris, eorum vestigia sequi percupiens, Aquitanicos illuminans vsque ad Lugdunenses transcendit; subiicitque citatus auctor, quod post plures exantlatos in Galliarum partibus labores, sublato è viuis Lupo, Elpidius insulas Ecclesiæ Lugdunensis susceperit: Sit ita sane, Hispanoque Scriptori viro alioqui erudito suorum Regnorum indigenas penes Aquitanicos ac Lugdunenses populos pro amplificanda re Christiana strenue decertasse concedamus, vt hinc tot Franciæ Præsulibus Hispaniarum Ecclesiis opportuna subsidia conferentibus redditas ab Iberis vices perspicue dignoscamus, atque ex alterna vtriusque gentis societate fidem in vtroque regno Christianissimo ac Catholico ab ipsis pene Ecclesiæ incunabulis feliciter coeptam, ac deinceps mirum in modum propagatam haud dubie fateamur:

Verum cui tantus bono labor, quo in vastissimos amborum Regnorum campos fidei triticum ab vtriusque gentis Symmistis proiectum fuit? si Inimicus homo, pessimique eius filij Hæreticæ prauitatis zizania superseminando, illud continuo totis nequitiæ suæ viribus suffocare conabantur? [c] *Oportet enim*, vt ait Apostolus, *Hæreses esse, vt qui probati sunt manifesti fiant inter vos*: *Nam si*, Augustino teste, *doctrina Ecclesiastica simplex esset, & nullis extrinsecus Hæreticorũ dogmatũ nebulis cingeretur, non poterat tam clara & tam examinata videri fides nostra, sed idcirco doctrinam Catholicam contradicentium obsidet impugnatio, vt fides nostra non otio torpescat, sed multis exercitationibus elimetur*: Quamobrẽ Ecclesiasticæ disciplinæ præstantia quæ in vtroque regno mirum in modum effulsit, aliqua Hæreticæ prauitatis labe nonnumquam infecta fuit, vt clarissimi amborum Regnorum Antistites de vtriusque gentis incolumnitate magis solliciti dignoscerentur: *Multa ad fidem Catholicam pertinentia* (pergit idem Augustinus) *de Hæreticorum callida inquietudine agitantur, vt aduersus eos defendi possint, & considerantur diligentius, & intelliguntur clarius, & instantius*

1. Corinth. 11 Hæretici Christianis permixti eorum fidem alunt & conseruant.

c Serm. 98. de temp.

Lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 2.

prædi-

prædicantur, & ab aduersario mota qnæstio discēdi existit occasio.

Hac igitur Hæreticæ prauitatis occasione, quæ concordiam sancti corporis rumpere (vt Lactātius asserebat) catholicaque membra discerpere summa contentione pertentat, amborum regnorum concordiam magis enituisse demonstrabimus; zelo quippe diuino ardentes, doctissimosque ex vtraque gente Patres simul conueniisse, sincerāque doctrinam prædicasse, per litteras insuper, ipsaque sua præsentia simul communicasse, cum ab aduersario mota quæstio discendi extiterit occasio, tam Gallicana, quam Hispanica testantur monimenta, quæ, Deo nobis aspirante, in medium producere aggredimur, vt vbi Inimicus homo zizania disseminare, ac vnitatem discindere malis artibus conabatur, vberiores mutuæ charitatis ac vnionis manipulos, ipso inuito ac reluctante, ab iis vtroque in regno vt in fide, ita & in mutua dilectione vnito collectos, atque in Cœleste diuini Patrisfamilias horreum congregatos fuisse cunctis fiat exploratum: *Sequuntur tempora*, ait Seuerus, *ætatis nostræ grauia & periculosa, quibus non vsitato malo polluta Ecclesia & perturbata omnia: Itaque tum primum infamis illa Gnosticorum hæresis intra Hispanias deprehensa, superstitio execrabilis, arcanis occulta secretis: primus eam intra Hispanias Marcus intulit Ægypto profectus: Porro Hieronymus Galliarum primùm circa Rhodanum, deinde Hispaniarum nobiles fœminas decepisse asserit:* [a] Priscillianum autem à Rhetore Helpidio potissimum pessimis dogmatibus fuisse institutum prosequitur Seuerus: *hic familia nobilis, dines opibus, acer ingenio, facundus, multa lectione eruditus, felix profecto, si non prauo studio corrupisset optimum ingenium, is vbi doctrinam exitiabilem aggressus est, multos nobilium plureſque populares auctoritate persuadendi & arte blandiendi allicuit in societatem: quin & nonnulli Episcoporum deprauati, inter quos Instantius & Saluianus.*

Vbi dæmon pessimā doctrinā serit, ibi Deus ampliores fidei fructus colligit.

Hist. lib. 2. Baron. an. 381. 99.

a in cap. 42 Isaiæ.

Hæreticis huiusmodi erroribus opposuere sese nonnulli Hispanici Præsules qui Cæsaraugustæ Synodum collegere, ac Instantium & Saluianum, Helpidium, & Priscillianum damnarunt: Atenim quid ad nouos huiusmodi in Hispania rumores Gallicani Patres agerēt, Iberis semper

animo coniunctiſſimi, eorumque fidei integritatis ſtudioſiſſimi? dormierunt forte, aut præſentem fratrum neceſſitatem contempſerunt? inolita inter vtramque gentem dilectio, diuina amplius charitate accenſa feruentiſſimos illos Galliarum Præſules tantam fratrum ſuorum ſtragem nedum dormitantibus, ſed nec ſiccis oculis intueri permiſit: Burdegalenſis namque Epiſcopus Delphinus præcipuus Priſcilliani aduerſarius à Seuero inclamatus è Gallia in Hiſpanias conceſſit, ac Cæſarauguſtæ Synodo cum aliis Iberis Patribus ſubſcripſit: Adde quod Seuerus hanc narrationem accurate deſcribens, *Tum etiam* affirmat, *Aquitani Epiſcopi interfuere.*

Præcæt. S. Delphin. Burdeg. Ep.

Contemplare, Lector, Gallicanorum Antiſtitum ſtudium in tuenda apud Iberos fidei integritate tam enixe impenſum, vt Hiſpanias adierint, Sacris Patrum Conuentibus interfuerint, vnuſque eorum Delphinus potiori velut præditus animi robore, ac religionis zelo præ cæteris armatus Priſcilliani aduerſarij nomen promeruerit; Quin etiam Burdegalis conſtantiſſime repulit Inſtantium, Saluianum, & Priſcillianum iam Abulæ electum Epiſcopum Romam profecturos, vt obiecta ſibi apud Rom. Pont. crimina purgarent: Ex Gallicani Martyrologij verbis, quæ hic ſubiicere placet, intima celeberrimi huius Francici Antiſtis cum Hiſpanis Patribus ſocietas ac zelus ad perdendos hæreticos clarius patebit: *Ab Epiſcopis Hiſpaniæ Cæſarauguſtæ ad Priſcillianiſtarum cauſam diſcutiendam conuenientibus, ad Concilium cum aliquot Aquitanicæ Galliæ præſtantiſſimis fide, doctrina, pietate Præſulibus inuitatus, ea præſtitit conſilio & auctoritate in fide & iuſtitia tuenda, &c.* Dignum notatu eſt Gallicanos Antiſtites ob doctrinam, inſignemque ipſorum vitæ ſanctimoniam ab Hiſpanis ad Concilia ſua dudum inuitari ſolitos, nullam enim præterire occaſionem patiebantur, quin aliqua ſocietatis in ſe inuicem ac communionis officia exhiberent.

Martyrol. Gallic. 24. Decemb.

Interea Ithacius Hiſpanus Epiſcopus cognomento & eloquio Clarus, qui virili ſeſe animo hæreticæ iniquitati oppoſuerat,

fuerat, *Quasi perturbator Ecclesiarum* (pergit Seuerus) *reus postulatus, trepidus perfugit ad Gallias*: En vobis, ô Iberi, Francica regio vnicum veluti vestrum omnium asylum; quo enim securius pergere poterat præclarus Antistes, nisi vbi opportuna à tot doctissimis, summæque fidei zelo accensis Præsulibus subsidia offerebantur? Et quia plurimum in Gallicanis Patribus confidebat, Maximum, qui tunc, Gratiano cæso, Gallias obtinebat, rogauit, vt de iam damnatis Hæreticis iudicium in Galliis instauraretur, quod in Burdegalensi Synodo felici plane exitu peractum fuit; Vnde Sigebertus testatum reliquit: *Priscillianus Episcopus Abulæ hæresim condidit, Romam profectus à S. Damaso, & à S. Ambrosio repudiatus, in Galliis quoque à S. Martino in Synodo Burdigalensi alysque Episcopis hæreticus iudicatur*: Cui Franci quoque scriptores adstipulantur, nam in Gallicano Martyrologio sic habetur: *Soluta est Synodus, in qua si omnes iudices ea constantia ac solertia qua Delphinus cum Beato Martino, qui eidem Concilio interfuit, se habuit, perstitissent, nec traducta ad sæculare tribunal causa Ecclesiasticæ cognitio, nec cruenta sontium animaduersio, quæ inde secuta est, magno totius orbis scandalo contigisset*: Maximam igitur nauarunt operam Gallicani Patres præcipue Delphinus, Maximusue ad Hæreticos iterum in ea Synodo damnandos, quod licet in fidei gratiam, tamen vt Hispanis potissimum Præsulibus fauerent, peregerunt, vt ex superius allatis liquet:

Gallia Iberis Hæret. Persecut. vexatis asylum.

Sirmon. To. 1. Gall. Conc in Burdegal.

Galli PP. in Burdegal. Synodo Priscillianist. damnarunt: Idacij Chron.

Martyrol. Gallic. 14. Decemb.

Quoniam vero de S. Martino mentio incidit, omittendum non est quod ipse magno studio Maximum cohibere fategerit, ne Tribunos militares in Hispanias ad inquirendum de Priscillianistis hæreticis mitteret; causa quæ à Seuero adducitur valde æqua videbatur[a], quod nempe, absque diligentiori exâmine & delectu, optimi quique Christiani, quorum pallerent ora ieiuniis, & ex disciplina grauior esset incessus, & habitus corporis honeste sancteque compositus, mox, qui essent huiusmodi, vt hæretici haberentur, quasi illi eadem ex hypocrisi affectassent; contingebat enim tunc in Hispaniis quod de Vrbe Hieronymus tradit[b]:

S. Martin. Iberorum Frat. saluti ac vitæ consulit:

[a] Dial. 1. 2. cap. 7. Christiani olim pallore vultus ac macie distinguebantur.

[b] Hieron. Epist 22.

Quam viderint pallentem atque triſtem, miſeram & Manichæam vocant: Quapropter mitiſſimus Antiſtes tot mala in Hiſpaniis futura præcauens, à mittendis illuc Tribunis inquiſitoribus Maximum reuocare ſtuduit: Cernite ô Iberi, in ſanctiſſimi huiuſce Turonenſis Præſulis corde ac viſceribus ſingulos vos eſſe: Annon tanquam amãtiſſimus omnium veſtrum pater Maximum deprecabatur, vt non vnicus, ſed plures Abſalones filij ſui à morte ſeruarentur; numquid intimum ſuæ erga vos dilectionis ſenſum admiramini? Cum enim Tribunos iam in Hiſpanias directos fuiſſe audiſſet, *Palatium irrumpit, ſpondet ſi parceretur, ſe communicaturum, dummodo vt & Tribuni iam in excidium Eccleſiarum ad Hiſpanias miſſi retraherentur*; quod & impetrauit: An non dulciſſima ea verba, quibus S. Cyprianus gregi ſuo compatiebatur, ad veſtros tanquam ſuos, ô Iberi, conuerſus aduenas proferre videbatur? *Iaculis illis graſſantis inimici mea ſimul membra percuſſa ſunt, ſauientes glady per mea viſcera tranſierunt, immunis & liber à perſecutionis incurſu fuiſſe non poteſt animus, in proſtratis fratribus & me proſtrauit affectus:*

Sirmond. Conc. Gall. Tom. 1. in Treuer.

Serm. de lapſis.

Quod ſi tali affectus mœrore ſanctiſſimi Præſulis animus angebatur, cum bonos vna cum malis, pios vna cum impiis ac hæreticis, triticumque zizaniis immixtum extirpari cerneret, quam acerbiori mentis amaritudine, quantis obſtrepiturum querimoniis, quanto lachrymarum imbre perfundendum arbitramur, ſi ab ſuiſmet Galliæ indigenis Hiſpanos iam fidei dogmata apprime callentes, & ab omni hæreticæ prauitatis vmbra alieniſſimos ad necem impeti, diuturno bello vexatos deſtrui, miſeraque internecione deleri intueretur? Splendidiſſimo iſtius Gallicanorum Præſulum ornamenti exemplo à Gallis decet Iberos inpoſterum ceu amantiſſimos fratres ſinceri amoris propenſione foueri, & ab effundendo eorum ſanguine, tanquam à piaculo ſuperis maxime inuiſo ſeipſos cohibere; Nec minus Hiſpanos conuenit erga ſanctiſſimum hunc Galliarum præſulem ſuæ incolumitatis zelantiſſimum grati animi ſenſus conſeruare, cuius officij ſui partes expleuiſſe cenſebuntur, cum in eiuſdem ſancti Præſulis conciues gratos, vnanimes, maxime

Inhumanum eſt Chriſtianos à Chriſtian. ferro deleri.

ximeque deuinctos sese exhibuerint:

Porro quam studiose Iberi Gallicanos Patres de fidei rebus consulere soliti fuerint, ex eo coniicitur, quod ipsa Hispaniarum monimenta de Augustali Episcopo referunt: *Hic origine Hispanus, & apud Illiberim celeberrimam Baticæ vrbem nutritus, litteris operam dedit Ecclesiasticis, deinde Illiberitanæ Ecclesiæ infulas induit, &c. post hæc fidei causa Gallias adiuit, & apud Arelatem sistens, ibidem per multum tempus commoratus*, &c. Quamuis autem huiusmodi assertio nonnullam habeat obscuritatem, propter quam dubitari possit, vtrum fidei causa, vt scilicet fidelibus in Galliis suppetias ferret, eo se transtulerit, an vero vt de nonnullis, quæ ad fidei puritatem in suomet grege conseruandam pertinerent, maxime *quod temporum negligentia*, vt ait Hispanici Martyrologij scriptor, *& Gentilium persecutione pene collapsam inuenerat*, Gallicanos Antistites consuleret; vtrumuis dicatur, per me licet, nostro enim plurimum instituto fauere, vel Hispanum Præsulem Galliæ in fidei rebus succurrere, vel ipsum à Patribus Gallicanis de Ecclesiasticæ disciplinæ ab Iberis seruandæ methodo erudiri, nobis concludendum videtur. Et hanc postremam sententiam potiori iure tenendam arbitror, cum illa ætate plures Gallia doctissimos habuerit animarum Pastores, qui potius cæteris opitularentur, quam ab aliis doctrinæ subsidia exposcerent: Ad Gallias igitur tanquam ad humanæ Ecclesiasticæque disciplinæ Gynæceum Iberi crebro accedere non dedignabantur, vt de nonnullis in rebus fidei dubiis cum Gallis Patribus conferrent, aut nascentium hæreseon prauitatis eliminandæ studiosi sinceri dogmatis antidotum ex eorum communicatione reportarent:

Circaan. 180. Hispan. PP. Gallos in fidei rebus consulere soliti.

Circa an. 380.

Tertio quippe sæculo Hispanos Antistites pluries Gallias perlustrasse nemo negabit, cum apud omnes in confesso sit ipsos Arelatensi Concilio I. interfuisse, quod anno Domini trecentesimo decimo quarto celebratum est in causa Cæciliani & Donatistarum: Extat Constantini Augusti Epistola ad Vicarium Africæ, vt Arelatem ad Concilium ire iubeat partes, inter quas erat controuersia, vnde in subscriptione

Tertio Sæculo. Circa an. 314. Sirmond. Tom. 1. Conc. Gall. initio operis.

Multi ex Hiſp. Conc. Arelat. I. interfuere.

ptione Epiſcoporum Liberius Epiſcopus ac Florentius Diaconus de ciuitate Emerita prouinciæ Hiſpaniæ, Labinus presbyter, Caſtorius Diaconus de ciuitate Tarracone, Clementius presbyter, Rufinus exorciſta de ciuitate Cæſarauguſta, aliique deſcripti reperiuntur:

Natalis Tolet. Ep. ex primis fuit.

Inter cæteros Hiſpanos Præſules, qui huic Concilio adfuere, Natalis Toletanus Epiſcopus, (qui nondum fortaſſis ad eam fuerat euectus dignitatem, cum tantum presbyteri titulo ſubſcriptus ibi legatur) maximam promeruit laudem, de hoc enim ita Hiſpani Hagiologij commentator tradit ex Luitprando: *Natalis Epiſcopus Toletanus intelligens apud Gallos Arelatenſe Concilium contrahi, illuc adiuit, in ſynodo orationes quamplurimas habuit, & cum fuerit à Concilij ſecretis, Synodicam ſcripſit Epiſtolam*: Quod ſi in re tam dubia à Gallicis Scriptoribus prætermiſſa fidem adhibere Hiſpano auctori velimus, quanta hinc vtriuſque gentis beneuolentiæ ac ſocietatis inſignia deſumere poterimus? Enimuero Gallicanos Patres ab Ibero homine ſæpius in ſuo conuentu orationem haberi vltro permiſiſſe, eumque deſtinatum, qui Concilio à ſecretis eſſet, ipſum vero mox vt Concilium Arelate colligi accepit, illuc vltro adiuiſſe, parteſque ſuas adeo ſtudioſe expleuiſſe, ſuumque erga religionem zelum Patribus indicaſſe, vt munus illud quamuis externus vir omnium conſenſu ac plauſu obire promeruerit, diſertis verbis teſtantur: Vnde inſitam Francorum animis erga Iberos beneuolentiæ propenſionem nunquam ſatis digne admiratus, eamdem magnis extollere laudibus non deſinam:

Martyrol. Hiſpan. 15. Maij.

S. Patricius Malacit. perſecut. fugiēs Gall. adit, vbi fidem propagat. Martyrol. Hiſp. 16. Martij.

Nonnullos alios Hiſpanicos circa ea tempora Præſules in Gallias contendiſſe certum eſt, vt ſeſe à fidei perduellium perſecutione in Hiſpaniis graſſante iuxta Euangelicum monitum eriperent, inter quos S. Patricius Malacitanus in Bætica Epiſcopus, qui Diocletiani in Hiſpaniis per Præfectos ſæuientis temporibus ſedem deſeruit, *& Galliam attigit, & apud Aruernos ſtetit, vbi mirifice eius prædicatione fides profecit*: Cernas Iberorum aſylum Galliam, necnon in promouenda per Gallias fide Hiſpanorum Præſulum ſtudia, vnde ex alterna ea tempeſtate clariſſimorum vtriuſque

Anno 307.

gentis

gentis Antiſtitum communione ambos populos maximum in fide fructum feciſſe haud dubie fateberis.

Quarto poſt Chriſtum ſæculo ab Innocentij I.P.M.Epiſtola ad Toloſanæ Synodi Epiſcopos data collatæ in vicem huiuſmodi communionis,quam Galli cum Iberis in religionis potiſſimum rebus habuere, clariora argumenta mutuabimur: Neque mirum videbitur ſi Gallici ſcriptores ad ſe Iberorum geſta traducere nonnumquam ſtuduerint, cum (vti ſupra diximus, & infra clarius apparebit) Hiſpanici pluries Gallicanos Præſules, alioſque eiuſdem nationis Diuos ad ſe perducere contenderint; Vnde ex hoc etiam contentioſo eorumdem ſtudio,quam antiqua inter eos ſocietas interceſſerit, ſuorum indigenarum cum exterorum geſtis confuſione magis dignoſcitur: Hoc inſinuare placuit, cum doctiſſimus, ac ſolers Gallicanæ antiquitatis indagator Sirmondus in veteribus Codicibus, quibus ad colligenda ſimul Gallicana Concilia vſus fuit, Innocentij Epiſtolam ad Toloſanæ Synodi Epiſcopos datam repererit, quæ mutila iam edita fuit in Tomo Conciliorum Hiſpanicorum ad Epiſcopos Synodi Toletanæ. Quarto ſæculo. *An.* 400.

Nollem Ego hanc Innocentij Epiſtolam à Toletanorum Patrum manibus auellere, Verum, cum eam attente perlegerem, in eum locum incidi (nam vt dixi, eius tantum pars in lucem antea prodierat) in quo ſic Pontifex: *Quo iure Hilari Fratris & Conſacerdotis noſtri querela penitus auditur, qui aſſeruit Rufinum contra Eccleſiarum pacem omni oppugnatione fuiſſe verſatum, & dudum in Concilio Toletano erroris ſui veniam poſtulaſſe, &c.* Affirmante igitur Innocentio iam Rufinum ſeſe in Toletano purgaſſe Concilio, Epiſtolam ab ipſo dein Pontifice conſcriptam ad eiuſdem Tolet. Concilij Epiſcopos nequaquam fuiſſe directam perſpicuum eſt: Adde quod in eadem Epiſtola ſic habetur: *De Ioanne quoque Epiſcopo, cuius in Synodo Toletana ſuper receptis Symphoſio atque Dictinio per Legatos conſenſus acceſſit, & cui probabilis viſa eſt illa correctio, examinentur quæ poſtea ſunt ſecuta, & prorſus ſuper omnibus quorū in dubium venit de ceſſatione communio, plena inquiſitio inueſtigetur, vt ſecundum decretum* Innocent. in Epiſt.

Synodi Toletanæ vel communionis conſortio, &c. Ex quibus patet Pontificem poſt Toletanam Synodum Epiſcopis ſcripſiſſe, cum eos moneat vt decreta ipſius Synodi exequantur, & quæ poſt dictum Patrum Conuentum ſecuta ſint, diligenti inquiſitione examinentur.

Non me fugit Sirmondum in Notis ſeſe retractaſſe, nam ex huiuſmodi verbis in dicta Epiſtola appoſitis: *Et quamuis dilectioni veſtræ, Fratres cariſsimi, Regulæ Nicenæ ſint cognitæ, ſecundum quas ordinationes faciendas eſſe per ſententiam decernitis*; Coniicit ipſe hoc alludi ad Decretum Toletanæ Synodi, quod in eius Actis primo loco ita dicatur. *Patruinus Epiſcopus dixit: Si placet communi conſilio decernamus quid ab omnibus Epiſcopis in ordinandis Clericis ſit obſeruandum: mihi autem placet cõſtituta primitus Concilij Nicæni perpetuo eſſe ſeruanda, nec ab iis eſſe recedendum: Epiſcopi dixerunt, hoc omnibus placet*; Quare concludit Pontificem alloqui Epiſcopos, qui Toletano Concilio adfuerant: Verum accuratus licet auctor minime expendit, ni fallor, quæ Pontifex capite tertio eiuſdem epiſtolæ aſſerit: *Vt ſecundum decretum Synodi Toletanæ vel communionis conſortio propter abolẽdam ſuſpicionem ſchiſmatis miſceantur, vel ſi qui fuerint deprehenſi qui abnuant concordiam, & conſtituta placitorum, à Communione Catholicæ Fidei per dilectionis veſtræ ſententiam abdicentur*: Ergo Epiſcopi iam congregati, vel proxime congregandi erant, cum per eorum ſententias nonnulli à communione Catholicæ Fidei, ſi in errore deprehenderentur, eſſent abdicandi.

Non igitur Sirmondo adhærendi facultas datur, dum ait hanc Innocentij Epiſtolam poſt Toletanam Synodum ad Hiſpaniæ Epiſcopos datam: Quare haud fruſtra appoſitus eſt Innocentij Epiſtolæ titulus (vt videre eſt in Conciliorum Hiſpanicorum collectione) *Epiſtola Innocentij Primi ad Synodum in ciuitate Toletana conſtitutam*: Ergo Pontificiæ literæ non ad Epiſcopos qui ipſi Synodo iampridem interfuerant, ſed ad eos iam congregatos directæ fuere, vt Pontificis monitis obtemperantes iuxta Toletanæ Synodi decretum, ſacro anathemate contumaces percellere poſſent: Quod ſi adductus Canon ſextus de Nicanæ Synodi inſtitutis, quibus

Patres

Patres inhærere ambiebant, pro Toletanis vrget Præsulibus, cum sese idem seruaturos initio Synodi profiteantur; dubium sane assumi pro difficultatis solutione argumentum, atque hoc ipsum Gallicanis Patribus fauere quis non videat? Etenim celebrata dudum Nicæna Synodo, non modo Iberi, sed & Francici Patres iuxta eius decreta sua quoque Placita decernere cupiebant: Quare & ipsi Tolosani Præsules in Clericorum suorum ordinationibus Nicæna præcepta exequi poterant, & ita auebant, sicut & Toletanos iam peregisse iuxta Sirmondum Innocentius commendat.

Facile igitur soluto huiusmodi argumento, haud improbabile duxerim non scriptoris Gallici mẽdum in veteribus Codicibus, quibus Sirmondus vsus est incurrisse, sed esse veritati consentaneum, quod dicta Innocentij Epistola ad Tolosanæ Synodi Patres directa fuerit, vnde & ipse Garzias Louiza accuratissimus Conciliorun Hispanorum collector ante hasce Pontificis litteras ab ipso post Toletanum Concilium relatas sic annuit: *Epistolam huic Concilio missam existimo, nam tempora Concilij & Pontificis conueniunt, neque in vllo Codice M.S. inuenies Concilium aliud circa hæc tempora coactum*; Nimirum in Hispaniis: Paululum igitur dubius in hac re auctor videtur, sed quod tempora, & Hispaniarum gesta huic Synodo cohærerent, Toletanæ primæ tandem apposuit: Sed cum circa eadem tempora Tolosæ Synodus congregata fuerit, vt plura Toletanorum Patrum decreta in suo robore firmarentur, nonnullæque aliæ de Hispanicis Episcopis controuersiæ sedarentur, nihil vetat quominus ad Tolosanos Antistites eam missam fuisse affirmemus.

Hoc examinatum fusius in notis ad calcem operis, quas patiens Lector consulere potest.

Ad hanc opinionem magis roborandam plurimum conferre videtur, quod Pontifex sic loquitur: *Nam de ordinationibus quas praua consuetudinis vitio Hispanienses Episcopos celebrare cognoscimus, fuerat aliquid secundum Maiorum traditionem statuendum, &c.* Et inferius: *Quæ si singula discutienda mandemus, non modicos motus aut scandala Hispanienſibus prouinciis, quibus mederi cupimus, de studio emendationis inducemus, &c.* Ex qua dicẽdi formula clare intelligitur Pontificem Id. Ibid. c. 4.

ad Hiſpanos huiuſmodi epiſtolam minime direxiſſe; nam pro *Hiſpanienſibus* prouinciis, ſanius dixiſſet, *Veſtris*, iuxta ſolitum loquendi morem, quotieſcumque enim verba cum aliquo facimus de vrbe ac loco, vbi ipſe commoratur, haud raro veſtram ciuitatem, veſtros Præſules, & his ſimilia vocabula apponere conſueuimus.

His pro modulo noſtro digeſtis clariſſimum inde pro mutua Iberos inter ac Gallos ſocietate in rebus fidei magis ſtabilienda argumentum deſumere licebit: Innocentius ſane in ea Epiſtola Toloſanis Patribus iubet, vt nonnullas Hiſpanorum Antiſtitum diſſenſiones ſedare ſtudeant, alios male ordinatos deponant, vt Epiſcoporum cauſæ ab ipſis diligenter examinentur, vitioſas ordinationes inpoſterum prohibeant &c. Ex quibus maximus in Hiſpania, ac præcipue Toleti, (Synodus enim ibi peracta nouis huiuſmodi inſtitutis magis roborabatur) Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſplendor effulſit: Quare ex hoc Patrum vtriuſque nationis celebri Conuentu pro rebus Hiſpanicis ſedulo diſcutiendis inſignem inter ipſos, ſtrictamque communionem fuiſſe, ac Iberos plura ad componendum ſuarum Eccleſiarum ſtatum à Gallicanis Patribus ea ætate doctrina ac ſanctitate conſpicuis didiciſſe merito concludimus.

Anno 451. Sin autem vlterius progrediamur, noua adhuc hoc quarto etiamnùm ſæculo mutuæ huius ſocietatis materies ſuppeditatur: Leo enim Pont. Max. in Epiſtola ad Galliæ Epiſcopos miſſa, qua ipſis de orthodoxa fide ex eorum litteris cognita gratulatur, atque Eutychetem & Dioſcorum in Synodo Chalcedonenſi damnatos ſignificat, ita concludit: *Nam Fratrem Ingenuum nolumus hac expectatione tardari, cum ob hoc ipſum properantiùs remeare debuerit, ne diutiùs vobis eſſet incognita omnium materia gaudiorum, quæ volumus per curam dilectionis veſtræ etiam ad Fratres noſtros Hiſpaniæ Epiſcopos peruenire, vt quod Deus operatus eſt, nulli poſsit eſſe incognitum:* Cui adhærent & Hiſpanici ſcriptores, & in M. Maximi Chronico ita adnotatur: *Synodus Gallicana ex præcepto S. Leonis cogitur, Legati mittuntur*

Epiſt. 52. Noua Gall. Epiſ. in Iberos ſtudia ex S. Leonis Epiſt. colliguntur.

Chron. M. Maxim. an. 452 n. 226.

tuntur Eugenius & Constantius Episcopi cum litteris ad Casisinum Toletanum Metropolitanum, quibus significatur absolutum esse Concilium Chalcedonense generale, ipsumque Concilium afferunt, petuntque à Toletano Primate, vt illud recipiat, & publicari sinat.

En noua, o Iberi, vobis præstita Gallicanorum Antistitum studia, qui vestras perlustrant regiones, vt de Fidei rebus Chalcedone feliciter gestis vos faciant certiores: Vere Gallicanis hisce Patribus vel fidei præcepta vobis nonnumquam ministrantibus, vel sese deuota charitate in vestrarum Ecclesiarum decus ac commodum impendentibus Apostolicum illud accinit monitum: *Neque dominantes in Cleris, sed forma gregis facti ex animo*: quibus verbis Ecclesiæ Principum, Præsulumque omnium Caput ac norma Petrus eos docere contendit, vt subditis suis honestæ cuiusdam seruitutis formam potius exhibeant, quam nimio quodam, grauique imperio ipsis dominari contendant, iuxta D. Augustini explanationem. *Æstimet se non cupiditate dominante, sed charitate seruiente felicem.*

Prælatos se subdit. seruos reputare conuenit. 1 Petr. 5.

in Regul. Monast.

Maximam igitur Ecclesiasticorum Principum felicitatem in late patentis imperij potestate, amplissimaque dominij latitudine minime sitam esse constat, verum in fideli seruitute, quam otiosa numquam eorum charitas erga populorum incolumitatem assidue persoluit: Quamobrem continuis optandum votis, vt antiqua illa Decessorum charitas, quæ tam præclare Iberis in fidei rebus inseruiuit, in Gallicanis hac nostra ætate Patribus magis ac magis exardescat, si enim diuinis humanisue eorum commodis animum intendere satagant, facti sui forma veluti gregis, populos quibus præsunt, ipsumque supremum Principem ad eamdem cum ipsis perpetuo nutriendam fouendamque consuetudinem inflammabunt.

Inserenda nobis hoc loco foret Agylæ Leovvigildi Regis Legati disceptatio, quam cum Gregorio Turonensi habuit; sed quoniam prolixiori eam stylo descriptam apud eumdem Gregorium Lector reperiet, hic paucis duntaxat adnotare placuit Arianum hominem, pro suæ Legationis

Anno 583. Greg. Turon. hist. Franc. l. 5. c. 43.

obeundo penes Chilpericum munere in Gallias aduentantem, cum validissimis à Gregorio argumentis conuictus, sese tamen Catholicæ veritatis institutis subiicere abnuisset, in Hispanias postea reuersum, infirmitateque debilitatum Arianismo nuntium remisisse; adeo Turonensis doctrina, catholicaque veritas eius animo insederat, vt licet ante magistri sui conspectum Hæretici fastus, ac impietatis fasces deponere detrectarit, mox diuina tactus manu, quam mente conceperat, fidei nostræ sinceritatem à Gallo Præsule sibi clarissime inditam amplius otiosam retinere nequiuerit: Semper igitur Hispano quamuis diuersis imbuto dogmatibus cum Gallicis Præsulibus consuetudinem fuisse proficuam concludimus.

Martyrol. Gallic. 23. Decemb. circa an 140. Childebert. Franc. Rex. Arian. in Hisp. vicit,

Quod autem de Childeberto Francis hoc ipso sæculo iura dare asseritur, nostrum maxime institutum illustrare quis neget? Hoc magnifico elogio regiam eius virtutem Gallicani Martyrologij auctor condecorat: *Childebertus Rex Francorum Christianissimus maxime pius vindex acerrimus catholicæ fidei, cuius zelo incensus magnam Hispaniæ partem à Gothis Arianis vi armorum eripuit: Constitutionem promulgauit de abolendis Idololatriæ reliquiis &c.* Quantum, ô Iberi, ipsis Galliarum Regibus in vos nonnumquam arma mouentibus debeatis expendite: Fidei zelus illos armauit, vt vestras regiones ab Arianismi erroribus purgarent, sibique in religionis dogmatibus vos omnes vnanimes, vti insita naturæ instinctu coniuncti estis, in finitimis oris societate conciliaret: quamobrem potiora ab ipsis pro maiori Fidei vestræ incremento sperare poteritis, cum deinceps excluſa penitùs omni inter vos odiorum suspicione dulcissimæ pacis otio perfrui vobis licebit; quod quidem feliciter expletum aurea Caroli Magni ætate reperimus.

Neque vero hoc loco Gallicanorum Hispanicorumque Antistitum fidem promouere ambientium aliquatenus Catalogum interrumpere, temporisque seriem paululum præuertere incongruum arbitremini, cum haud minus ex mutuo istorum Patrum studio, quam ex feruentissimo Laicorũ hominum zelo mutua ista amborum Regnorum confœderatio

ratio clare effulgeat; Rem autem à Gallo scriptore fusius descriptam audiamus; Ionas ipse est Aurelian. Episcopus, qui sub Lud. pio Caroli M. filio claruit, librumque aduersus Claudiũ Taurin. ita exorditur: *Disertissimos & eloquentissimos atque Catholicæ & Apostolicæ fidei inuictissimos defensores Hispaniam protulisse manifestum est, quorum imitanda exempla & documenta sequenda, quæ in promptu habentur, & Ecclesiæ amplectuntur ab eis, Christo fauente, non ab iure sancta salubriter instruitur & fouetur Ecclesia.* Baron. an. 792. Inclytos Fidei defensores Hisp. protul t.

Celeberrimum hoc Hispanicæ Ecclesiæ elogium à Gallicano auctore cõcinnatum ne inexpensum, quæso, prætereat; Et quanti veteres Galliarum patres Iberorum fidem ac pietatem fecerint, ex eo coniice; quam studiose cum eorum doctrina, cuius saluberrimo lacte Ecclesiam nutriri dixerat, & ipsa Gallicana vltro communicauerit, expende; quam enixe Francicus scriptor in promeritas Hispanorum laudes excurrere ambierit, mirare: *Sed quoniam* (pergit dictus auctor) *sæpissime & Hæresiarchas simplicitatem Catholicæ fidei peruersis dogmatibus commaculare conantes creauit, cunctis valde fidelibus dolendum est: Emersit ex eadem Hispania tempore sanctæ memoriæ Caroli piissimi atque inuictissimi Augusti quidam Felix nomine, actu infelix Vrgelitanensis ciuitatis Episcopus, qui iuncto suo scelerato errori Elipando Toletanæ vrbis Episcopo, secundum humanitatem non esse proprium filium Dei sed adoptiuum prædicare ausus est, & hac virulenta doctrina vterque Hispaniam maxima ex parte infecit:* Idem Elipandus Christianissimum regem, firmum columen fidei in suam traducere sententiam conatus est, eique Epistolam ita humanam (ait Baronius) vt nihil continere videretur amarulenti, direxit. Hæreses quandoque in Hisp. ortæ. Fel. Vrgelit. & Elipand. Tolet Epp. de non propria sed adoptiua Christi filiatione error.

Alias quoque subdidit litteras ad omnes Galliarum Episcopos, vt eosdem suæ opinionis fautores habere posset: Quo autem pacto tam virulentæ doctrinæ in pluribus Hispaniarum regionibus disseminatæ Gallicani Præsules, ipseque Carolus sese opposuerint, cognosci poterit ex eius Epistola Elipando reddita, in qua inter alia ista leguntur: *Iussimus Sanctorum Patrum Synodale ex omnibus vndique nostræ ditionis Ecclesiis congregari Concilium, quatenus sancta* Gall. PP. & Carol. M se ipsis opposuere.

omnium vnanimitas firmiter decerneret, quid credendum ſit de adoptione carnis Chriſti: Imo & ad Beatiſſimum A. S. Pontificem de hac noua inuentione noſtræ deuotionis ter quaterque direximus Miſſos, ſcire cupientes quid ſancta Romana Eccleſia Apoſtolicis edocta traditionibus de hac reſpondere voluiſſet inquiſitione; Necnon & de Britannia partibus aliquos Eccleſiaſticæ diſciplinæ viros conuocauimus, vt ex multorum diligenti conſideratione veritas Catholicæ Fidei inueſtigaretur, &c.

Hadrianus autem Sum. Pont. crebris Caroli Magni Legationibus permotus, vt de Elipandi ſententia decerneret, publicas conſcripſit litteras ad Epiſcopos Galliarum & Hiſpaniarum, atque in iis pluribus aſſertam de Chriſti adoptione opinionem confutauit: Vigilantiſſimum Caroli ſtudium in hæretica prauitate ab Hiſpaniis ac earum Primate Toletano Antiſtite funditus abolenda quis non miretur? Patres ex diuerſis regionibus conuocauit, Summum Pontificem de noua hac opinione, repetitis quater Legationibus, certiorem fecit, oppotunaque ab eius Apoſtolica authoritate remedia expetiit, Gallicanos inprimis Patres doctrina inſigniores ad conuentum transferri curauit, vt ſaluberrimis eorum decretis tanto Hiſpaniarum morbo prouideretur: Quam bene ergo Chriſtianiſſimi huius, Auguſtiſſimique Imper. zelo accinit Encomium Childeberto item Francorum Regi à Magno Gregorio tradi-
L. 5. Epiſt. 6. tum: *Sicut magnæ Lampadis ſplendor in tetræ noctis obſcuritate luminis ſui claritate fulgeſcit, ita Fidei veſtræ claritas inter aliarum gentium obſcuram perfidiam rutilat ac coruſcat.*

Francford. Synodus cõtra ipſos ab Bod. Carol. coacta.

Eximia ſane Catholici Principis fides Hiſpanica regna ea tempeſtate caliginoſis errorum tenebris inuoluta magna veluti Lampas diuinæ pietatis oleo ſuccenſa mirum in modum colluſtraſſe viſa eſt; Vnde ex eâ Francofordenſis Synodus pro hac re celebrata maxime ſuam deſumpſit claritatem: Quod apertius patebit ex Epiſtola, quam ipſe ad eumdem Elipandum, & alios Hiſpaniæ Epiſcopos tanto principe digniſſimam vna cum Pontificiis

litte

literis, libelloque à Paulino Aquileiensi Episcopo conscripto & Synodali Epistola misit, quo omnes hortabatur, vt ab Elipandi errore desisterent: Post plurima sic loquitur: *His ita prælibatis vestris in Domino valde congaudemus profectibus, ita vt in cordibus nostris fraterno vulnerati amore vestram quam patimini lacrymabili gemitu condoleamus oppressionem: Sed maiore multo tristitia lugemus, si aliquid diabolica fraude interius oppressionis per infidelitatem, vel cuiuslibet Schismatici erroris patimini in cordibus: Ipse est continuus dolor pectoribus nostris, & pene irremediabile vulnus: Vestra igitur correctio, nostra est latificatio; desiderantes vos socios habere in fide Catholica, & cooperatores in prædicatione veritatis, vt gaudium nostrum impleatur in vobis:*

Baron. an. 794. 18. Carol. M. scribit ad Hispan. Epist. contra eosd.

Quis ad hæc ignea zelosissimi Principis verba, confestim Francici erga Iberorum salutem Regis admiratus ardorem, in has non prorumpat voces? *Ecce quomodo amabat eos: Ad impletionem vero huius gaudij* (pergit) *fraterna vrgente caritate iussimus Sanctorum Patrum Synodalem ex omnibus vndique nostræ ditionis Ecclesiis congregari Concilium, &c.* Tum subiicit quid Patres, ipso præsente & annuente, statuerint, ac præsertim quomodo Iberorum obiectionibus Scripturæ testimoniis roboratas dederint responsiones: Postmodum his ad pacem, vnumque Orthodoxæ Fidei consensum verbis inuitat: *Sed modo per eamdem obsecrationem, id est per eum qui in cruce manus innoxias extendit, &c. vt in pacifica vnanimitate & Catholica fidei professione nobiscum firmiter maneatis, &c. Nunc, vero duplici pro vobis afficimur moerore, diabolica fraude deceptis in corde, & inimica seruitute oppressis in corpore: Sed redite obsecro ad vnitatem sanctæ matris Ecclesiæ, vt vos eruat de angustia seruitutis terrenæ, expellite vincula diabolicæ deceptionis de cordibus, quatenus Deus Christus qui soluit compeditos, excutiat catenam gentis inimicæ de manibus vestris, &c.*

Pathetica Carol. M. ad pacem & vnum in Fide consensū exhortatio.

Merito piissimus princeps Hispanicos Antistites monebat, vt Hæretici erroris pertinaciam detestarentur, si reliquum populum à Sarracenorum tyrannide quampri-

mum liberari percuperent; quod cum illa Magni Gregorij Mauritio Auguſto ſcribentis ſententia cohærere videtur: *Quis ferociſſimæ gentis gladius in necem fidelium tanta crudelitate graſſaretur, niſi noſtra vita qui Sacerdotes nominamur, & non ſumus, à praueiſſimis grauaretur operibus? Sed dum nos competentia nobis relinquimus, & nobis incompetentia cogitamus, peccata noſtra Barbaricis viribus ſociamus, & culpa noſtra hoſtium gladios exacuit, quæ Reipublicæ vires grauat.* Lib. 3. Ep. 32.

Hoc Sanctiſſimi Pontificis monitum cunctos Eccleſiaſtico ordini addictos ſollicite vellicat, qui minus honeſtæ vitæ moribus robur vireſque hoſtibus adiiciunt, quibus ſupremũ Numem plerumq; in graues eorum culpas, & iuſte quidẽ, animaduertit: *Habetis nos*, addit Auguſtus, *diuina auxiliante gratia cooperatores gaudij veſtri, ſi vos nobiſcũ Catholicæ fidei vultis eſſe prædicatores, certiſſimum namq; eſt diuinæ miſerationis auxilium, vbi vna eſt totius Eccleſiæ charitas, & vna veræ fidei confeſſio, &c.* Tum ſic concludit: *Hanc fidem vos fratres cariſſimi firmiter tenere in commune prædicamus, etſi aliter in quolibet verbo ſentiſtis, corrigite voſmetipſos: habete nos cooperatores ſalutis veſtræ, Catholicæ pacis auxiliatores, & ſocietas veſtra ſit in Chriſto Ieſu Domino noſtro, &c.*

Hanc, ô Iberi, epiſtolam, tanquam certiſſimum Francici Regis, Auguſtiſſimique Imp. omnium memoria recolendi paternæ in vos beneuolentiæ pignus, ſumma diligentia cuſtodite, vt ex frequenti eiuſdem lectione animos veſtros ad mutuam cum ipſius Regnorum heredibus, populiſque eorum dominio ſubditis firmandam magis ac magis communionem excitetis: Plura tanti Principis collata in vos munera alibi fuſius in medium adduximus, ſed longe maiora prudentis cuiuſque iudicio æſtimanda, quibus Antiſtites veſtros ad fidei propagationem adhortari ſtudebat, veſtrarumque Primati Eccleſiarum præſcriptam à Patribus in Concilio ſinceræ fidei doctrinam inſinuare conabatur, vnde & pax ipſa totius regni, fideique perduellium ruina pendere videbatur.

Ad

Adhæc cum Baronio hic notandam occurrit Elipandum in suo libello ad Francos confirmandæ suæ opinionis gratia missio hæc apposuisse : *Item Prædecessores nostri Eugenius, Idelphonsus, Iulianus Toletanæ Sedis Antistites in suis dogmatibus ita dixerunt in missa de Cœna Domini, &c.* Cæterum tantum abest, (sicuti recte obseruat Baronius) vt S. Idelphonsus eius errori patrocinatus fuerit, quin potius in suis libris crebris sententiis tanquam iaculis tale monstrum sæpe confecerit: Plures Annalista ad comprobandam Idelphonsi mentem contra Hæreticam hanc opinionem rationes in medium adducit; & demum affert locum depromptum ex libro de perpetua virginitate sanctæ Mariæ, & de eius parturitione, quem iampridem doctissimus Feuardentius Parisiensis Theologus in lucem edidit. *Anno 794. 8. & sequēt.*

Postquam autem plures sententias eiusdem Idelfonsi ex citato eius opere desumptas (quibus dictum Sanctum nequaquam pro hac stetisse sententia, imo contrarium sensisse euincitur) collegisset Baronius, ad nostrum apposite institutum, ita concludit: *Dolendum fuit eiusmodi lucubrationes viri sanctissimi dolo fortasse perfidi Elipandi, fuisse diu suppressas & occultatas, ne proderentur in lucem : Gaudendum vero quod in tanto Hispaniarum naufragio superfuerint tam præclara nobilissimi ingenij monumenta, eademque è latebris vendicata, atque in lucem edita à viro veritatis amantissimo, antiquitatum Ecclesiasticarum studiosissimo, non Hispano* (ne vel leuis suspicio priuatæ affectionis erga gentilem suũ alicuius animũ pulsare potuisset) *sed Gallo Parisiensis Academiæ professore, cultore integritatis & pietatis, & claritudine nominis in Ecclesia Catholica optime noto, &c.* Ex quibus Idelfonsi celeberrimi Ecclesiæ luminis ac nobilissimi Hispaniarum ornamenti doctrinam per Gallum hominem publicæ vtilitati expositam, suorum conciuium Hæreticorum nequitia denigratam in clariorem sanioris veritatis lucem restitutam esse Iberi agnoscant, indeque potiora desumant grati animi, mutuæque beneuolentiæ argumenta.

Placet hoc loco nonnulla de Hispaniarum Regibus inferere, qui eximiam quandoque nauarunt operam,

vt Francorum reges, eorumque subditos à Pseudopontificum communione dimouerent, vel certe ad Romanorum Pontificum communionem reducerent: Neque hoc intempestiue modo relatum quis autumet, nam Caroli Magni zelo, ne Iberi à rectæ fidei institutis desciscerent, nunc Hispani Regis erga Gallum in re non absimili studia congrue videntur respondere; Cumque de sæcularium vnius gentis principum gestis facta mentio fuit, merito de alterius nationis principe loquuti sumus, quo deinceps inchoatæ à nobis Ecclesiasticorum virorum, qui fidei rebus suam in ambobus regnis operam impenderunt, narrationis seriem indesinenter prosequamur:

Anno 1506. Ciaccon. in Iulio II.

LVDOVICVS XII. Galliarum Rex à Iulij II. Sum. Pont. amicitia defecerat, licet inter ipsos veteris amicitiæ necessitudo viguisset, cum olim sub Carolo VIII. & istius patre Ludouico XI. in Gallia Legatũ ageret, atque in Neapolitano bello communi vsi essent contubernio; Nam ex fœderis lege Alfonsum Ferrariæ Ducem, qui Ferrariam beneficiario iure ab Ecclesia acceperat, armis iuuare ac propugnare fatebatur: Quin & coacto Pisis Concilio, & ad id facilius cogendum Maximiliano Cæsare sibi conciliato, Pontificiæ dignitatis amittendæ metum, terroremque Iulij animo incutere conabatur: Iulius vero nihil veritus nonnullos Cardinales Cæsari, Galloque Regi adhærentes omni dignitate tituliſque expoliauit; Ad hæc cum Ferdinando Hispaniarum Rege fœdus iniit:

Grauis inter Iul. II. Pont. & Ludou. XII. Gall. Reg. discordia.

Ferdinand. Rex Cathol. Pontif. partes suscepit.

Hac vice glorioſiſſimum Eccleſiæ Defenſoris titulum, quo Galliarum Reges fere ſemper inſigniti fuere, Hiſpanus Rex propugnata A. S. auctoritate conſequi meruit; Etenim Ferdinandus Ponrificis voluntati obtemperans, quam, vt vere Catholicus Eccleſiæ præſtare debebat, defenſionem alacriter ſuſcepit; Quare confeſtim à Cardonio Neapolitano Prorege Pontifici ſubſidia ferri, & Fabritium Columnam quadraginta cataphractis Equitibus præſto eſſe imperauit: Verum proſpero belli euentu elatus Ludouicus, maiores contra Romanum Pontificem animos reſumere viſus eſt, omneſque ſuas vires, vt eum Pontificia infula priuaret,

admo

admouit: Ferdinandus autem Legatum ad Ludouicum misit, vt eum à tanto sacrilegio reuocaret, atque ad Christi Vicarij obedientiam reduceret: Cum autem eius studium ad Ludouici animum in Pontificis obsequia flectendum nequaquam sufficeret, Henricum magnæ Britanniæ Regem generum suum permouit, vt Aquitaniæ Ducatum, qui ex iure ad eum, vt dicebatur, pertinebat, bello repeteret; atque Ludouici copiis in Italia aduersus pontificem acriter decertantibus fortissimo exercitu restitit, ac tandem post varios belli euentus egregie Pontificem, Ecclesiamque propugnauit.

Magnam inde laudem consecutus.

Quantam autem Hispaniarum Rex in iuuando Pontifice laudem promeruerit, quantaque alacritate eius hostibus, variis longisque prœliis obstiterit, fusius tradunt auctores, qui illius rerum ætatis historiam scriptis mandarunt, quos Lector consulere poterit, vt singularem Ferdinãdi Regis virtutem, zelumque pro tuenda Romanæ Eccclesiæ dignitate, augendoque splendore intelligat, ampliusue miretur: Nobis in præsenti satis erit Catholici Hispaniarum Regis studium pro Ludouici Galliarum Monarchæ animo cum Romano Pontifice coniungendo ostendisse: Quod etiam erga Nauarræ Regem Ioannem Albertum [a] Ludouico confœderatum, præclare exhibuit; ipsum enim monere, obtestarique non destitit, vt à Ludouici Regis Schismatici amicitia recederet, Summoque Pontifici adhærere vellet, paratum sese vltro Regnum amissum restituere, quod publicam quietem, debitumque Christi Vicario obsequium partæ regnorum accessioni anteponendum iudicaret.

[a] Idem qui supra in Iulio 11.

Neque hac duntaxat vice Hispaniarum Reges propensissimos sese exhibuere, vt Franci ingenitam erga Romanam Ecclesiam, verosque eius Pontifices deuotionem seruarent, nam Vrbano VI. in Petri cathedra legitime constituto, Carolus VI. qui tunc in Galliis regnabat, & à Patruo Ludouico Andegauensi in Antipapæ obsequio confirmatus erat, ab Oratoribus Castellæ Regis de tollendo Schismate, ac pace, vnico Christi Vicario acclamato, Ecclesiæ restituẽda, rogatus enixe fuit, quamuis tribus circiter post annis qui

Annal. Eccl. an. 1378.

à Pſeudopontifice Gallum retrahere totis conatibus ſtudebat, ab eodem Franco Rege ad ſententiã ſuam traductus fuerit, nam Ioannes Caſtellæ Rex à Gallis, quibus erat coniunctiſſimus, ob partum à parente eorum armis Regnum ſubornatus, Petro è Luna Antipapæ emiſſario ſuadente, iniuſtam Salamanticæ contra Chriſti Vicarium ſententiam tulit:

Hæc autem & ſimilia reticere ſatius erit, ne in ſchiſmatica Gallorum cum Iberis coniunctione memoranda, honeſtam eorumdem ſocietatem maculis aſpergere videamur:

Anno 1395. Omittendum tamen non eſt Duces Burgundum, Aurelianenſem, ac Bituricenſem Legatos Auenionem appuliſſe, vt Petro de Luna ad Pſeudopontificatus apicẽ nonnullis ſuffragiis euecto, iure Põtificatus pro totius Eccleſiæ pace ac trãquillitate cedere ſuaderent: Addit Mariana: *Inter Reges certe ea cauſa vltro citroque Legationes miſſa, contendente Rege Gallo Reges Hiſpanos à Benedicti ſtudio obedientiaque deducere*: Quod illius temporis iniquitati adſcribendum videtur:

lib. 19. n 95.

Anno 510. Sæculo Quinto. Commeat. in M. Max. Chron. Sed iam vnde diſceſſit, eo reuertatur oratio; Quinto labente ſæculo Fronimius Epiſcopus Agathenſis florebat fidei zelo clariſſimus, à quo Ingundem Hermenegildo nupturam comitante, eam per iter in fide catholica crebris, ſaluberrimiſque monitis confirmatam, deque notiſſimo, in quod mittebatur, periculo ab eodem præmonitam fuiſſe, vtpote quæ cum hæreticis conuictura foret, narrat Gregorius Turonenſis, qui ſic loquitur: *Cum Leouigildus in illa hæretica prauitatis perfidia graſſaretur, & Ingundis filia Sigeberti regis in Hiſpaniam ad matrimonium duceretur, audiuit Leouigildus quaſi hic Epiſcopus ei conſilium dediſſet, numquam ſe veneno hæreticæ crudelitatis deberet admiſcere; & ob hoc ſemper ei moleſtus iniuriarum laqueos intendebat, quouſque eum ab Epiſcopatu deyceret*, &c. Quantum autem Ingundis Hermenegildi Coniugis ad orthodoxam fidem conuerſioni ſtuduerit, ſuo loco expoſuimus: Quamobrem cum hæc à Fronimio in Fide roborata fuerit, Gallici huiuſce Præſulis ſtudium, fidei apud Iberos dilatandæ, quæ Hermenegildi rigata ſanguine in Hiſpaniis mirum in modum creuit, plurimum contuliſſe manifeſtum habetur:

Hiſt Franc. l. 9. cap. 24.

Egre

Egregiam quoque Francorum Antiſtitum operam expertus fuit Reccaredus, qui vt totius Gothicæ gentis populos, Ariani erroris labe deterſa, ad rectæ fidei cultū facilius reuocaret, Synodum Epiſcoporum ſexaginta quatuor pro Ariana hæreſi condemnāda de diuerſis Hiſpaniæ & Galliæ prouinciis in vrbe regia Toleti congregauit, eidemq; Concilio religioſiſſimus Princeps adfuit, geſtaque Concilij ſubſcriptione firmauit: Cui etiam cohæret Hiſpanorum Conciliorum collector, qui ſic Toletanam III. Synodum exorditur: *Sancta Synodus habita eſt in ciuitate regia Toletana ab Epiſcopis totius Hiſpaniæ vel Galliæ qui infra ſcripti ſunt:* Quamuis autem nonnulli *Gallicia*, non autem *Galliæ* legant, cum inter cæteros ſubſcriptus Synodo reperiatur Migetius * Narbonenſis Gallicanæ prouinciæ Metropolitanus Epiſcopus, citatus auctor *Galliæ* legendum eſſe affirmat, quod præcipue Gallia Narbonenſis in regno Gothorum cōtineretur; Sedatus item Biterrenſis, Benenatus Elmenſis, Nebridius Agathenſis, aliique Gallicani Epiſcopi dictam Synodum illuſtrarunt: Et hæc dicta ſufficiant pro quinti huiuſce ſæculi coronide, quo maxima Gallos inter ac Iberos Reges, Epiſcopoſque in rebus fidei communicatio interceſſit, vnde plurima in amborum regnorum populos commoda dimanarunt:

Alfonſ. Carthagin. c. 27.

* Micetius.

Ad maiorem cuius ſplendorē aduertas hic velim, quod Hiſpani PP. adeo Gallic. Præſulum præſentia, beneuolaq; doctrinę communicatione ſuis in Synodis oblectabantur, vt vel eos ad proprios conuētus inuitare non deſinerent, vel ſua decreta iuxta Canones ab ipſis in Gallican. Conuentibus paulo ante ſancitos condere ambirent: quare Tarraconenſes PP. Canonem iſtum ſtatuēre: *Nullus monachorum forenſis negotij ſuſceptor vel executor exiſtat, niſi quod monaſterij expoſcit vtilitas, Abbate ſibi tamen imperante, Gallicanorum ante omnia Canonum debis conſtitutione ſeruata:* Vnde doctiſſimus Sirmondus Lectorem admonens in præfatione ad antiqua Gallicana Concilia ab eo ſimul accurate collecta, iſta ſcribendi occaſionem ſumpſit, quibus non parum noſtri inſtituti ratio illſtratur: *De Hiſpanis non omittendum ſtudioſos & amantes ſemper viſos eſſe canonum noſtratium, quorum ſæpe verbis ac ſententiis,*

Anno 516.

tentiis, etiam vbi eos non nominant, Canones suos instituunt: sæpe etiam non dissimulanter & nominatim eorum sibi exemplum & auctoritatem sequendam proponunt; vt cum in Concilio Tarraconensi capite XI. de monachis agentes Canonum Gallicanorum de eis constitutiones seruari iubent, & in Ilerdensi cap. 3. de ijsdem id obseruari statuunt, quod Synodi Agathensis & Aurelianensis decreuerant; In Concilio rursum Valentino, Episcopo decedente, Regiensis Synodi constituta obseruari placuit; & in Toletano XII. Potamium Episcopum crimen de se confessum damnari, ex Concilij Valentini Galliæ tit. 4. cuius verba subijciunt: vsi sunt vicissim aliquando nostri etsi seriùs ac parciùs canonibus Hispanicis, &c. Ex quibus verbis mutuus in fidei dogmatibus Synodicisque decretis, Iberorum ac Gallorum Patrum consensus manifeste datur intelligi, quod nostro plurimùm instituto conferre liquido patet:

Sexto Sæculo. *Anno 601.*

Initium sexti post Christum natum sæculi magnifica S. Gregorij ad Brunichildem Francorum Reginam Epistola illustratur; in qua sanctissimus Pontifex sic eam alloquitur:

lib. 9. Epist. 57 *Qualiter adhortationem nostram Excellentia vestra amplexa sit, quantaque eamdem deuotione gestiat adimplere, scriptorum vestrorum emissa dudum pagina testis est; facite quod Dei est, & Deus faciet quod vestrum est: itaque Synodum congregari præcipite, & peccatum simoniacæ hæresis de regno vestro inter alia, sicut antea scripsimus, definitione Concilij studiosius prohibete:* Et

lib. 11. Epist. 8. in alia: *Præfati autem viri magnifici filij nostri dato capitulari inter cætera petierunt, quod sibi ex vestra perhibuere iussione mandatum, vt talis debeat à nobis in Galliis persona transmitti, quæ facta Synodo cuncta quæ contra sacratissimos canones perpetrantur, omnipotenti Deo authore possit corrigere: in qua re gloriæ vestræ curam cognouimus, quam de vita animæ, & de regni vestri soliditate cogitatis: apto autem tempore, si Deo placuerit, venerandæ Excellentiæ vestræ desideria implere curabimus: Nos igitur pro munitione locorum, de quibus excellentia vestra scripsit, omnia, sicut voluit, sancire studuimus, &c.*

Hæc Magni Gregorij præconia in medium adduxisse haud incongruum existimarim; ex illis namque Franci colligere merito possunt, quantum eorumdem Regina Hispa-

no

no clara genere, atque tum temporis adeo pietatis operibus addicta, vt crebris epistolarum laudibus à sanctissimo Gregorio celebrari promeruerit, eorum incolumitati in Fidei rebus, morumque disciplina per Synodos, Pontificiaque Decreta stabiliendis inuigilarit.

Hac ætate viuebat æterna posterorum memoria celebrandus Traiectensis Antistes S. Amandus, qui ex Aquitania oriundus, (Sereni enim Aquitanorum Ducis filius erat) vt nonnullos Hispaniæ populos ad fidem traduceret, strenue laborauit: Quin & Hispani authores gentem suam plurimum eius studio ac laboribus obstrictam esse profitentur, dum, Theudio & Helladio hæreticis ex Gallia Hispanias ingressis, viruſque suum illic spargẽtibus, à S. Amando B. Ildefonsum Toletanum Antistitem litteris interpellatum asseuerant, vt coacta Synodo aduersus hæreticos procederet: Ildefonsus iam antea per Genesium Episcopum Aruernensem de huiusmodi hæreticorum prauitate admonitus fuerat, quare Concilium Toleti indixit, cui ipse Amandus interfuit: Et quamuis recens licet, accuratus tamen vitæ Sanctorum scriptor ab huius Concilij Patrum Catalogo Amandum expungat, ipse tamen admittit ab Amãdo aut collato cum S. Genesio studio, aut propria sponte, zeloque incitato S. Idelfonsum admonitum fuisse, vnde occasionem huius & alterius Amandi Cassellinensis res gestas confundendi ortam haud temere suspicatur; Nobis vero sufficiet si ab hoc clarissimo Præsule Gallico insigni genere procurandæ in Hispaniis Fidei puritati egregiã nauasse operam indicauerimus, cum Idelfonsum de hæresi per litteras monuerit, & ad Synodum conuocandam, quo nouus error commodius extingueretur, excitarit; Cui etiam laudabili consilio ad felicem exitum perducendo Genesius alter in Gallia Episcopus strenuum sese, vt diximus, Ecclesiæ Ministrum probarat; Ex quibus hoc sexto vergente sæculo eximia Gallicanorum Antistitum studia in fide apud Iberos promouenda clarius effulsisse concluditur.

Anno 670. Martyrol. Hisp. 6. Feb.

circa an. 670

Bolland. in Notis ad 6. Februarij.

Ad septimum vero ea pertinent, quæ supra de Caroli magni, ac Gallorum Præsulum indefesso studio, zeloque ad

Septimo sæculo. *Anno* 790.

extirpandas ab Hispanicis oris Felicis & Elipandi hæreses fusius memorauimus: Inter cæteros autem Gallicos Patres, qui tum temporis aduersus prædictos Hæreticos strenue decertarunt, Adelardus Genesius fuit, quem Carolus Magnus in Hispanias delegauit, vt Felicem Vrgelitanum & Elipandum Toletanum Episcopos ab Hæretica de Christi Domini adoptionis opinione dimoueret; Cuius rei veritatis fides sit penes autorem: Baronius autem Felicem ab Abbate Engelberto Caroli Magni genero adductum Romam asserit.

Martyrol. Hisp. 2. Ianu.

Iulian. Aduersar. 265. Annal. Eccl. an. 792. 2.

Ad Toletanum vero Concilium VII. hoc sæculo celebratum nonnulli Galli Præsules conuenere, vnde sic incipit Synodi narratio: *Dum in Ecclesia gloriosæ virginis S. Leocadiæ, &c. plerique Hispaniarum & Galliarum Pontifices conuenissemus, &c.* Verum à Gallicis viris pro Hispanicæ fidei sinceritate desudantibus ad Iberum hominem de Gallis optime meritum, qui octauo post Christi aduentum sæculo gentem illam in fide confirmauit, pulcherrimum eius elogium à Gallicani Martyrologij commentatore concinnatum dicendi sermonem vocat: *Augustæ Trecarum sancti Prudentij Episcopi; hic ex Hispanicis oris ortus, &c. puræ fidei vindex atque vnius sacræ Sophiæ oraculum fuit: ex qua existimatione ductus Guenilo Senonensis Metropolita, librum Ioannis Scoti erroribus Origenianis, Gotheschalcique nuperi hæretici delitiis scatentem examinandum ac refellendum ei transmisit, quem ipse pro data sibi diuinitus sapientia aculeatis rationibus, validisque auctoritatum præsidiis, maxime vero Hieronymi, Augustini, Fulgentij, atque Gregorij sanctissimorum Patrum testimoniis confutauit; Synodis Parisiensi & Suessionensi, restituendæ Ecclesiasticæ disciplinæ studio, atque sopiendæ discordiæ, serendæque pacis amore summa cum Ecclesiæ vtilitate interfuit, &c. multa alia exegit in Præsulatu, &c.*

Octauo sæculo.

Martyrol. Gallic. 6. Aprił. Circa Ann. 860.

Hæc libenter protuli, vtpote quæ à Gallo viro in laudem Hispani hominis in Gallicana Ecclesia tot honorum titulis insigniti asserta, magis nostri instituti propositum illustrent: Et certe si plures è Francia, vt vidimus, Episco-

pi

pi Hiſpanias appulere, vt vel rectæ fidei dogmatibus eam gentem imbuerent, vel Hæreticorum errorum maculas abſtergerent, ſiue Patrum Conciliis pro reparanda Eccleſiaſticorum Canonum integritate intereſſent, vere nunc quoque vicem Gallis ab Hiſpano homine fuiſſe relatam merito affirmamus, nam & ipſe religionis zelo accenſus promouendæ nationis Gallicæ ſaluti totum ſeſe impendit, atque hæreticis verbo ſcriptiſque alacri animo reſtitit: quin etiam in Gallicanis Synodis inter alios Patres adeo eius virtus ac doctrina enituit, vt *ſumma cum Eccleſiæ vtilitate* in ſacris eorumdem conuentibus interfuiſſe merito aſſeratur.

Hac etiam ætate Claudius quidam natione Hiſpanus, qui aliquid temporis in Palatio Ludouici Pij Francorum Regis presbyteratus honore decoratus impenderat, ac Taurinenſis poſtea Præſulatus dignitate fuerat decoratus, in Gallia Iconomachorum Hæreſim ſuſcitauit; aduerſus quem, eiuſque errorem librum elegantem Theodomirus Abbas genere Hiſpanus pro Imaginum defenſione conſcripſit, Ionaſque pariter Aurelianenſis Epiſcopus contra eumdem doctiſſimis rationibus inſurrexit. Quin etiam Vviſtremius Toletanus Antiſtes aduerſus eiuſdem Claudij doctrinam libellum Catholicis dogmatibus plenum, Conciliorum Canonibus refertum, & Sanctorum Patrum teſtimoniis munitum apologetica ſeueritate conſcripſit; Et ne huiuſmodi virus populorum damno, magis ſerperet in dies, Synodum Toleti indixit, ad quam plures Epiſcopi conuenêre, vbi iuxta antiquum Catholicæ Eccleſiæ ſenſum ſacras Sanctorum imagines honorandas eſſe ſancitum fuit.

Baron. anno 825. 59.

Martyrol. Hiſp. 30 Iulij

Id. 31. Dec.

De huius Sanctiſſimi Præſulis doctrina ac zelo extat apud Eulogium Presbyterum Cordubenſem egregium teſtimonium, qui in quadam Epiſtola ad Vvileſindum Pampilonenſem Antiſtitem de ea ita fatur: *Poſt quintum diem Toletum reuerti, vbi adhuc vigentem Sanctiſſimum ſenem noſtrum faculam Spiritus ſancti, & Lucernam totius Hiſpaniæ*

Vuisi remium comperi, cuius vitæ sanctitas totum orbem illustrans hactenus honestate morum celsisque meritis Catholicum gregem refouet : Et sane nisi Hispaniarum ac Galliarum Ecclesiæ ea tempestate ab sanctissimis huiusmodi, doctissimisque Præsulibus fuissent illustratæ, nimios Hæreticæ prauitatis seminatores, maximo in vtroque regno Fidei detrimento, progressus fecissent.

Vndecimo sæculo circa *An.* 1050.

Sin autem vndecimum à Virginis partu sæculum ingrediamur, Leo IX. ex Gallia oriundus nobis confestim obuiam procedet, cuius singularis in promouenda apud Iberos Ecclesiastica disciplina feruor emicuit, quam ob rem, vt in Hispania Concilium celebraretur, imperauit: Hanc etiam conuocandi in Hispaniis Concilij prouinciam Gregorius VII. Sum. Pontifex Galliæ Legatis demandauit.

Baron. an. 1073. 38.

Duodecimo sæculo circa *Ann.* 1130. Martyrol. Hisp. 14. Nou.

Duodecimo sæculo Bituricēse Concilium collectum fuit, ad quod nonnullos Hispaniæ Episcopos conuenisse manifeste colligitur ex historia D. Prudentij huius nominis secundi Turiasonensis Episcopi, in qua Archiepiscopum Toletanum alioque ad dictam Synodum pergentes ab ipso Prudentio hospitio exceptos fuisse traditur : Verum circa illa tempora Hugonis à S. Victore Parisiensis zelus erga Iberum Antistitem à fide lapsum effulsit : Erat hic Ioannes Archiepiscopus Hispalensis apostata, qui oppressis à principe quodam Arabe dira tyrannide Christianis, eius minis perterritus fidem negauerat, maximo totius Ecclesiæ scandalo, & quod deterius est, hæresim summæ impietati addiderat, asserendo satis esse Fideli, si Christum, quem ore negauerat, corde confiteretur, quod iam ab exordio Ecclesiæ fuit damnatum : Ad hunc igitur Hugo direxit Epistolam, qua ipsum erroris redarguit, plurimisque rationibus conuincere studuit, necnon intimo amoris sensu, vt ad cor rediret, admonuit in hæc verba:

Baron. anno 1136. 15.

Hugon. à S. Vict. Epist. ad Ioan. B. Hispal.

Quid frater carissime, quid dicam tibi ? Si cæperimus loqui forsitan molestè accipies, &c. Nosti frater, quid dicere velim ? de animæ tuæ causa agitur, &c.

Verum dicas, amabo, vir doctissime, esto quod de huius

Præ

Præsulis anima agatur, numquid eius cura tibi à Deo forsan commissa? Ita sane; tam sollicita ac peculiaris sæpius Gallicanorum Patrum cura, pro sincera apud Iberos seruanda Fide felici successu sese probauit; Audiamus singula Parisiensis Doctoris verba, & tãquam clarissima erga Hispanum Episcopum beneuolentiæ charitatisque fraternæ argumenta attente expendamus. *Vide quid facias? Christus tibi opponit mortem suam, Christianus redemptionem suam: Ille se pretium pro te incassum dedisse conqueritur, iste pretio redemptum perditum lamentatur: Sed dicis ego conscientiam meam noui, nemo me teneat, Christianum non facit lingua, sed conscientia: Audi frater; scriptura dicit: corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem; quomodo ergo salutem te habere putas, si confessionem non habes? &c. ô qualis pastor! & quomodo quæso animam tuam poneres pro ouibus tuis, qui nec pro ipsa anima tua animam tuam ponis? ecce tu pro anima tua dare non vis carnem tuam, & pro ouibus dares animam tuam? &c. si Petrum sequeris negantem, cur non imitaris & consistentem, & amare flentem? &c. Hoc est frater verbum quod tu intentissime ac diligentissime audire debes, vt regem tuum sequaris & consequaris, sequaris ad pœnam, consequaris ad gloriam: aspice temetipsum qualis sis, vbi est corona tua, & gloria, &c. quomodo pasces oues, qui teipsum perdidisti? erubesce miser & confundere; Christianorum oculi in te versi sunt, de longe videris, latere non potes, &c.*

Sancta & laudabilis in monẽdo Ep. libertas.

Quis non miretur in Gallo tantam dicendi libertatem, maximumque Fidei ardorem, quo Hispanum Præsulem de officio monet, atque in veritatis semitam reducere conatur? si, vt ipse aiebat, Christianorum omnium oculi in eum conuersi erant, ita ne vero alij pene omnes siccis oculis eum tam grauiter à Fide collapsum intuebantur, adeo vt eorum nemo ad eum increpandum, commonendumque animum intenderit? Et si forsan monitor ipsi, Censorque non defuit, nihilominus non ita expressam de eo fieri mentionem, atque de Parisiensi isto doctissimo ac zelantissimo viro existimem.

Quam recte prolatum de Gallicanorum hominum præ-

stantia atque doctina præclarissimum illud non Galli cuiusdam, sed exteri viri elogium, Aratoris nimirum S. R. E. Subdiaconi, qui ad Vigilium P. scribens in Gallorum gratiam hæc verba pronuntiare non dubitauit: *Multos Gallia bonos præstantesque Religionis Magistros dare consueuit:* In tot tantorumque Fidei Magistrorum numero, qui è Galliis cæteras nationes doctrina ac Religionis zelo illustrarunt, hunc inprimis Hugonem de S. Victore humili cultu totoque cordis affectu veneror, quippe qui Hispalensem Præsulem inter cæteros Iberorum Episcopos conspicuum ab errore reuocare, ac veluti præceptoris munere functus eum arguere, prauæque opinionis ipsius falsitatem emendare studuerit; Qua in re coniunctissimos Præsulum vtriusque gentis animos haud satis mirari possum, si enim ex Iberis vnus infirmatus, statim Gallus Præses infirmabatur, atque feruenti in eum charitate vrebatur, vt quem. innatæ consuetudinis vinculo obstrictum tenebat, Religionis discrimen minime seiungeret.

In Præfat. Poëmat. in Acta Apost.

Quod si elapsis retro sæculis Iberos à Gallis nonnumquam Fidei, morumque disciplinam accepisse vidimus, iam Tertiodecimo sequenti sæculo Iberos non infimum magisterij munus in Galliis obiisse videbimus, adeo vt quam ab ipsis interdum receperint doctrinæ claritatem, iisdem modo cum vsura restituere videantur: Cœperat ex inferis prodire in lucem superioris circum sæculi meas in Tolosana ciuitate Albigensium Hæresis; Et quamuis Albigenses publice conuicti ac damnati fuissent, Catholicæque Fidei professionem emisissent, quam tamen sacramento confirmare recusarant, in dies detestabile virus magis diffundere non cessabant, publico Ecclesiæ scandalo, maximoque Gallicanæ potissimum fidei detrimento.

Decimo tertio sæculo.

Ad hanc ferocientem teterrimæ Hæreseos rabiem pulcherrimum Franciæ statum deuastare tentantem numquid otiosi iacuere Iberi? non ita: scriptis præsto fuere Hispanici auctores, necnon Episcopi, inter quos maximam retulit laudem Lucas Tudensis, qui aduersus Albigenses libellum conscripsit: Confluxere item ex Hispania Didacus

Circa *An.* 1242.

Oxo

Oxomensis Antistes magni vir nominis, ac S. Patriarcha Dominicus, qui suum vere Apostolicum contra hæreticam Albigensium doctrinam zelum generosa prorsus contentione exeruerunt.

Hic amplissimus modo campus nobis aperitur, per quem in Iberorum laudes, ob maxima in delendis huiusmodi Galliarum Hæreticis impensa ab ipsis studia libere excurrat oratio: D. Dominici vitæ scriptor litteris mandauit, quod cum plurimi Abbates vna cum Legato ad congressum aliquando cum Hæreticis habendum accederent, Didacus cum Dominico qui Canonicus ad ea tempora Oxomensis, non minori quam ille Fidei propagandæ zelo accensus gradiebatur: Cernens igitur religiosissimus Præsul missos ab Innocentio Pontifice Abbates, qui iam in Monte Pessullano cum Episcopis, & aliis Prælatis Concilium celebrarant, notatoque ipsorum luxu, ac superflua rerum sæcularium pompa, cum eosdem non quidem recte iuxta Euangelij veritatem ambulare cerneret, vt erat miræ circumspectionis, & gnarus viarum Dei, dixit ad eos: *Non sic, Fratres, non sic arbitror procedendum; Mihi enim impossibilem rem moliri videtur, qui solis verbis putat homines istos reduci posse in viam, operibus, & exemplis potius reuincendi sunt, qui vitæ suæ merita iactant impudenter.* *Anno 1204. lib. 1. §. 6.*

Saluberrimum Christianæ Philosophiæ placitum ab Hispano Antistite prolatum, cum cæteris Fidei dogmatibus, quibus Galli Patres plerumque Iberos imbuerunt, merito comparandum! Et quia, vt aiebat D. Bernardus, *Facile suaderi potest, quod factibile monstratur*; Mox Sanctus ipse Episcopus familiam & equitatum atque omnem apparatum, quem copiosum habebat, remisit, atque in vili modestoque habitu pedes incedere decreuit; Eius vero exemplo cæteri permoti idem fecerunt, ipsumque tanquam ducem ac magistrum secuti: Quam bene huic præclarissimo tanti Pontificis facinori aptare possumus istud Chrysostomi monitum: *En nos sumus causa, vt illi in errore permaneant; Iampridem doctrinam suam damnassent, & nostram approbassent, nisi vita nostra retraherentur, verbis* Homil. 71. in Ioan.

verbis philoſophari perfacile, ſed inquirunt operum probationem.

Huius doctrinæ veritatis optime gnarus D.Dominicus clariſſimum Epiſcopi ſui ſecutus exemplum, loci illius Antiſtitem contuens aliquando cum multa pompa ad celebrem cum hæreticis diſputationem properantem: *Non ſic*, inquit, *mi Domine Pater, non ſic aduerſus filios ſuperbiæ eſt progrediendum, ſed humilitatis, patientiæ, aliarumque virtutum exemplis reuincendi ſunt hoſtes veritatis, detractis calceis, & humilitatis inſignia ſumentes contra illos procedamus:* Cuius conſilio cum acquieuiſſet Epiſcopus, omnes pariter à ſe calceos proiecere.

Inſignis D. Dominic. patiendi ardor.

Tunc accidit quod à perfido hæretico in ſyluam quandam malitioſe abducti inter vepres & ſpinas eorum pedes ſauciarentur, & tibiæ ſanguine conſpergerentur; verum Dominicus ad diuinas laudes hilari voce comites adhortatus: *Confidite, aiebat, quia de cælo manet nos triumphus & victoria, Iam enim peccata noſtra ſanguine expiantur:* Sed ad tantæ ſpectaculum patientiæ mire compunctus veterator ille, hæreſim ſine mora abiurauit: Cæterum quam copioſos fidei manipulos horum Hiſpanorum Didaci nempe, eiuſque Canonici Dominici virtus ac doctrina in Gallicano campo collegerit, fuſe deſcribit ſupra citatus auctor: *Fiebant*, inquit, *tunc crebræ conciones ad populum, & diſputationes cum hæreticis ſub iudicibus deputatis; permulti quoque Catholici libellos conſcribebant in fidei defenſionem: ſcripſit quoque D.Dominicus librum fidei ſuæ ſacris auctoritatibus & diuinis rationibus munitum, qui etiam præ cæteris approbatus ab omnibus receptus eſt; qui etiam vna cum hæretici libello in flammas iniecto, eo à flammis correpto, & in cineres mox redacto exigue proſiluit procul, iſque etiam ſecundo & tertio, quo impij corde compungebantur.*

Apud Suriũ lib.1.vitæ S. Dominici §.6.

Exacto in Euangelicæ prædicationis labore biennio Didacus ſuam reuiſere, ac viſitare percupiens Eccleſiam, Dominicum in ea prouincia excolenda tanquam inuictiſſimum tuendæ Religionis pugilem reliquit; multo exinde labore pedes iter agens Oxoniam peruenit, vbi correptus morbo

morbo feliciter decessit, multisque post obitum claruit miraculis; Et hæc satis de optime merito penes Gallos Hispano Præsule, quorum saluti in ea regni parte ab Albigensibus infecta plurimis exantlatis laboribus, inuigilauit, reliqua à D. Dominico gesta pro eadé hæresi extirpanda prosequamur:

Mansit apud Tolosanos multo tempore tum verbis tum exemplis, ac miraculis hæresim expugnans, adeoque salutis omnium æmulatio eius inerat pectori, vt apud nobiles quasdam fœminas Hæretica simulatione deceptas hospitium sumere voluerit, vt eas ad Ecclesiæ sinum traduceret: Imminente igitur Quadragesima cilicio præcinctus, super asseres recubans, noctem otationi insumens, soloque pane & aqua contentus, vsque ad Pascha quotidiano sese iuiunio ac flagellis macerauit: Quæ raræ sanctitatis insignia admiratæ mulieres, repudiatis erroribus, ad Catholicæ Ecclesiæ Fidem rediere: Innumeras alias, insignesque hæreticæ prauitatis sectatrices fœminas, Sanctissimi Patris feruentissimis concionibus ac meritis, in diuersis Narbonensis prouinciæ locis, vbi decem annos, feruidæ contra hæreticos prædicationi insumens, moratus fuerat, ad errorum suorum abiurationem commotas fuisse, tradit eiusdem vitæ auctor, ad quem, ne prolixior solito videar, Lectorem remittere cogar, quem tamen monitum velim præcipuis Gallicanorum Præsulum studiis in dilatanda fide, euellendaque apud Iberos hæretica impietate sæpius, vt vidimus, impensis, merito Didacum Episcopum, Dominicumque Hispanico illustres genere laboribus suis, ac indefessis conatibus, summisque meritis respondisse, eaque omnino laudum præconia apud Francos promeritos, quibus, (vti supra toties inculcauimus,) Gallicanorum Antistitum zelus erga Iberorum fidem maxime celebratur:

D. Dominic. in Tolosan. regione Hæret. Albig. strenue exagitat.

Eximium pariter Blancæ Reginæ summi Hispanicæ prosapiæ decoris in extinguenda Albigensium hæresi studium enituisse suo loco diximus; Hic meminisse illius sufficiat, quod de ea testatum reliquere authores, eam videlicet tantum in ea re laborasse, vt Albigenses vnius fœminæ zelo deuicti, ad officium rediisse viderentur; Quare Gregorius

Bzouius Anno 1228.7

rius IX. qui strenuam tantæ Heroinæ operam, pietatemque optime norat, eamdem quandoque per litteras est adhortatus, vt sanctissimum filium ad tam iustum opus perficiendum alliceret: Ex quibus Albigẽsium hæresim in nonnullis Galliarum partibus magno Iberorum studio profligatam Galli facile agnoscent, gratique animi erga eosdem, intimam cum ipsis seruando consuetudinem, monimenta referre non desinant.

Iudæos in Gall. reprimi vult Innocent. III. per Philipp. Regem.

Ad hæc dum in Galliis sub Philippo cognomento Audaci Francorum Rege, Iudæi Christianis infesti nimiùm insultarent, fretique Hæreticorum viribus Christianam Religionem inficerent, Innnocentius III. Pont. Max. [a] eidem Philippo Regi præcepit, vt & Iudæos compescceret, & contra Hæreticos in Tolosanis partibus grassatores, validioribus armis insurgeret: [b] Petrus vero Aragonum Rex Catholico zelo inflammatus, contra eosdem Hæreticos exercitum instruxerat; quam ob causam ei concessit Pontifex, vt quicquid ex eorum manibus recuperaret, sui iuris facta retineret; Ad hoc vero tam sacrum bellum, vt maioribus animis accederet, vniuersos eius Regni Archiepiscopos & Prælatos admonuit, vt eum in expellendis, conuertendisque hæreticis adiuuarent: Et certe Aragonius Rex potiori iure Catholici nomen sibi vendicare non poterat, quam si cunctas suis deuotas imperiis regiones hæretica contagione purgaret, rebellesque Christo perduellium animos ad saniorem mentem vi aut sponte reuocatos sinceris Christianæ legis nexibus adstringeret.

[a] Lib. 7. Ep. 186. & 212.
[b] Lib. 8. Ep. 31. & sequ.
Petr. Aragon Rex contra ipsos exercitũ instruxit.

Sed antequam è Sæculo XIII. discedamus, illud in memoriam reuocandum, quod Ioannes Mariana tradit, de Roderico nimirum Toletano Præsule, qui Lugdunum adiit, vbi conuentus Ecclesiastici erant aduersus Petrum Tarraconensem, à quo fuerat diris defixus: Nimirum Innocentissimus Præsul securo puræ Conscientiæ testimonio nixus Patrum consessum adire haud quaquam formidauit, quo & famam suam nefandi hæretici calumniis obscuratam tueretur, integramque deinceps conseruaret, atque vnanimi Patrum in Senatu de fidei rebus pleno iure decer-

nentium

nentium consensione, vna cum erroris, mendaciique expertibus Catholicæ Ecclesiæ oraculis Hæreticæ prauitatis insanias conuinceret falsitatis, debitaque anathematis censura mulctaret; eaque ratione Hispanus Antistes Gallis adunatus communi vtriusque regni animarum bono consuleret:

Apposite omnino extremamhuic sæculo clausulam imponet, vtpote penultimo ipsius anno natus, sequentique initium dabit incomparabilis sæculi sui, Thaumaturgus, Lusitaniæ decus Vlysipponensis Antonius, dignissimus Seraphici Ordinis filius, Dæmonum terror, Hæreticorum Malleus, Theologorum splendor, diuini verbi Præco tam illustris, vt eum Sum. Pont. aliquando concionantem audiens Arcam testamenti appellarit; Hic, inquam, diuinus B. Francisci alumnus, accepto talenti sibi à Deo crediti in sacris palam concionibus aperiendi, Theologiamque Fratres docendi mandato, splendidissimum veluti lumen à Diuino Numine supra candelabrum collustrandæ Ecclesiæ positus, in Gallias primum se contulit, & Montem Pessulanum appulsus, publice sacram legit Theologiam; Neque vero angustioribus vnius Ciuitatis limitibus accensa in eius pectore diuini amoris flamma contineri vllatenus potuit, erupit foras confestim è pectoris fornace, & vicinas circum prouincias peragrauit; *Surrexit*, quippe Antonius, *quasi ignis & verbum ipsius quasi facula exarsit*, sed tam insolito ardore, vt innumeros populorum greges lethali terrenarum cupiditatum frigore morbidos, viuido diuini verbi calore animatos, ad Christianarum virtutum, Diuinæque Legis amorem facili negotio inflammarit; Plurimos vero Hæretica tabe infectos adhibita sanæ doctrinæ è sacris voluminibus, & SS. Patrum scriptis erutæ medicina perfecte curauit, ac præ cæteris vnum nomine, reque ipsa Bouillum, qui plusquam hæretica emotæ mentis pertinacia induratus SS. Eucharistiæ veritatem temeraria prorsus impudentia negare audebat; quem Sanctus tanto verborum pondere, tantaque rationum efficacia concutere, atque ita vrgere cœpit, vt nugax ille tenebrio cum nihil omnino respondere, vel mussitare duntaxat

S. Anton. de Padua Lusitan Monspel. Theolog docuit, multosque in Gall. Hæretic. conuertit.

Eccleſiaſt. cap. 48. 1.

posset, ad solitum Hæreticæ prauitatis asylum, miracula nempe, confugerit; Et recte quidem; nam cum Antonius mirabili in Deum fiducia munitus, ingentia miraculorum prodigia operaretur ad nutum, extemplo vnum singulari adstantium ædificationi patrauit; [a] Cum enim hæreticus mulum suum trium spatio dierum, solito potus cibique opsonio priuasset, Vir sanctus peracto Missæ sacrificio, sumptaque diuina in manu hostia, mulo præcepit, vt facta Creatori suo reuerentia populum adstantem in firma SS. Eucharistiæ veritatis fide confirmaret; Interim perfidus nebulo auenam mulo cribratam præparabat, qua triduanam eius famem arceret, verum maiori stupidum paulo ante animal, quam dominus cognitione præditum, relicta auena, & flexis coram sacra diuini Altaris Victima poplitibus, Catholicos in fide confirmauit, pertinaces vero Hæreticos pudore suffusos in rabiem, fugamque conuertit, vnicumque Dominum suum tanto conuictum prodigio ad meliorem frugem traductum Christi castris adiunxit:

Mulus ex triduo ieiunus relicta auena ante SS. Eucharist poplites flectit.

a Auctor vitæ apud Surium. 15. Iunij.

Hi sunt gloriæ fructus, quos in vastis Prouinciarũ nostrarũ Viridariis messuit solers Hortulani animarum Antonij industria; Hi spiritualium segetum manipuli, quos in cœlesti Beatarum mentium granario diuinus hic condidit agricola; Hæ tandem partæ Theandrici pretio sanguinis gazæ, nobilesque de cruentis tartarei Leonis vnguibus auulsæ exuuiæ, quas hic inuictus Christiani Imperij propagator, in securis Cœlorum, quo fur non appropiat, neque ærugo, aut tinea demolitur, Apothecis recondidit; Ecquas tandem vos, ô Galli, glorioso Gallicæ regionis Apostolo dignas grates, quodnam par pari vnquam referatis; viuit iam meliore sui parte clara Dei visione Beatus inter Angelorum choros, nostræ nullatenus indigens paupertatis, quam nostræ adhuc mirum in modum ptrcupidus salutis leuare optat, cum in voluntario ac nitido Diuinitatis speculo nostram spiritualium bonorum indigentiam, factamque tot peccatorum sordibus, Cœlestiumque Dei amicitiæ necnon eius gratiæ iacturam contemplatur; Eia macti animo perditæ oues, ad Antonij in perditis rebus inuocari solitum

S. Anton. Lusit. pro rebus perditis à Fidel. inuocatur.

confu-

confugite,properate alacres,& frequentibus ſupplicũ votorum muneribus viuam ipſius charitatẽ laceſſite,cuius patrocinio perditam Numinis gratiam, qua nihil præſtantius, nihil pretioſius in hoc ſæculo poſſidere quis poſſit,quantocyus recuperetis;Nec vobis vnquam animo excidat Luſitani iſtius Herois , totqũe ipſi deuotorum vbique Patroni memoria, quam frequenti obſequiorum iteratione toto vitæ curriculo velim ſtudioſe conſeruetis :

Ad Tertium decimum vero ſæculum ea pertinent,quæ ſupra de Petro è Luna pſeudopontifice egimus,vbi ſtrenuam Gallorum operam, vt ab eius cõmunione Hiſpaniarum Reges auerterent , Hiſpanorum item officia, quibus Gallos, vt cum Vrbano VI. legitimo Chriſti Vicario communicarent, totis viribus permouere conabantur,perſpeximus:quod ſi ad noſtra propius tempora veniamus,quibus Hæreſes,aliæque fidei controuerſiæ,in florentiſſimo vtroque regno defecere, mutuum pariter Antiſtitum vtriuſque gentis commerciũ in Synodis aliiſque conuentibus deſiiſſe mirum nemini videri debet , alternam tamen beneuolentiam , ac communionem inter eoſdem ſeruatam haud dubie poſſumus affirmare: Annal. Eccl. *Anno* 1379. 8.

Quis autem calamitoſum ſuperiori medio & amplius currente ſæculo Galliæ ſtatum abſque lachrymis in memoriam reuocare poſſit,cum anno circiter milleſimo quingenteſimo ſexageſimoprimo Caluiniana hæreſis per vniuerſas regni prouincias inſano furore debaccharetur, ita vt nobiles non paucos peruadens,nonnullaſq; primarias in aula perſonas ſuo inficiẽs veneno ſacra templa prophanaret,altaria deſtrueret, ſacroſanctam Euchariſtiam conculcaret, ſacra vaſa,Sanctorum imagines,ac rot miraculorũ operatrices exuuias,eorumque ſtatuas,reliquã denique ad diuinum paratã cultum ſuppellectilẽ igni traderet[a]:proh quam funeſta rerũ facies! Multos videre erat tum ex nobilitate,tum ex plebe inquietos,& maiori auctos numero pluribus in locis inſoleſcẽtes,qui cœtus & conciones interdictas habuere; occaſionemq; ſeditionibus ac tumultibus præbuere; Et quoniam id contra edicta fieret,tumultus à plebe ideo factus,& cædes hinc inde ſecutæ: Lutetiæ id ſemel iterumque accidit, conuenientibus Lugendus Gall. ex Calu. Hæreſi ſtatus.

[a] Bzouius anno 1561. 24. & anno 1563. 7.

poſſet, ad ſolitum Hæreticæ prauitatis aſylum, miracula nempe, confugerit; Et recte quidem; nam cum Antonius mirabili in Deum fiducia munitus, ingentia miraculorum prodigia operaretur ad nutum, extemplo vnum ſingulari adſtantium ædificationi patrauit; [a] Cum enim hæreticus mulum ſuum trium ſpatio dierum, ſolito potus cibique opſonio priuaſſet, Vir ſanctus peracto Miſſæ ſacrificio, ſumptaque diuina in manu hoſtia, mulo præcepit, vt facta Creatori ſuo reuerentia populum adſtantem in firma SS. Euchariſtiæ veritatis fide confirmaret; Interim perfidus nebulo auenam mulo cribratam præparabat, qua triduanam eius famem arceret, verum maiori ſtupidum paulo ante animal, quam dominus cognitione præditum, relicta auena, & flexis coram ſacra diuini Altaris Victima poplitibus, Catholicos in fide confirmauit, pertinaces vero Hæreticos pudore ſuffuſos in rabiem, fugamque conuertit, vnicumque Dominum ſuum tanto conuictum prodigio ad meliorem frugem traductum Chriſti caſtris adiunxit:

Mulus ex triduo ieiunus relicta auena ante SS. Euchariſt poplites flectit.

a Auctor vitæ apud Surium. 13. Iunij.

Hi ſunt gloriæ fructus, quos in vaſtis Prouinciarũ noſtrarũ Viridariis meſſuit ſolers Hortulani animarum Antonij induſtria; Hi ſpiritualium ſegetum manipuli, quos in cœleſti Beatarum mentium granario diuinus hic condidit agricola; Hæ tandem partæ Theandrici pretio ſanguinis gazæ, nobileſque de cruentis tartarei Leonis vnguibus auulſæ exuuiæ, quas hic inuictus Chriſtiani Imperij propagator, in ſecuris Cœlorum, quo fur non appropiat, neque ærugo, aut tinea demolitur, Apothecis recondidit; Ecquas tandem vos, ô Galli, glorioſo Gallicæ regionis Apoſtolo dignas grates, quodnam par pari vnquam referatis; viuit iam meliore ſui parte clara Dei viſione Beatus inter Angelorum choros, noſtræ nullatenus indigens paupertatis, quam noſtræ adhuc mirum in modum ptrcupidus ſalutis leuare optat, cum in voluntario ac nitido Diuinitatis ſpeculo noſtram ſpiritualium bonorum indigentiam, factamque tot peccatorum ſordibus, Cœleſtiumque Dei amicitiæ necnon eius gratiæ iacturam contemplatur; Eia macti animo perditæ oues, ad Antonij in perditis rebus inuocari ſolitum

S. Anton. Luſit. pro rebus perditis à Fidel. inuocatur.

confu

confugite, properate alacres, & frequentibus supplicũ votorum muneribus viuam ipsius charitatẽ lacessite, cuius patrocinio perditam Numinis gratiam, qua nihil præstantius, nihil pretiosius in hoc sæculo possidere quis possit, quantocyus recuperetis; Nec vobis vnquam animo excidat Lusitani istius Herois, totque ipsi deuotorum vbique Patroni memoria, quam frequenti obsequiorum iteratione toto vitæ curriculo velim studiose conseruetis:

Ad Tertium decimum vero sæculum ea pertinent, quæ supra de Petro è Luna pseudopontifice egimus, vbi strenuam Gallorum operam, vt ab eius cõmunione Hispaniarum Reges auerterent, Hispanorum item officia, quibus Gallos, vt cum Vrbano VI. legitimo Christi Vicario communicarent, totis viribus permouere conabantur, perspeximus: quod si ad nostra propius tempora veniamus, quibus Hæreses, aliæque fidei controuersiæ, in florentissimo vtroque regno defecere, mutuum pariter Antistitum vtriusque gentis commerciũ in Synodis aliisque conuentibus desiisse mirum nemini videri debet, alternam tamen beneuolentiam, ac communionem inter eosdem seruatam haud dubie possumus affirmare:

Annal. Eccl. *Anno* 1378. 8.

Quis autem calamitosum superiori medio & amplius currente sæculo Galliæ statum absque lachrymis in memoriam reuocare possit, cum anno circiter millesimo quingentesimo sexagesimoprimo Caluiniana hæresis per vniuersas regni prouincias insano furore debaccharetur, ita vt nobiles non paucos peruadens, nonnullasq; primarias in aula personas suo inficiẽs veneno sacra templa prophanaret, altaria destrueret, sacrosanctam Eucharistiam conculcaret, sacra vasa, Sanctorum imagines, ac tot miraculorũ operatrices exuuias, eorumque statuas, reliquã denique ad diuinum paratã cultum suppellectilẽ igni traderet[a]: proh quam fune sta rerũ facies! Multos videre erat tum ex nobilitate, tum ex plebe inquietos, & maiori auctos numero pluribus in locis insolescẽtes, qui cœtus & conciones interdictas habuere; occasionemq; seditionibus ac tumultibus præbuere; Et quoniam id contra edicta fieret, tumultus à plebe ideo factus, & cædes hinc inde secutæ: Lutetiæ id semel iterumque accidit, conuenientibus

Lugendus Gall. ex Calu. Hæres. status.

[a] Bzouius anno 1561. 24. & anno 1563. 7.

auscultandæ Concioni ad destinatum locum Protestantibus:

Sumpta insuper à male feriatis Caluinistis contra S. Medardi Parochum arma, qui pulsatis Catholicum populum Tintinnabulis ad sacra de more vocabat: Factus inde impetus in templum, ad quod Pastor, vt violentiam effugeret, sese cum Catholicis receperat; In eo conflictu non pauimẽto, non aris, non imaginibus parcitũ, dum alij ad eas euertendas petulanter discurrent, Sacerdotes & alij qui intus erant, pro vita pugnantes cum alia arma non haberent, statuas ipsas altaribus auulsas pro scutis haberent, vel in aduersarios torquerent, Condæo, Odeto Cardin. & Admirali Colliniis, Monlucio, & aliis Protestantium audaciam inflãmantibus.

Quid vero interim Philippus Hispaniarum Rex Catholicus agebat, qui recentifœdere strictaq; affinitate antiquam cum Gallis amicitiam renouarat, tanta fœderatorum mala nullum forte in eius pectore commiserationis sensum commouere? Enimuero ipse per Ioannẽ Manriquez suũ in Gallia Oratorem, Reginam ad coercẽdos Sectarios minas precibus miscens hortatus est; Cumque Lotharingus Cardin; Guisius, & Mommorancius Duces, alijque Catholici proceres cum Sorbonicis Doctoribus vidissent Reginam conniuere, ideoque Arturum Desiderium Sacerdotem primùm, deinde Iacobum Laynem Societatis Iesu Theologum ad Philippum misissent, opem illius, ac patrocinium contra Caluinistarum potẽtiam imploraturi, quæ inualescẽte multis in locis pestilentissima ipsorum doctrina, non satis validis præsidiis à Rege puero & infirmo, ac Regina dissimulante, eorumque Cõsiliariis coercebatur; Non potuit Catholicus religiosusque princeps non commoueri contra Reginam tantopere conniuentem; Quod cum illa intellexisset, ad illum misit Ausentium vt se purgaret, qui vix admissus, cum & ipse, & Albaspinæus Lemouicum Episcopus Regis in ea aula assiduus orator longa oratione egissent, & necessitati Colloquium Possiacense datum, non in Protestantium gratiam factum excusassent, Regemque & Reginam omissa iam Nationalis Concilij mentione, quam primum Episcopos ac Theologos Tridentum mittere paratos affirmarent.

Philip

Philippus acrem Catholicæ Religionis sensum verbis ostendens, post vsitata solemnia inter fœderatas de nouo personas honestatis ac beneuolentiæ verba, Legatos ad Albanum Ducem, qui tunc summæ rerum præerat, reiecit; Is vero iis denuo auditis respondit: *Regi suo admodum dolere, quod in regno tam vicino, & tot necessitudinum vinculis secum coniuncto, Religionis negotium tam tepide, & dissimulanter tractari audiat; cupere illum, vt qua seueritate Henricus Socer in Mercuriali conuentu, & qua Franciscus melius consultus nuper Ambrosiæ vsus est, eadem in sectarios, omni respectu post habito, animaduertat, neque committatur vt malum quod tempestiua resectione per Reges viros minuebatur, Rege puero & fœmina conniuente vlterius pullulet; proinde enixe quantum potest, Reginam socrum orare, se regnumque, ac paruos fidei suæ commissos liberos respiciat, & malo in dies crescenti mature medeatur, ni faciat, periculum Galliæ, quod ad se quoque spectet, Philippum negligere non posse, ac post rem apud se, & inter Consiliarios diu ac serio agitatam, tandem statuisse opes vniuersas ac vitam ipsam, si opus sit, ad pestem communem extinguendam impendere: Id proceres, populos, ac Catholicos Franciæ Regni ordines assiduis querelis ab ipso exposcere, quorum precibus nisi sibi sit defuturus, deesse nequeat; nec vanas criminationes vereri, quasi in alieno cum externis viribus bellum gesturus sit, nam in ea causa Hispanas vires non posse censeri externas, quando de Maiorum religione conseruanda, & regno, Reginæque ipsi asserendo agatur, & copiæ in Galliam intromittendæ, non Philippi, qui eas missurus est auspicijs, sed ipsius Regis Galliæ ductu militaturæ essent, eiusque nutu ac voluntate rem gesturæ:*

Philippi II. Cathol. Reg. pro Hugonot in Gall. crescentium ruina zelus.

Ita Oratoribus responsum nomine Philippi, qui fortunas omnes, vires, opes, vitam denique ipsam pro catholica religione tuenda Regi ac Reginæ offerebat; Nauarro autem seorsum restitutionem regni vrgenti spem opimioris conditionis ostentabat, modo illi bellum in Sectarios quamprimum excitarent: Eadem apud Nauarrum Manriquez inculcabat, & cõponendæ de litigioso Regno controuersiæ has conditiones proponebat; *Vt Catholicæ religionis patrocinium in Francia susciperet, & quando Hæresis dissoluendi legitimæ*

matri

matrimonij causâ esset, ipse Ioannam Albretanam vxorem, quippe Sectariorum veneno infectam repudiaret, qua repudiata nihilominus possessionem & iura omnia in regnis ac ditionibus quæ illi competerent, & quibus illa tanquam indigna propter Hæresim priuaretur penes se retineret; Mariam Scotorum Reginam in eius locum duceret, Sardinia Regnum Nauarræ Regni loco compensationis loco à Philippo acciperet, cum Scota dotis loco Angliæ Regnum accepturum expectaret, quod matrimonio inter eos contracto Pontifex ipsis adiudicaturus esset, eoque Elizabetham tanquam indignam propter eamdem causam abiudicaturus:

Philip.II.R. C.Sum.Pont & aliis pro Hæret.ruina vires offert.

Ea omnia Philippus Rex Pio IV. Pontifici significauit, & simul opem suam ad Christianum orbem Hæreseos labe purgandum eidem prolixè detulit, ac Regnorum omnium, ditionumque suarum vires ad quemuis principem potenti præsentique subsidio adiuuandum, qui imperium suum ea contage liberatum valde percuperet: Quibus pollicitationibus Pontifex permotus Concilium auspicaturus, tres Legatos Cardinales, qui eius nomine Concilio præsiderent, Herculem Gonzagam, Hieronymum Seripandum, & Stanislaum Hosium designauit:

Carol. IX. Gal.R. Con. Trid.sigillatim tantùm promulgari annuit.

Anno vero 1564. Cum Pius IV. Pont. Max. in Galliam ad Regem Carolum, Ludouicum Antenoreum hominem rerum gerendarum peritum misisset, qui Concilij Tridentini promulgationem procuraret; Se Carolus Rex excusauit, & per suos Ministros Concilij decreta singillatim executioni vt demandarentur, se curaturum recepit; Cæterum publicam vniuersi Concilij promulgationem quasi eo rerum sui regni statu periculosam deprecatus, de obsequio alioqui suo inposterum bene sperare iussit: Quin imo visendi Elizabetham sororem Regi Philippo nuptam specie, in fines Galliæ profectus, cum ibidem Philippus voluntati Pontificis satisfacturus interesse non posset, sed Ducem Albanum cum plenis mandatis ad colloquium misisset, sacrum fœdus, præeunte Pontif. cũ Philippo in arcano percussit, firmandæ religioni Cathol. in quod fides vtrimque data, & promissa, cum necessitas postularet, vicissim auxilia Hispano ad bellum in Belgio contra Geusios gerendum, Carolo ad Hugonotos

Id.in Regni finibus cum Philip.cõtra Hæret. fœdus init.

notos in regno ad obsequium reducendos, vtrimque ad Pontificiam auctoritatem constituendam.

Porro istud colloquium instante Pontifice, cui etiam Philippum ipsum interesse cupiebat, habitum est, ac in eo de liberanda ab Hugonotorum peste Gallia actum, & decretum, dicente Albano; *In capiendis ranunculis inutilem operam insumi, salmonum ac maiorum piscium serio piscationi incumbendum esse, Philippo Regi videri, vt summa capita deuterentur, quorum supplicio alij territi à pranis opinionibus resipiscentes in Catholica Ecclesiæ gremio retinerentur:* In eodem colloquio cum Albanus non potuisset impetrare, vt Regis edicto conueniēdi ad conciones libertas in vrbibus in limite positis reuocaretur, Philippus Rex præcauens ne malum contagione in suas vicinas prouincias serperet, & commoditate ob proximitatem illecti plerique ex altera ditione in alteram migrarent, à Pontifice obtinuit, vt Vipuscoa, & Biscata Cantabriæ olim nomine comprehensæ prouinciæ, quæ Baionensi Episcopo suberant, ab eius potestate ac diœcesi diuellerentur, eandem ob causam Cameracensis & Tornacensis Episcopatus à Rhemensi ditione spirituali, seu iurisdictione, cui subiecti antea fuerant, vt diuellerentur, ab eodem Pontifice impetrauerat.

Accedamus modo ad proximiora nobis tempora, quibus Hispanorum hominum ex Societate IESV illustrium fides ac zelus contra Hæresim eamdem Caluinianam in Galliis excrescentem, Catholicæque pietatis cultum radicitùs euellere tentantem mirum in modum effulsit.

Primum sibi vendicat locum, vtpote qui Præpositus societatis post ipsum S. Ignatium ipsius Fundatorem Generalis extiterit, Iacobus Laynes Hispanus, vir omnibus numeris absolutissimus, innocentia & vitæ sanctitate admirandus, qui anno salutis 1561. in Galliam à Pio IV. Pontifice Maximo cum Hippolito Estensi Cardinale Legato ad restinguendum, si posset, incendium ab hæreticis excitatum dimissus, in publico totius regni conuentu Theodorum Bezam, Petrum Martyrem, aliosque nefarios hæreticos

Hippol. Est. Cardin. & Iac Laynes Soc. Iesu à Pio IV. in Gall. contra Hæret. missis.

ticorum anteſignanos exultantes in mendacio, maxima ſententiarum & verborum grauitate homo Hiſpanus & hoſpes repreſſit, frænauit, ac mutos reddidit.

Io. Maldonat. Soc Iesv in Gal. Caluin errores egregie confutauit.

Huic merito iungendus videtur Ioannes Maldonatus gente Bæticus, vel potius ex ea antiquæ Luſitaniæ parte quæ Eſtremadura vulgo nuncupatur; Hic anno Domini 1563. ſuperſtite etiam tum Caluino, vt magnis eloquentiæ, ingenij, doctrinæ viribus exultantem, & quaſi triumphantem, paucis adhuc reſiſtentibus, Caluiniſmum reprimeret, ſingulari Numinis prouidentia, Lutetiam directus fuit; plures in præcipuis Galliarum vrbibus cum hæreticis habuit, ac fere felici ſemper euentu diſceptationes, vnde Genebrardus de eo ſic loquitur: *Ioannes Maldonatus Capellum, Nolinum, Loqueum & viginti alios Miniſtros Caluiniſtas primum diſſerendo, deinde declamitando proſtrauit*; additque, *Launaum, & Henricum Pennetericum Miniſtros, qui aderant, fuiſſe conuerſos:* Plurimum igitur in iis locis, vt Lutheri, Zuinglij, Caluini aliorumque illius ſæculi hæreticorum nefaria doctrina conuelleretur, Ioannem deſudaſſe, celerrimus ab eius ſermonum ac ſcriptorum efficacia reportatus fructus clare teſtatur: quapropter Iberis regionibus Galli plurimum ſeſe obſtrictos fateantur, cum tantus vir inter Hiſpanos ſuæ ætatis celeberrimus in eorum patriam miſſus fuerit, quo hæreticæ prauitatis zizania è medio tolleret, aut certe in triticum bonum conuerteret, cui prouinciæ ex animi ſententia adimplendæ tam ſtudioſam nauauit operam, vt copioſos Catholica religio manipulos, ampliſſimaſque ſinceri dogmatis ſegetes indefeſſo ipſius ſtudio excultas glorioſe meſſuerit.

Sed quid diutiùs in commemorandis iſtorum è Societate Iesv luminum pro dilatanda Fide, extirpandiſque in Gallia hæreſibus tot tamque præclaris facinoribus immoramur? numquam dicendi finem faceret oratio, ſi multorum eiuſdem Societatis Patrum, aliorumque ex aliis ſacrarum religionum ordinibus illuſtrium virorum aſſiduos eiuſdem progagationi, atque hæreſeon deſtructioni conſecra-

tos in vtroque regno labores hic vellemus recenſendo complecti, quippe qui in tantum (quæ ſingularis Dei in amborum regnorum ſalutem prouidentia fuit) excreuere numerum, vt omnem humanam ſuperando fidem, vniuerſorum mentes incredibili rapiant admiratione: Quamobrem ſatius omnino fuerit ſi beneuolum Lectorem ad ſacros eorumdem ordinum faſtos remiſerimus, ex quorum auida ſimul & iucunda lectione immenſam præclare geſtorum ſyluam colligere, necnon maximas Deo gratias agere poterit, qui tantam ſacrorum teſtium nubem, inuictorumque Fidei Athletarum turmam clariſſimo vtriuſque regni ornamento abunde ſuppeditarit.

Antiſtites Gallica orti proſapia ad Hiſpanicas ſedes euecti, necnon Hiſpani ad Gallicanas, eorumque præclare geſtorum Epitome.

CAPVT SEXTVM.

ESTIRET hic animus excurrere ad præfanda diuinæ Epiſcoporum dignitatis Encomia; ſed terret eumdem animum nimia argumenti ſublimitas, atque magnificentia, cui vel ipſa ingeniorum & ſapientiæ culmina ſe profeſſa ſint omnino imparia: Sanctus Leo per omnia magnus, & auctoritate ſummus, contremiſcit tamen ad ſacrum Cleri cœtum dicere exorſus; *Vbi*, inquit, *vno lumine micant tot ſpecioſiſſima tabernacula Dei, membra excellentiſsima Corporis Chriſti*; & ſe tanquam in Angelicum conuentum introiſſe fatetur: Sacer quoque Tyriorum orator, cum reſtituta Eccleſiæ pace, in magno Patrum Cœtu panegyrica oratione publicam teſtaretur lætitiam, ita ſermonem aperuit: *O Dei amici & Sacerdotes, qui ſacroſancto podere induti, cæleſti, & glorioſo capitis redimiculo ornati, diuina vnctione, & myſtica S. Spiritus ſtola circumueſtiti, &c.* Et S. Ephræm mirabundus Sacerdotium vocat; *Stupendum miraculum, & inexplicabilem poteſtatem*, tantoque huic myſterio accommodat illam Pauli admirationem exclamantis: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! &c.* Hinc qui de tanta dignitate diſſerunt, negant ſe inuenire qubus verbis, aut comparationibus vtantur, ad eius ſublimitatem, excellentiamque demonſtrandam; *Honor* quippe *& ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit*, Ambroſij iudicio, *comparationibus adæquari.*

Apud Euſeb. l. 10. c. 4.

De dignit. Sacerdot.

Rom. 11.

De dignit. Sacerd. c. 2.

Cap. 1.

Et quidem S. Cyrillus Alex. ad illud Iſaiæ *Omne caput dolet, & omne cor mœret: Cor*, inquit, *nuncupare videtur ſacroſanctam*

ſanctam & ſelectam tribum, ideſt Leuiticam, veluti lege eruditam, & curam totius corporis agentem: Sic aliàs idem Vates Cor Hieruſalem nuncupauit Apoſtolos, ſi quidem ex magno Dionyſio, *Cor eſt diuinæ & Dei formis vitæ*; Quem locum exponens S. Maximus ait: Cor veluti centrum eſſe, quod primo vitam ſuſcipit, & auctore D. Baſilio primo creatur, vnde deinceps velut è centro in omne corpus vis & vita funditur: Sed in Cantico ſuo Sapiens id tribuit capiti, tanquam principali in homine, cum Pontificium decus vellet exprimere, nam Eccleſiæ caput eſſe aurum, & quidem CEPHAS, quod noſter Interpres optimum vertit; Innuit quippe diuinus Spiritus, quod aurum, illudque eximium eſt inter metalla, Sacerdotes inter reliquos Fideles, id eſſe debere, qui nimirum virtutis præſtantia multo cæteris anteſtent: Sic mirandus Dionyſius Beatas, Cœleſteſque mentes eſſe aiebat AVREAS: Et quidem cum vere aureum Deus feciſſet hominem, color optimus immutatus eſt, vt Ieremias lamentatur; Sed in Chriſto, & per Chriſtum pluſquam eſt reſarcitus; Vnde Sponſa exultat videns & vocans; *Caput eius aurum optimum. Hoc autem*, inquit S. Paulinus, *Forma Sanctorum eſt, qui in capite corporis vt lumina micant, & ſunt aurum ignitum Deo*: Sic illud Ioelis, *Argentum meum, & aurum tuliſtis*, exponens Cyrillus, *Eccleſia filios* ait eſſe *argenteaque vaſa.*

Ex Procopio P. 444. — De Cœl. Hierarch. c. 13. — Gap. 5. — Cœl. Hierarch. c. — Thren. 4. — Cant. 5. Epiſt. 4. — Cyrill. in hunc locum. n. 40.

De hiſce etiam cogitabat regius Vates, dum mirabundus exclamauit; *Dij fortes terræ vehementer elevati ſunt*; Hoc eſt, & gradu, & actu, & cogitatu, deſpectuque rerum terrenarum, &c. *ſicut*, inquit Chryſoſt. *apud Reges terræ qui dignitate præcellunt, proxime adſtant regali ſolio, &c.* Hinc & magnus Dionyſ. Sacerdotes appellat EPOPTAS, vt cœleſtium arcanorum inſpectores.

Pſ. 46. — In c. 6. Iſa.

Idem vero propheta regius pleniſſimum de Epiſcopalis dignitatis faſtigio protulit teſtimonium: *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat:* Vbi quam vocat Synagogam Tertullianus vocat *Eccleſiam*, Hieronymus *Congregationem*; S. Paulus dicit *Presbyterium*, tanquam Deorum Concilium, in quo ſtat Deus, ſicut Imperator in-

Pſ. 81. 1. — L. 1. contra Marcion. c. 7 — In Pſ. 136.

In Ps. 15. ter milites, sicut Rex in Senatu, vt ait Chrysost. docens manus eorum ad prœlium & digitos ad bellum, de dolis inimici illos erudiens, vt possint cum Apostolo dicere, *non*
2. Cor. 2. *ignoramus astutiam eius.* Animos etiam addens; *Nolite timere*
Luc. 21. 15. *eos, Ego enim dabo vobis os & sapientiam, &c.* Christus aiebat Discipulis: Recte item vt Rex in Senatu, augustam illis maiestatem impertiens, æterna insinuans consilia, maxime in Oecumenicis consiliis, vbi vere Deus stat in Concilio Deorum, vt clarissimus sol illuminans omnes tanquam stellas firmamenti Sacerdotes vberrima illa cognitione Theologiæ, quam *Scientiam Sanctorum*, nominauit Sapiens, vt excep-
Sap. 10. tos quasi in politissimo speculo radios ipsi deinde spargant in Ecclesiam, & communicent.

Mirum igitur non est si SS. Patres maximis Elogiis Sacerdotium efferre contendant: Isidorus Pelus. diuinum
L. 2. Ep. 52. quoddam scribit esse ac rerum omnium præstantissimum, quodque Christiani omnes inter res diuinissimas collocare
Ibid. Ep. 71. debeant; Item addit *Hoc munus esse omnium, quæ inter homi-*
lib. 4. Exhort. ad Cast. *nes expetuntur, velut extremam metam.* Cyrillus, *Rem magnam, atque pretiosam in conspectu Dei:* Tertullianus, *Hono-*
Orat. 3. *rem sanctificatum à Deo*; Nazianzenus, *omnium ornamen-*
Epist. ad Smyrn. *torum maximum & præstantissimum.* S. Martyr Ignatius, *om-*
de dign. Sacerd c. 3. *nium bonorum, quæ in hominibus sunt, apicem*; Denique S. Ambrosius *Deificam professionem.* Verum ne contra consilium nostrum, exarandas vberrimi laudes argumenti suscepisse videamur, ad pertexendam interruptæ orationis seriem, Illustrissimorumque vtriusque gentis Antistitum præclara facinora, quibus intimam Gallos inter & Hispanos societatem publicæ tranquillitatis vere matrem censeri demonstrarunt, conuertimus calamum.

Cum igitur de clarissimis Hispanicæ Gallicanæque gentis Præsulibus, aliisque insignioribus viris, qui in Fidei rebus ac controuersiis sibi vicissim præsto fuere, nuper sermonem haberemus, plures alios sanctissimos, illustresque Antistites, necnon pietate, insignique sanctimonia ornatos viros ex vtroque regno oriundos, qui si non in fidei disceptationibus ac Religionis zelo, in plurimis sane aliis vel ad publicam amba

ambarum Ecclesiarum administrationem, vel ad vtriusque nationis profectum pertinentibus, mutuum consuetudinis intimæque beneuolentiæ commercium seruauere, apud authores, qui vtriusque gentis res historia sunt prosecuti, persæpe offendimus; Quapropter cum præstantiora Antistitum studia in vtroque regno pro Fidei incrementis, hæresumque exstirpatione impensa, superiori capite nostra vtcumque seligere curauerit industria, cæterarum modo rerum seriem, quibus Episcopi, præclarique ex vtraque natione populorum Pastores mutuæ confœderationis insignia edidere, hoc præsenti capite complecti decreuimus.

Primus nobis occurrit Irenæus Lugd. Ep. qui libros suos, vt tradunt Hispanici authores, ad Turibium Toletanum Antistitem direxit; quin etiam addunt alij Irenæum libros suos Turibio dicasse; Quod autem non solum ad ipsum missi fuerint, sed eius quoque gratia exarati, deducere contendunt ex nonnullis Irenæi verbis; citant maxime illa: *In hoc tertio ex sacris scripturis inferemus ostensiones, vt nihil tibi de his, quæ præceperas, desit, sed & præter quam opinaberis, ad arguendum & euertendum eos qui quolibet modo mali docent occasiones à nobis accipias, &c.* Item ista *Quemadmodum elaborauimus nos olim quærenti tibi discere sententiam eorum; Sic & tu efficaciter reliquis ministrabis secundum gratiam, quæ tibi à Domino data est, vt tam non abstrahantur homines ab illorum suadelis.* Ex hoc inferunt non fuisse nudam librorum missionem, libri enim mitti dicuntur, cum iam alterius gratia perfecti sunt, qui vero eo quærente perficiuntur, dicari: In re dubia nihil certi determinare audeo, sed eximiæ Gallicani Præsulis cum Hispaniarum Primate necessitudinis vinculum, vel in sola librorum ad ipsum directione, vel in eius nomini dedicatione contemplari libet, vnde maximam vtriusque gentis consuetudinem priscis ab vsque temporibus initam maiores deinceps iacturam radices iure auspicamur.

Anno 180.

Comm M. Maxim ad *An.* 419. In Prolog. l. 13.

In Prolog. l. 2.

Idem Ibid.

Digna profecto laudabili posterorum memoria, non vulgaris, sed intima, quæ Pictauiensem inter Hilarium, & Gregorium huius nominis primum Toletanum intercessit familiaritas ac consuetudo; de hoc illustrissimo Hi-

Ann. 350.

spano,

mis, sic franat arma sub legibus, &c. In hac epistola meminit eius operæ ac fauoris pro felici ad Episcopatum reditu: *Nam dum*, ait, *me tenuit inclusum mora mœnium Lirianorum, cuius incommodi finem post opem Christi tibi debeo:*

Non absimili amoris significatione idem Sidonius prosecutus est Hispanum hominem non vulgaris scientiæ ac pietatis laude sua ætate præclarissimum Orentium, ad quem aliquando sic scripsit: *Venit in nostras à te profecta pagina manus, qua trahit multam similitudinem de sale Hispano in iugis cæso Tarraconensibus: Nam recensenti lucida & salsa est, nec tamen propter hoc ipsum mellea minus; Sermo dulcis & propositionibus acer, sic enim oblectat eloquio, quod turbat imperio: quippe qui parum metiens quid ordinis agam, carmina à nobis nunc noua petat: primum ab exordio religiosæ professionis huic principaliter exercitio renunciaui, quia nimirum facilitati posset accommodari, si me occupasset lenitas versuum, quem respicere cæperat grauitas actionum: Tum præterea constat omnem operam, si longa intercapedine quiescat, ægre resumi, &c. Tenebimus ergo quippiam medium, & sicut Epigrammata recentia modo nulla dictabo, ita literas, si qua iacebunt versu refertæ, scilicet ante præsentis officij necessitatem mittam tibi, petens ne tu sis eatenus iustitiæ prævaricator, vt me opineris numquam ab huiusmodi conscriptione temperaturum; neque enim suffragio tuo minus augear, si forte digneris iam modestum potius quam facetum existimare.*

Hic Orentius seu Oresius vir doctus erat, poëseosque facultate satis excultus, *qui*, vt ait Baronius, *Postea Episcopus Eliberitanus interfuit Concilio Tarraconensi, licet Oruntius pro Orentio, vel Orontius in diuersis exemplaribus scriptus inueniatur. & plane eumdem cum illo de quo* Sigebertus *Orentius Commonitorium fidelibus conscripsit metro heroico, vt mulceat legentem suaui breuiloquio:* Quamuis vero Ioan. Sauaro in Notis ad Ludouicum male hunc Oretium siue Orentium pro Tarraconensi Episcopo intelligi affirmet, quod hic Tarraconensi Concilio interfuit, anno domini quingentesimo decimo septimo celebrato; istius pace auctoris cum Baro-

Annal. Eccl an. 484.

De viris Illustrib. c. 34

nio aliisque sentiendum est, nam adhuc Orentium triginta & amplius annis superstitem fuisse, adeo vt & dicto Concilio adesse potuerit, quid prohibet affirmare?

Alteram quoque Hispano viro Fortunali scriptam eiusdem Sidonij Epistolam hic reddimus, vt ex frequentibus Galli Antistitis ad Iberos datis litteris instituti nostri ratio apertius comprobetur: *Ibis & tu in paginas nostras*, inquit, *amicitiæ columen Fortunalis, Ibericarum decus illustre regionum: neque enim tibi familiaritas tam parua cum litteris, vt per has ipsas de te aliquando post te superesse non deceat; viuet scilicet, viuet in posterum nominis tui gloria; nam si qua nostris qualitercumque gratia, reuerentia, fides chartulis inest, sciat ætas volo posthuma, nihil tua fide firmius, forma pulchrius, sententia iustius, patientia tolerantius, consilio grauius, conuiuio latius, colloquio iucundius: Illud quoque supra cætera agnoscet, præconia laudibus tuis ex votorum contrarietate venisse; nam prope est vt eminentius censeatur, quo probauerunt te aduersa constantem, quam si celarent secunda felicem:* Lib. 8. Ep. 5.

In transcribendis eruditi Sidonij litteris libenter immoror, vt pote quæ non modo Galli hominis cum Iberis strictissimum videlicet familiaritatis nexum, verum etiam pulcherrimam eorumdem virtutum, ac scientiarum panegyrim exhibeant: Quis enim pluribus laudum encomiis non extollat, quem vnice diligit? ita Gallus Antistes Iberos à se vnice dilectos tot litteris ad eosdem directis veluti posterorum memoriæ insignia eorum merita commendare contendit: Huius exemplo discãt vtriusque nationis posteri viros in vtraque gente doctrina ac pietate illustres magni semper facere, laudibus efferre, obsequio prosequi:

Cæterum Iberi tam insignis Gglliarum Præsulis amicitiam ita ambiere, vt nonnullas alias Sidonij Epistolas Iuliano & Tonantio directas ad se traducere, variasque rationes, quibus Sidonij & Iuliani necessitudinem comprobant, in medium afferre contenderent; tradunt enim Iulianum istum, ad quem Sidonius scripsit, fuisse Iulianum Sintitionem Toletanum Præsulem de familia Consulari natum; necnon Tonantium istum Sidonij familiarem Archidiaconum

Comment. M. Max. ad an. 462.

num Toletanum faciunt, duos enim notos Sidonio Tonantios patrem & filium cum Sauaro Scholiaſte aſſerunt: Vnde cum Sidonius in litteris ad eum miſſis ſatis indicet Tonantium virum eſſe Eccleſiaſticum, nam carmina exigenti ita reſpondit:

Hoc me, teque decet, parce precor iocis
Quæſo pollicitam ſeruet ad extimum
Oratoris opus, cura, modeſtiam.

Et inferius: *Quin imo quoties epulo menſæ lautioris hilarabere; religioſis, quod magis probo, narrationibus vaca:* quod ſi carmina non decere dicat Tonantium quamtumuis iuuenem, conſequens eſt, vt ipſe quoque religioſæ profeſſioni fuerit addictus, & aliquid ordinis egerit, vt minimum Diaconatum.

Fauere item ſubiiciunt Epiſtolæ ſedem, quæ ſimul cum Epiſtola ad alium ſcripta Hiſpanum ſcilicet Orentium locata eſt, vt vel ex hoc ſaltem vtraque ad Hiſpaniam miſſa à Sidonio cognoſcatur: In hac re nihil certi aſſerere volumus, maxima tamen nos capit admiratio, quod Hiſpani in rebus adeo dubiis Sidonij litteras ad conciues ſuos fuiſſe conſcriptas affectarint: Verum in traducendis ad ſe Sidonij Epiſtolis ingens Iberorum ſtudium, quo tam eximij Gallicani Præſulis intimam cum Primate & Archidiacono Toletanis neceſſitudinem deprædicant, quis digne vti par eſt, mecum æſtimare queat, atque huiuſmodi aſſertum ad conciliandos vtriuſque inter ſe gentis animos aptiſſimum, quamuis non tam veritati conſonum aliquatenus excuſare non nitatur; eſto verum, aut incertum hoc ſit, veteres tamen ac recentes Iberos cum Gallis Præſulibus communionem ambiuiſſe pro comperto habetur.

Hiſce autem litteris à Gallis Epiſcopis ad Iberos directis adiungere libet D. Bernardi Epiſtolam ad Innocentium PP. conſcriptam pro Petro Epiſcopo, qui à Salmanticenſi ſede expulſus, primum Cluniacum, deinde Claramuallem, à Monachis, ac præſertim à ſanctiſſimo Abbate fauorem & ſolatium efflagitaturus adierat: ſic autem incipit: Epiſt. 112.

[*Vir illuſtris Salmanticenſis* quondam Epiſcopus rediens ab vrbe, non pigritauit deuenire ad puerum veſtrum, & auxilium ab homunculo flagitare non deſpexit; Quo audito recordatus ſum prophetiæ dicentis, montes & colles coram Deo humiliabuntur, erunt praua in directa, & aſpera in vias planas: Sic vos ludere noſtis alta comprimere, ſedare tumentia, & enormia religere in menſuram: verumtamen cum tragœdiæ ſuæ hiſtoriam in auribus meis homo ſeriatim expoſuiſſet, laudaui iudicem, iudicium approbaui, ſed dico vobis compaſſus ſum iudicato, &c. Et Cũque memorarer iuſtitiæ veſtræ, & virilis animi quem ſciebam, cœpi tamen ſimul cogitare diuitias miſerationum veſtrarum, quas in plurimis expertus ſum, & dixi; quis ſcit an conuertatur & ignoſcat, &c. acquieuit ſolita illa mea præſumptione loqui ad Dominum meum, cum ſim puluis & cinis; & miniſtrabat materiam ſpei, preci fiduciam, peccati rationem, quod aduerterem hominem non, vt adſolet, verſum in furorem cum indignatione recedere, & repetere natale ſolum, moliri ſcandala, tentare ſeditiones, ſed dedit locum iræ, & induit ſpiritum manſuetudinis, & declinauit ad veſtros Cluniacenſes, & inclinauit ſe humilium genibus, humilium precibus ſe communiuit armis potentibus à Deo: his telis ſtatuit aduerſum eos dimicare, & rigoris murum oppoſitum ſibi talibus, vt iactat, pietatis machinis labefactare conabitur, &c. Ego quoque ſecurus cum talibus tendo manus, flecto genua, ſupplico pro ſuplici audacter pronuntians debere miſero ſuam prodeſſe humilitatem, cui adeo inſolentia ſua nocuit; nec decere virtutem vinci à vitio in retributione:] Et ſane obtinuiſſet fortaſſe Bernardus fauorabile à Pontifice reſcriptum, niſi Toletanus, Zamorenſis, & Sigouienſis Præſules miſſi ab Alfonſo Berengarij electionem acceleraſſent:

Hoc autem loco cuius mentem non moueat tam familiaris Hiſpani Antiſtitis cum Gallicanis Monachis inita conſuetudo, ſingulariſue in eorũ precibus fiducia? Petrus quippe

pe à Salmanticẽsibus primùm reiectus, deinde felici parum exitu ab Vrbe recedens, ad Cluniacense Monasterium tanquam ad tutissimum optimæ matris sinum conuolat, humillime cum Monachis illic versatur, feruentium implorat orationum suppetias; Quin & Cistercienses inuisit, Diuumque imprimis Bernardum conuenit, suam ipsi causam humiliter exponit, opem implorat, adeo vt sanctus Abbas eius lachrymis ac precibus permotus Innocentio Sum. Pont. pro eo literas dederit, in quibus eius virtutes humilitatem, patientiam, mansuetudinem, ac pietatem commendat: Quam aperte igitur elucet inolita cum Francis, Iberorum coniunctio, & beneuolentia, cum Hispanici Præsules Gallorum opem vltro expetierint, eamque libentissime & ipsi exteris subministrare poscentibus neutiquam detrectarint, non secus ac si suorummet ciuium causa penes Apostolicam sedem ab iis propugnanda fuisset.

Cæterum non modo Hispani Antistites, verum & Reges ipsi ex ea natione clarissimi maxima Bernardum veneratione sunt prosecuti: Testis est Sanctiæ Hispaniarum Regis Sororis Epistola ad eum directa, in causa Monasterij de Teldanos tunc Cistercio vniti sub Claraualle, eoque subtracti ab obedientia Canacetensium; ad quam S. Abbas tale responsum direxit: *Quod factum est de receptione Teldanos Monasterij, sciatis per me non esse factum, vt pote absentem, & ignorantem quid fieret: Factum autem per nostros non nego, consilio tamen multorum religiosorum, Episcopi conniuentia & assensu, &c. Et quoniam seruum Dei non oportet litigare, consilij nobis fuit ad vestrum potissimum consilium causam remittere, vt vestra auctoritate & opera omnis inepta & iniusta, vt aiunt, calumnia conquiescat, & ordo in domo Dei receptus ad eius gloriam, & vestram ipsius salutem deinceps in pace remaneat. Nam & frater Niuardus, qui multum gratulatur de vobis, satis hoc de vobis confidere monuit tum propter vestram erga nos specialem deuotionem, tum etiam propter bonam, quam audiuit à vobis, de hoc ipso promissionem.*

Annal. Cister. to. 1. an. 1127 cap. 6. 6.

Epist. 301.

Viden atteſtatam ab ipſomet Bernardi germano fratre præcipuam optimæ Hiſpaniarum Heroinæ erga Gallum deuotionem, eiuſdemq; in acquieſcendo piiſſimæ Principis ſententiæ ſtudium, cui in dicta cauſa ſeſe omnia permittere profitebatur: Neq; minora eximiæ confidẽtiæ ac deuotionis erga S. virum argumenta ab Alfonſo Luſitano Rege ſuppeditantũr: Hic Legatum Innocentio Papæ delegarat, & quo regnũ ſibi dudum à ſupremo Numine collatum Chriſti Vicarius cõfirmaret, Petro Apoſtolo feudatariũ cõſtituerat, duaſue auri marchas pro vectigali obtulerat; Tum Innocentio ſibi propitiando Bernardum interceſſorum adhibuit; quare miſſo Petro Alfonſus fratre, & cum eo Rolando Monacho, qui ex Claraualle monaſterium fundaturus aduenerat, Bernardum primo mandauit adeundum, mox ab eodem litteris obtentis, Innocentium fidentius exorandum; hanc autem ad ſanctum virum ſcripſit Epiſtolam:

Annal. Ciſt. an. 1142. cap. 4. 2.

Alfonſus Dei gratia Rex Portugal. Bernardo Abbati Clarævallenſi bonum animum, bonam voluntatem, & memoriam iunctæ neceſſitudinis: Notum eſt quod mihi contigit parum temporis eſt, in meas terras contra Mauros inimicos meos, qui venerunt contra me in tota virtute: Ego totos vici per voluntatem Dei, & de bono iudicio vaſſallorum meorum nomen Regis accepi, quia Deus ſic voluit, &c. Et quia melius eſt dare tributum Deo quam hominibus, in manus Legati promiſi quatuor vncias auri ſingulis annis B. Petro Apoſtolo, tanquam eius miles. pete vt faciatis iſta omnia quod veniant ad finem bonum, & ipſe vos confirmet regium numen, & ſuſcipiat me militem D. Petri: reliqua dicet vobis frater meus Petrus, quem mitto ad hoc.

Quis non obſtupeſcat ab Hiſpano principe electum Gallum, vt ſuam apud Pontificem cauſam promouere dignaretur? quis maximam non ſuſpiciat ipſius Alfonſi erga ſanctum virum reuerentiam, cum ipſummet germanum fratrem ad eum cum ſuis litteris direxerit, reique inſignis admodum momenti participem fecerit, eius denique operam omni contentione expetierit? nunc redditum à Bernardo tam inclyto Principi reſponſum audire, ſingulare item in arduis, ſupremiſue rebus habitum ſimul cum Gallis commer

mercium expendere, nemo ingratum fore iudicauerit: sic autem incipit: *Litteras & salutes Celsitudinis vestræ suscepimus gaudentes in eo qui mandat salutes Iacob: quid in hoc fecerimus, & exitus pro nobis, & vos per exitum comprobabitis: animi promptitudinem ex iniuncta sollicitudine, vel saltem ex memorata necessitudine colligetis: Petrum celsitudinis vestræ fratrem, & omni gloria dignum à vobis iniuncta retulit, & Gallia armis peragrata, in Lotharingia militat proxime militaturus Domino exercituum: Frater Rolandus filius noster Apostolicæ largitionis litteras defert, ipsum & fratres nostros vobiscum degentes, & meipsum commendatos habete.*

Huic belle congruit loco Petri Cluniac. Abb. epistola ad Innocentium directa, quæ ad nostri instituti splendorem non modicum conferre videtur: quæ sic habet: *Imperator Hispanus magnus Christiani populi princeps, deuotus Maiestati vestræ filius, licet apud pietatem vestram multum possit, & posse debeat: tamen quia inter modernos Reges præcipuus amicus & Benefactor Cluniacensis Ecclesiæ est, me ad præsens mediatorem, & apud vos intercessorem elegit; pro quo, vt exaudiri merear, quod facerem si præsens essem nunc absens facio, & me cum omnibus fratribus meis filiis vestris, qui hoc audire potuerunt, ad preces pietatis vestræ non tantum corde, sed etiam corpore ipso prosterno: Oro vt quorum preces tam paterne, tam benigne totiens & toticns vestri gratia admisistis, hac saltem vice nequaquã benignitate solita repellatis: Largitas enim paternæ gratiæ, qua nos pene semper audire soletis, trahit multos ad nos, & frequentatis precibus compellit nos fatigare vos: sed non ego pro Rege Hispano, non pro Romano, non pro quolibet mortalium preces funderem, si id iustitiæ repugnare cognoscerem, vnde licet earum rerum, quibus non interfui, testis esse non possem, sapientum tamen multorum magnorum probatorum etiam virorum testimonio non minus quàm oculis meis vel auribus credere compellor; horum itaque omnium attestatione, ex quibus multi Clerici, quidam Monachi, nonnulli Episcopi sunt, electionem Domini Salmantini Episcopi in Archiepiscopum sancti Iacobi ab omni Clero, ab omni populo canonice, pacifice, communiter factam prædictus Imperator per humilitatem meam Maiesta-* Lib. 4 Epist. 9

ti Apostolicæ repræsentat: Et quia illa Ecclesia ad quam electus est tanti Apostoli corpore gloriosa, tot Sedis Apostolicæ priuilegiis sublimata inter omnes Hispanas Ecclesias caput extulit; nobilem, prudentem, honestam, probatam personam præ alys terræ illius Ecclesiis requirebat: quam se inuenisse tandem in illo lætata, eum sibi, vt dictum est, concorditer in Pastorem eligit: vnde si quis post illam communem & solemnem electionem alicui proprio commodo inseruire volens ab illo desciuit, prouideat sollicitudo paterna, an illi liceat ob priuatum lucrum bona publica impedire, vel ea de causa pacem tantæ Ecclesiæ perturbare: adstat igitur, & ad fores vestræ misericordiæ manu nostra pulsat Imperator Hispanus, S. Iacobi Clerus & populus, vt electum suum non sublimiter, non superbe, sed humiliter & mansuete ad vos venientem suscipiatis: vinculum Apostolicæ seueritatis, quod modeste pertulit, resoluatis: & quod potestatis vestræ solius est, translationem de Salamanca ad vrbem S. Iacobi Apostoli concedatis: Et vt apud pium patrem Legati contemplatione ipsa potuit iuuari Legatio, vobis cognitum & dilectum venerabilem fratrem nostrum Natalem nuper Resbaci Abbatem paternitati vestræ direximus; quem quia à Mariæ otio, quod apud nos elegit, inuitum & reclamantem nostris viribus non potuimus, ad hoc suscipiendum negotium, cui resistere non potuit, obedientiæ virtute compulimus; vnde si placet quem nos exasperauimus mittendo, vos latificate effectum precibus annuendo:

Admirati iampridem sumus Hispanum Antistitem ad Galli hominis opem confugisse, vt pro se Innocentium Summum Pontificem exoraret; quantus vero longe maiori admirationi modo exhibetur locus; cum & ipse Hispaniarum Monarcha Abbatis Gallicani studium ac fauorem penes Apostolicam sedem supplicibus veluti precibus expetierit? Si à priuata Iberi Præsulis cum Gallo Abbate consuetudine maximæ inter vtramque nationem societatis ac beneuolentiæ argumenta desumpsimus, quàm potiori plane ratione ex ipsius Hispaniarum Regis publicam scilicet illius gentis faciem præferentis cum Francico viro eximia familiaritate alternam amborum regnorum confœderationem augurari nobis haud dubie licebit?

Si

Si vero quæ Gallus Abbas in hac Epistola ad Pontif. in Hispani Regis gratiam directa tradit, diligenter expendamus, singulare ipsius studium in optimum Monarcham eiusque regnum contemplabimur, dum eius in Cluniacense Monasterium magnificentiam, pietatem, ac reuerentiam erga Apostolicam sedem, summaque merita deprædicat, Compostellanæ Ecclesiæ dignitatem summis exornat laudibus, pacem ac concordiam à florentissimo eo clero, populoque non amouendam noua alterius Præsulis electione Pontifici suadet, hominem iu omni virtutum genere probatissimum, Innocentioque cognitum, vt faciliori, feliciorique exitu Hispano regi res per ipsos petita cederet, ad curiam destinauit; Ex quibus omnibus humanissima Galli Abbatis in promouendis Hispaniæ rebus officia, intimaque cum ipso rege necessitudo maxime nobis commendanda, eorumque regnorum posteris imitanda proponitur: Exultare igitur vos, ô Iberi, atque immortales agere Numini gratias decet, cum opem illam, quam toties à præstantissimis Gallicanæ Ecclesiæ viris experti fuistis, nouo ad præsens pacis sancito fœdere in amplificandis fidei iuribus, necnon in promouenda regnorum vestrorum felicitate etiamnum vobis polliceri iure merito possitis:

Quoniam vero de Petro Cluniacensi speciosissimo Galliarum suæ ætatis ornamento erga Hispanos propenso mentionem fecimus, prætereundum non est, quod Ioannes Richardus asserit, Petrum scilicet Hispanias lustrasse, atque ibi morantem breuem de Mahumetis vita narrationem licet fabulosissimam in vulgarem linguam traduci curasse, Diuoque Bernardo transmisisse, atque dicasse. Audiamus hoc ab ipso Petro, S. Abbati Clarævallis scribente: in notis ad Epist. 227.

Singulari veneratione colendo, totis charitatis visceribus amplectendo, indiuiduo, cordis nostri hospiti Domino Bernardo Clarævallis Abbati frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas salutem ad quam suspirat æternam: Mitto vobis dilectissime, nouam interpretationem nostram contra pessimum nequam Mahumetum, & eius hæresim disputantem, dum in Hispanijs morarer, meo studio de Arabica versa est in Latinum sermonem; feci au-

tem eam translationem per peritum vtriusque linguæ virum Magistrum Petrum Toletanum, &c. Sed & totam impiam sectam, vitamque nefarij hominis, ac legem, quam Alcoran (id est collactaneum præceptorem) appellauit, sibique ab Angelo Gabriele de cælo allatam miserrimis hominibus persuasit, in volumine produxi, interpretantibus scilicet viris vtriusque linguæ peritis Roberto Rutenensi de Anglia, qui nunc Pampilonensis Ecclesiæ Archidiaconus est, Henrico quoque Palmata acutissimi & litterati ingenij scholastico, quos in Hispania circa Hiberum Astrologiæ studentes inueni, eosque ad hoc faciendum multo pretio conduxi: Valete:

Plurimum igitur se debere sanctissimi huiusce Abbatis studio libenter Iberi fatebuntur, quorum causis non modo absens operam suam alacri impendebat animo, verum etiam ipsos, quibus mente coniunctissimus erat, corporali præsentia inuisens, ne ipsius in Hesperiis partibus commoratio infructuosa censeretur, ad prædictum opus interpretandum animum applicuit, vnde Hispanorum plerique huius vaferrimi nebulonis vitam, stultaque dogmata clarius intelligendo, tanquam ridicula contemnere, imo prorsus impia detestandaque abhorrere didicerint:

Iustissimas sane de nostro sibi nimium iniurioso silentio querimonias intentare posset toto orbe famosissima Parisiensis Academia, si in nulla huiusce libelli de mutua Gallos inter ac Iberos concordia, auitaque communione differentis pagina meritis licet inferiorem laudem, debitumque præconium habeat Ioannes de Gerson celeberrimus quondam ipsius Cancellarius, qui sua ætate pacis inter principes conciliandæ, populique Christiani inter se diuisi ad vnici Ecclesiæ capitis obedientiã reducẽdi studiosissimus, fortunatus arbiter pacis dici meruit; quis enim breui sermone complecti posset accuratissimam prudentiã, laborem fortissimum, modestissima consilia, feruẽtissimum zelum, quem indefessus adhibuit pro sedando & vniendo illo turbulentissimo schismate, quo Ecclesiæ nauis tunc misere quatiebatur? Quis legationes suas mira grauitate & peritia obitas satis digne commemorare posset, quas pro Francorum rege, Ecclesia Gallicana,

Io. Gerson. Paris. Acad. Cancell. pro tollendo schismate gnauiter laborauit.

&

& Parisiensi Vniuersitate tum plerumque aliàs, tum præcipue apud celeberrimum illud Christiani populi generale Concilium Constantiense grauiter administrauit? Illic etenim diligentia incredibili, sanissima doctrina, vehementissimaque dicendi vi, quibus patres mouit, confirmauit, & quid facto opus esset apertissime monstrauit, tantum effecit pro communi pacis, quæ à tota Christiana Republica exulabat, reconciliatione, vt non minùs necessarius fuisse videatur illi suæ calamitosæ tempestati, quam olim glorioſissimus Doctor Augustæ tati suæ Pelagianorum hæresi contaminatæ:

Neque vero eximius iste Doctor Christianissimus rite nuncupatus insitæ gentilibus suis in Iberos beneuolentiæ expers fuit, cum enim præposteri quidam de S. Vincentio Ferrerio genere Hispano tunc fetuentissimo per Gallias diuini verbi præcone rumores spargerentur, tantusque vir ob reprobatam se flagellãtium sectam, quam nec approbabat quidem, sed nec efficaciter reprobabat, calumniam pateretur, Gerson quo tanti viri honorem saluum & incolumem tueretur, Generalem totius Prædicatorum ordinis Magistrum adiit, vt de Vincentij vita, moribus, scientia, totaque viuendi, agendique ratione (de quibus varia, atque nullo modo sibi cohærentia loquax nimium fama spargebat) certior factus, ac plenissime informatus, populos siniſtra de sanctissimi viri virtutibus ac talentis ipsi à Deo concessis opinione imbutos dedoceret, eosque de vera serui Dei sanctitate, diuinaque prorsus sapientia probe instructos, ad debitos ipsi honores deferendos concitaret:

Idem Hisp. amicus S. Vincent. Fer. honorem tutatus, eiusque nimium in confutanda Flagellant. secta teporem accendit.

Neque vero Eximius Doctor hac laudabili in magni negotio momenti diligentia contentus exstitit; pulcherrimam ad eum scripsit Epistolam, cuius initio postquam in Apostolici viri laudes excurrit, tum sancti Pauli Gentium Doctoris exemplo eum hortatur, vt doctrinam suam quamuis sanam & orthodoxam, Patrum tamen, & Doctorum illo tempore in Ecclesia florentium, Constantiæque in generali Concilio adunatorum iudicio quamprimum subiiceret, quemadmodum Apostolus, qui licet prædicationem suam esse secundum Deum certus esset, nihilominus vt infirmis

condeſcenderet, auctoritatemque apud nationes maiorem doctrinæ ſuæ conciliaret, in Hieruſalem deſcendere & cum Apoſtolis collationem habere voluit; Placet hic magni Cancellarij Epiſtolam ſuæ erga Hiſpanum, illuſtremque omnium ſententia Concionatorem Chriſtianæ charitatis, intimæque beneuolentiæ, ac non vulgaris tanti viri æſtimationis teſtem ſubiicere:

Nominatiſſimo Doctori & Prædicatori zelanti ſalutem animarum Magiſtro Vincentio de ordine Fratrum Prædicatorum, patri meo in Chriſti charitate dilectiſſimo: Tanta de virtutibus tuis doctor egregie fama referente crebrius accepi, tanta ſpecialiter in collocutione familiari cum reuerendo patre Domino Generali tui ordinis prædicatorum agnoui, vt mihi videaris recte figuratus ſecundum nomen tuum per illud Apocalypſis, quo ſpeculator totius Eccleſiaſtici decurſus Ioannes ait: vide & ecce equus, & qui ſedebat ſuper illum habebat arcum, & data eſt ei corona, & exijt vincens vt vinceret: Exiſti quidem vt vinceres, ô Vincenti glorioſe, ſed quales tu vinceres, qua ratione, quibus armis, quo apparatu bellico, quali arcu tu tandem ipſe coronatus triumphares? reſpondet ille cuius es imitator Paulus dicens: arma militiæ noſtræ non eſſe carnalia cum reliquis ſimilibus, qualia melius ipſe noſti: Et poſt pauca *: reddunt tuæ charitati tuoque zelo pacis Eccleſiaſticæ teſtimonium hoc inſigne, quod inclyto Aragonum regno nunquam fuiſſent concordata pacis capitula, numquam ſubtractio, quæ tam viriliter & legitime facta eſt ab illo nimis proh dolor! erga matrem Eccleſiam obdurato Petro de Luna, fuiſſet attenta, ſi non auctoritatis tuæ pondus & conſilij robur addidiſſes, cuius fauoris tam egregij nos ipſi ſacro generali concilio præſentes deſideratiſſimæ pacis annis iam fere 40 miſerabiliter exulantis fructum & reditum proximum expectamus:*

En quomodo ex abundantia cordis os magni Cancellarij loquatur, nihil aliud adeo ipſi erat in votis, quàm exulantem tot ab hinc annis Eccleſiæ pacem, tranquillitatemque poſtliminio reuocare, pro felici cuius euentu tot itinerum difficultates ſuperarât, totque labores pacificandis de ſummo & vero Eccleſiæ capite digladiantium animis generoſa conſtantia

stantia passus fuerat, cumque S. Vincentium Aragoniæ regno pacis serenitatem restituisse, pulso antipapa discordiarum omnium fonte, accepisset, miris exultauit gaudiis, nec intra pectoris sui angustias tam sinceræ lætitiæ ardorem continere amplius potuit, vnde subito exiliens ad Sancto prædicatori gratulandum erupit, ipse namque D. Augustini mentem assecutus, tantum esse bonum pacis apprehenderat, vt eiusdem in Aragonia authorem, publicæque felicitatis arbitrum summis in cœlum laudibus efferendum merito censuerit:

Sed pergit magnus ille Doctor in Epistolæ decursu sancto viro intimi sui ex legitima veri Summi Pontificis in Concilio electione gaudij signa pandere, *Et ô te felicẽ*, inquit, *ô te terque beatum, si præsentialiter adesses, si non auditu solo, sed propriis oculis coram cernere volueris propinquam velut in ianuis summi Pontificis electionem, si videlicet efficaci celeritate, si positis interim turbis, iucundam tuæ præsentiæ faciem huic eidem sacro Concilio conspiciendam attuleris; fructum (nisi fallor) ampliorem, & te tuisque moribus digniorem afferres, quam si hoc neglecto permanseris in incæptis.*

Post hæc de conseruando sanctissimi viri honore sollicitus, D. Pauli Concionatorum omnium coryphæi exemplum ipsi proponit ante oculos, quo doctrinã licet à Christo per reuelationem immediate acceptã Hierosolymam veniens Apostolorum iudicio subiecit, ita ipsum hortatur, vt Constãtiam, in qua Patres ad Concilium Doctoresq; ex omni parte celeberrimi conuenerant, appellens, cũ Episcopis & Doctoribus illic degentibus, de sua docendi methodo, deq; quam populis ministraret doctrina, singulari demissione animi conferre nequaquã abnueret: *Memneris*, inquit, *B. Pauli ad Galatas scribentis: deinde, ait, post annos* 14. *ascendi Hierosolymam cum Barnaba & Tito, & contuli illis Euangelium quod prædico in gentibus, seorsum autem his qui videbantur aliquid esse, ne forte in vanum cucurrerem, aut currissem: hoc satis pro tua re tibi dictum puto: Est siquidem apud nos altera velut Hierosolyma, sunt Apostolorum Successores Reuerendissimi, & Deo amabiles Prælati; sunt legis Doctores, cum quibus tuam ipsam Prædicationem conferre*

tam ſalubriter quam humiliter poteris: Crede mihi doctor emerite, multi malta loquuntur ſuper prædicationibus tuis, & maxime ſuper illa ſecta ſe verberantium, qualem conſtat præteritis temporibus fuiſſe pluries & in variis locis reprobatam, quam nec approbas, vt teſtantur noti tui, ſed nec efficaciter reprobas; Iactantur inde vary rumores per populos, & apud nos, quorum multa, etſi neque vera, neque credenda cenſeantur ab illis qui te norunt, nihilominus exemplo Pauli, qui per reuelationem certiſſimus erat prædicationem ſuam eſſe ſecundum Deum, voluit propter condeſcenſionem ad infirmos, propter authorizationem inſuper pleniorem per Apoſtolos deſcendere in Hieruſalem, & collationem habere cum Apoſtolis: ſic agere placeat Nominatiſſime Magiſter ac domine, ac interim bene vale:

Quis non videat Hiſpanicæ gentis honori hac Epiſtola ad Sanctum Iberici ſoli fructū inſignē ſcripta ab Vniuerſitatis Gallicanæ Cancellario omni ex parte conſultū? magni enim intereſt ad conſeruandū gentis cuiuſpiā honorē, ſi homines ex ea oriundi doctrinæ ac ſanctitatis fama præſtantes, eluſis maleuolorum calumniis, non modo à priſtino dignitatis gradu non deiiciātur, ſed & maiorem apud populos æſtimationem, necnon venerationem conſequantur; Et hoc ipſum fuit Galli hominis nempe Ioan. Gerſonis erga S. Vincentium Heſperij ſoli ſidus beneficium, quo Sanctiſſimo huic prædicatori perſuaſit, vt quamprimum Conſtantiam adiret, vbi probata ipſius à Patribus doctrina, vitæque ſanctimonia impoſitas ſibi calumnias deterſit, auitamque ſuæ gentis, ſacrique ordinis famam, ſplendoremque, ſaluum, & incolumem conſeruauit.

Sed iam nos ad ſe reuocant Cluniacenſes, quibus, antequam Petrus venerabilis eorum Abbas in Hiſpanias ſe conferret, Iberi plurimùm addictos ſeſe obſtrictoſque profitebantur; cum enim Alfonſus, Toletana vrbe ex Mauris

Circa ann. 108. erepta, de creando illic antiſtite deliberaret: *Omnium communi ſuffragio*, ait Mariana, *delectus Bernardus S. Facundi Abbas; ſuauiſſimi & optimi mores, præſtantiſſimum ingenium, opinio doctri-*

Lib. 9 c. 6. *næ, ſpectata magnis & multis in rebus integritas animi, prorſus vt illuſtre exemplum veteris ſanctitatis referret, gentis voluntates*

tes homini externo & in Gallia nato conciliarunt ; ab Hugone Cluniatensi ad Alfonsum Regem in Hispaniam ablegatus fuit: Considera, quæso, recentem Hispanum scriptorem in commendanda Galli hominis ad Hispanæ Ecclesiæ Primatum euecti pietate, doctrina, solertiaque plurimùm immorari, adeo vt hominem ad instaurandam iuxta florentissimæ illius Ecclesiæ prisca tempora morum disciplinam aptissimum eum appellet ; nec immerito quidem ; nam haud aliter præclarus iste rerum Hispanicarum scriptor se gerere potuit, nec nisi honorificam de Gallo homine primaria regnorum suorum insula cohonestato mentionem facere potuit, qua in re Decessorum suorum vestigia terere calluit, qui tantum de Gallici huiusce viri præstantia, insignique virtute præ se ferebant opinionem, vt posthabitis omnibus Hispaniarum indigenis, doctrina cæteroqui ac sanctitate conspicuis, ad Francico ortum genere Abbatem oculos animosque conuerterint, vt eum primaria inter Ecclesiasticas dignitate communibus votorum suffragiis cohonestarent:

Neque vero hoc Constantiæ Reginæ ex regio Gallorum sanguine ortæ gratia duntaxat, studioque factum arbitremur, communi enim Cleri populique consensu, quorum omnium voluntates animosque optimi viri pietas ad se allexerat, tantum conscendisse honoris apicem ipse Mariana testatur: Quantum igitur, ô Toletana Primaria sedes, à Gallicanis Præsulibus disciplinæ splendorem, quantam sinceræ fidei claritatem, Ecclesiasticumue, quo mirifice fulges, decorem maxima ex parte tibi nonnumquam restitutum merito profiteri debes, vtpote quæ lucidissimam, quam ab omnium Antistitum ruorum primo, vel certe secundo Eugenio Galliarum Apostoli, Parisiensisque Episcopi Dionysij alumno suscepisti Ecclesiasticæ disciplinæ claritatem, post instauratam regiam vrbem, atque ab Alfonso Hispaniarũ Rege acquisitam, à Gallo itidem Antistite tibi feliciter ac copiosius reddi conspexeris: Huc accedit quod istius Galli studio Hispaniarũ Primatis titulũ obtinueris; Is enim Romam profectus

ctus, & ab Vrbano II. Summo cum honore ſuſceptus, Primatus per Hiſpanias ampliſſimum Eccleſiæ ſuæ titulum ab eo impetrauit:

Menolog. Benedict. 2. Aptil. Io. Martian. & alij.

Idem etiam Regis & Rom. Pontif. conceſſione, eiuſdem Eccleſiæ ditionem latiſſime propagauit, *eoque nomine*, vt ait recens atque accuratus Menologij Benedictini compilator, *cum de regno, tum de ſucceſſoribus Archieſpicopis æternũ meruit, cultum diuinum mirifice propagauit, eaque inter ſtudia & immortalia merita quatuor & quadraginta fere annis Eccleſiæ præfuit, regnis profuit, mundum illuſtrauit, mortuus demum anno Chriſti 1128. acclamantibus, dum funus curaretur, vniuerſis; Cur nos pater deſeris? tantum omnes tanti viri deſiderium, eoque ſublato luctus intolerabilis aduſit:*

Audite Toletani ciues, Voſque, Galli licet hominis, veſtrûm tamen omnium amantiſſimi Paſtoris ac patris filios per Euangeliũ ab eo Chriſto genitos agnoſcite; In hac veſtra recèns icta cum Gallis perpetui, vt ſperatur, fœderis inſtauratione, ipſorum gentili, optimoque parenti veſtro plaudite, eius deniq; ſuffragia in Baſilica ab eo conſtructa inſtantiſſimis expoſcere votis nũquam omittatis; vt quemadmodum ipſe feſtum Dominæ noſtræ de PACE quondam inſtituit, ipſoque etiam nomine inſignem Baſilicam ædificauit, ita pacis nuper vos inter filios, ac Gallos conciues ſuos feliciter initæ incrementa, perennemque in poſteros firmitatem, ad veſtram, ſuæque gentis tranquillitatem, fidei perduellium terrorem, totiuſque orbis felicitatem à diuini Numinis clementia obtinere dignetur.

Martyrol. Hiſpan.

Iſtius autem præclariſſimi viri ad Toletanam ſedẽ ordinatio Gallicanæ Eccleſiæ adeo feſtiui gaudij ſuppeditare materiem viſa eſt, vt peculiare in ea feſtum ſub die decima nona decembris ſingulis annis fuerit inſtitutum, de quo Gallicani Martyrologij commentator hanc honorificam ad dictum diem facit mentionem: *Ipſo die S. Bernardi Archieſpiſcopi Toletani, qui Gallus origine, &c. Toleto ciuitate de Maurorum tyrannide ab Alfonſo VI. Rege Caſtellæ & Legionis recuperata, eodem rege petente primus Toletanus Archiepiſcopus & Hiſpaniæ Primas ab Vrbano Papa ſecundo Cluniaci*

quo

quoque alumno creatus hac die anno milleſimo nonageſimo quinto, Rege, Regina, proceribus, ac vniuerſo populo præſentibus, eiuſque electionem approbantibus communi gratulatione, qua cum inauguratum illum viderunt Pontificem, Chriſtum antea exulem ſibi reducem datum cernere cenſuerunt. Anno 1095.

Itane Gallicana Eccleſia de Toletani iſtius Præſulis electione gauiſa eſt? itane communis Iberæ gentis, cui optimus Paſtor præficiebatur, emolumenti ac felicitatis participem fieri concupiuit, vt non eius fauſti in cœlum Natalis diem, vti aſſolet, qui tertia Aprilis die contigit, ſed eiuſdem ordinationem ſingulari memoria celebrare decreuerit? Quod factum mihi ſtudioſius annotanti, facultas, ni fallor, aſſerendi concedetur, videlicet haudminùs vniuerſam Galliam de Bernardi ordinatione in Toletanum Archiepiſcopum hac inſtituta ſolemnitate lætatam fuiſſe, quam Roma, totuſque Catholicus orbis de magni Gregorij in ſummum Pontificem inauguratione exultauerit, cui pariter in Romano Martyrologio peculiaris dies eſt aſſignata, qua Fideles pro tanti viri ad ſummum Apoſtolatum euectione ſingulis annis omnipotenti Deo deuotiſſimas agerent gratias.

Neque mirari ſatis poſſum, quod Gallicani Patres feliciſſimi huiuſce tanti Præſulis ad cœlos tranſitus peculiari die, ſicut de cæteris fieri conſueuit, nequaquam meminerint, eiuſdem vero ad Hiſpanos acceſſus, & in Toletana ſede inaugurationis memores ſolemnem die ipſi aſſignato feſtiuitatem inſtituerint, tanta enim gaudij, atque vberrimi fructus ex iſtius antiſtitis aſſumptione profecturi Iberos inter ac Gallos interceſſit communicatio, vt iſtius ſolummodo ordinationis in Gallicana Eccleſia memoriam fieri mandarint, propterea Chriſtum veluti ab ipſis exulem, modo in iſto optimo Præſule reducem eiſdem datum haud temere aſſeritur: Enimvero rem Eccleſiaſticam mirum in modũ auxit, Apoſtolico zelo, vt alias diximus, ad profligandam Maurorum impietatem, flagrauit, exemplis, ac ſaluberrimis monitis permultos ad viam veritatis adduxit, quæ omnia vt in commiſſi ſibi gregis gratiam feliciter perageret, ex

Gallia cum rediret, nonnullos in Hiſpanias viros traduxit, qui præcipua eruditionis & probitatis laude conſpicui effulgebant; *Quos honoribus in præſenti*, tradit Mariana, & opimis Sacerdotiis auctos virtus conſequenti tempore ad *maiora promouit:* Gerardum videlicet qui mox Toletanus Primicerius creatus fuit, Petrum quem Biturici natum ex Archidiacono Toletano Vxama Pontificem habuit; vtrumque autem vitæ ſanctitas, animique candor cœleſtium numero inſeruit, de quibus, aliiſque ſeptem mox fuſiùs agemus.

Lib. 10. c. 3.

Viden, ô Toletana Hiſpaniarum Primas, quantum tibi Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſplendorem Gallia contulerit, poſtquam à Mauris erepta, Catholiciſque Iberis tradita fuiſti, ô quantum iſtorum ſtudio Gallicanorum, doctrinaque illuſtrari meruiſti! Archiepiſcopum, necnon Primicerium, & Archidiaconum ex Gallia oriundos vno atque eodem tempore miræ eruditionis ac ſanctimoniæ laudibus inſignes habuiſti, quos ſane præcipuos eximij tui ſplendoris, ſacræque diſciplinæ inſtauratores continuo prædicare, atque in hac noua potiſſimum firmata cum Gallis confœderatione venerari, ſummiſque laudum præconiis celebrare non deſinas.

Anno 1118.

Quantum vero Toletani ciues optimi Antiſtitis ex Gallica orti progenie adminiſtrationi acquieuerint, ex eiuſdem ſucceſſore ipſi in illa ſede communibus ipſorum votis ſuffecto coniicere licet; hic Gallus item fuit, quem Bernardus in Hiſpanias ſecum adduxerat, Raymundus nomine, qui tunc Vxamenſis Eccleſiæ Præſulatum regebat, cui quidem Hiſpanica regna inter cætera ſeſe in hoc potiſſimum obſtricta eſſe profitentur, quod nimirum D. Eugenij corpus in Galliis tunc aſſeruatum à Franciæ regibus impetrari curarit, de cuius ſolemni tranſlatione nos ſequenti capite fuſiùs: Interim gratiſſimam, Lector, Toletani Cleri ciuiumque omnium erga Bernardum licet è viuis ſublatum mẽtem vnà mecum expende, quippe qui diuturnum, quadraginta ſcilicet annorum, quibus ipſis præfuit, externi hominis regimen non modo non ægre tulerint, ſed & ipſius diſcipulum

itidem

itidem Gallum Primariæ illi administrandæ Sedi successorem vltro destinarint:

Annon gratiosa huiusmodi electio amantissimi meritæ Præsulis in omnium subditorum cordibus insculpta demonstrabat, quod ipsummet in suo alumno sibi longiori temporis interuallo præesse summis votis exoptarint: Adde quod defuncto Raymundo cum Ioannes quidam Segobiensis eam rexisset Ecclesiam, hoc ipso ad Deum migrante Toletanos ad Gallum iterum oculos animumque conuerterint, tanti apud eos Gallicanorum Præsulum valuit auctoritas, vt ab iis regi præ cæteris ambierint;

Verum antequam ad reliquos Bernardi alumnos in Hispaniam è Gallia traductos sermonem conuertamus, operæ pretium fuerit nonnullos alios, de quibus Toletana Ecclesia gloriatur, ex Gallia oriundos Præsules hic breuiter recensere: Adelphus primum sese nostris spectandum oculis proponit natione Gallus ex Metensi Mediomatricum Lotharingiæ vrbe ducens originem, qui Legatus in Hispaniam missus ad Leovvigildum Hispaniarum, Gothorumque Monarcham, Legatione feliciter gesta, in Cœnobio regali Toletano Agaliensi mundum despiciens Monastico indui habitu voluit; Vbi Christianæ perfectionis, virtutumque omnium exemplar factus, post Exuperium illius loci Abbatem ad Toletanam sedem promotum, ipse Abbatiali cohonestatus dignitate fuit, cui tandem in Toletanæ Ecclesiæ præfectura successit; *Nam Reccaredus Adelphi doctrinam, zelum, prudentiam, & sanctitudinem non tantum agnoscens, sed etiam expertus, ad eam supremam Hispaniæ dignitatem euehere destinauit: Igitur vir Dei supra montem Toletanæ celsitudinis positus, vt splendor eius virtutum longe lateque feliciter emicaret, protinùs in diuini cultus obseruantia, Clericorum perfectione, sacularium reformatione, fidei Catholicæ gloria animum applicuit:* ita de Gallo homine Toletanæ sedi præfecto Hispanus auctor loquitur, paucis plurima tam præclari antistitis gesta complectens, in quorum coronidem Concilium subiicit eius studio Toleti coactum, in quo plura ad rei Catholicæ

Circa Ann. 593.

Martyrol. Hispan. 19. Aug.

augmentum, Ecclesiæque disciplinæ amplificationem sancita fuere.

Porro quæ de Bernardi alumno, eiusque in Episcopatu successore modo diximus, eadem retexere nunc cogimur; tantus si quidem in hunc externum licet præsulem amor ac deuotio in Toletanorum Patrum animis viguisse dignoscitur, vt eidem Gallum conciuem, eiusque antea in monasterio Agaliensi Comitem suffecerint; is autem Venantius fuit huius nominis primus, qui postea apud Dalmatiam glorioſissimi martyrij palmam obtinuit: Non desunt qui Bonitum etiam Claramonti in Aruernis natum Toletanorum Præsulum catalogo post Sanctum Eulogium adscribant, quod tamen pro certo affirmare vereor, attamen ex hoc Iberos Gallorum Pontificum regimen adeo affectasse possumus merito argumentari, vt quod Gallici aliique scriptores reticent, ipsi remota omni dubitatione illud pro certo affirment, & sic plures Gallicanos Præsules suos facere, necnon ad se allicere propensissimis animis studeant.

Martyrol. Hisp. 1. Aprilis. An. 861.

Hæc autem omnia si adnectantur iis, quæ superiori capite retulimus, cum de primariæ huiusce Hispaniarum Ecclesiæ fundatione, seu instauratione fusius disseruimus, quis aperte fateri vereatur Toletanam Sedem Francorum studio, ac regimine plurimum illustratam; ac per multos annos mirificum è Gallia splendorem suum mutuatam? Quare vos potissimum Toletani cleri florentissimi Patres vestras esse partes arbitremini, vt cæteras Hesperij regni nationes de auita ipsas inter & Gallos societate diligentiùs in posterum conseruanda feruentissimis quibusque verbis adhortemini, vt quam à Francis Præsulibus opem, doctrinam, atque suauem gubernationem olim maximo vestrarum gentium emolumento ac decore excepistis, modo iisdem in confirmanda Regum populorumque vestrorum cum ipsis beneuolentia continua grati animi pignora exhibeatis.

An. 1100. Martyrol. Hisp. 2 Aug.

Iam vero ad reliquos Bernardi Toletani Antistitis Gallicos alumnos reuertamur; quorum primus Petrus Bituricen

censis, eiusdem, vt aiunt, secundum carnem nepos, in Toletani Archidiaconatus fastigio collocatus nihil de rigore monastico remisit; vix à templis diuelli poterat, nisi quando vt officij sui partes expleret, iudicialibus ministeriis, negotiisue vacabat: *Tanta igitur*, Hispano teste, *sancti viri virtutum fama per omnium ora delapsa percrebuit, quod regem, Archiepiscopum, Clerum & populum in profundam admirationem illustrium facinorum frequentia raperet:* Cum igitur de absolutis huiusmodi Ecclesiasticæ disciplinæ exemplaribus vobis, ô Hispani, ex Gallia traditis, deque tantorum hominum sanctitate, quæ apud vos mirabiliter effulsit, iure gloriemini, hinc ad conciliandos cum Francica gente vestrum omnium animos, si cætera quæuis deficerent, validissimum suppetit argumentum.

Vxamensi vero vrbe de Saracenorum manibus erepta, cum de Pastore protinus deligendo disceptaretur, primus in omnium mentes Petrus incidit, qui licet oblatum respuerit dignitatis onus, Archipræsulis tamen, regiisque placitis acquiescere coactus fuit; Quæ autem pro Fidelium incolumitate, ac Ecclesiæ tuendæ iuribus pluries passus fuerit, adeo vt maximum aliquando vitæ discrimen adierit, apud Gallicos auctores, imo potius apud Iberos, in pertractandis Francorum apud ipsos gestis accuratissimos perlegi commodius poterunt.

Alter Bernardi Toletani Archipræsulis Gallicus comes fuit Gerardus Mosiaco, qui post Primiceriatus dignitatem Toleti summa omnium laude administratam, ad Braccarensis Præsulatus Cathedram sublimatus fuit; Accessit & tertius Hieronymus scilicet Petragorius, qui ad Valentinæ Ecclesiæ curam, ea vrbe à Maurorum imperio primum erepta, deputatus fuit, qui deinde ad Salmanticensem transiuit Episcopatum, vir sanctitate, & miraculorum gratia illustris; de hoc transitu nullum apud Marianam verbum, attamen in illius Ecclesiæ Episcoporum catalogo decimus nonus adnumeratur. *Anno* 1115. Io. Mariana l. 10. c. 3. Martyrol. Hisp. 13. Maij.

Petrus alter ex Gallia cum aliis Hispanias adiit, qui ex Toletano Archidiacono Segobiensis Pontifex renunciatus Idē loc. cit.

à Mariana dicitur; necnon Petrus alter, qui Palentinæ Eccleſiæ præfectus fuit; Bernardus item ex Primicerio Toletano; Burdinus denique Lemouicenſis ciuis, qui ex Toletano Archidiacono Conimbricenſis Epiſcopus, ac poſt modum Braccarenſis, tandem Pſeudopontifex Romanus; *Seque indignum*, concludit Mariana, *excellentium virorum*, qui *Bernardum proſecuti ex Gallia erant*, *numero & comitatu eſſe declarauit*.

En tibi, Lector, decem clariſſimi viri è Gallia oriundi eadem fere ætate primariis Hiſpaniarum Eccleſiis præfecti, rem ſimul Chriſtianam penes Iberos ardentiſſime promouentes; Sed quàm copioſam, amabo, ſegetem eorum aſſiduo labore in illas terras effuſam, ſtudioque incredibili ad Chriſtianæ Reipublicæ felicitatem, necnon Catholicæ Fidei incrementum per illas vaſtiſſimas regiones excultum, in immenſos glorioſæ meſſis aceruos excreuiſſe credendum eſt? Quis vnquam ſumma licet dicendi facundia præditus verbis exprimere queat ſaluberrima æternæ ſalutis monita Iberorum populis à præſtantiſſimis hiſce Paſtoribus perhumaniter exhibita? quis digna oratione complecti poſſit indefeſſos ipſorum conatus in illis partibus pro ſtabiliendis Eccleſiæ diſciplinæ regulis alacri mente impenſos? quis denique ſacra Patrum Concilia ab iis ad morum reformationem conuocata, aliaque plurima à tantis viris, quorum plurimi in album ſanctorum referri meruere, digniſſima officia perenni gregum ſuorum ſaluti indeſinenter exhibita in medium producere poſſit.

Pergite igitur, ô Hiſpani, vt ſemper feciſtis, Paſtores iſtos, veſtrarumque Epiſcopos animarum debita proſequi veneratione, eoſque iam cœlo potitos, veſtræ tamen ſalutis non minus quam olim in terris, imo longe magis ſollicitos veſtris fatigare votis, ſanctaque precum veſtrarum, vt ſic dicam, importunitate laceſſere non dubitetis; & vos ſolliciti quondam ex Gallia progeniti Iberæ gentis Paſtores animos, oculoſque in cariſſimas oues veſtris Chriſto acquiſitas ſudoribus demittite; Voſque, ô lectiſſimi greges, nullas aut ſaltem rariores in veſtris regnis Paſtores inter exti-

tiſſe

tisse rixas ac contentiones intelligite, mutua quorum vigilantia vtraque gens ardentissimis votis regi peroptabat, necnon insitæ vtriusque gentis populis concordiæ beneficio, consonus plane oues inter ipsas ac Pastores animorum consensus vigebat: ad huius ergo firmitatem ac robur in hac nouissima amborum regnorum confœderatione auiti memores commodi vestri, profectusque ex alterna inter vos communicatione mirum in modum propagati validissimis argumentis excitemini.

Quamuis autem Hispanicæ Ecclesiæ facies variis in locis prædictorum Patrum splendore collustrata, fidei, pietatisque radios ad totius pene orbis miraculũ effuderit, non minorem sequẽtibus itidem tẽporum interuallis claritatẽ è Galliis à se mutuatã profitetur, quo venustior vbiq; appareret; Maiora siquidẽ Gallorũ in administrãdis Hispanorũ Ecclesiis studia nobis hic in mediũ adducenda supersunt, ex quibus maiorẽ de antiqui istius inter vtramque nationem commercij & societatis connexione opinionem singulis efformare licebit.

Seguntinam gubernauit Ecclesiam quinto post Christum sæculo S. Sacerdos ex Gall. Lugd. Præsul ad Athanagildũ Legatus, qui in Hispanias appellẽs ab ipso rege illius sedis rector destinatus est, de quo alibi: in Domino obdormiuit *An.* 570. Cerebrunus etiam, qui postea ad Toletanam, vt diximus Metropolim translatus est, decimustertius Seguntinæ Ecclesiæ Episc. fuit, quem & Gallum Pictauiensem fuisse vetera monumenta tradunt, fuitque Regis Alfonsi VIII. magister. Ex Catal. Episc. Seguunt.

Gerundensis in Catalonia Hispaniæ prouincia Celebris admodum Ecclesia vndecimũ numerare gestiit Antistitem suum Canonicum quemdam S. Mariæ Puigensis in Gallia, cuius nomen licet ignoretur, eius tamen memoria nequaquã periit, nam sacri illius Ecclesiæ fasti ipsum Caroli magni tempore electum fuisse memorant, plurimamque nauasse operam vrbi Episcopalis suæ dignitatis sedi à graui Saracenorum iugo soluendæ, quod felici euentu contigit; De hoc potissimum Antistite legitur, quod post Hispanicum excidium primus Gerundensis Præsul inueniatur, qui fraternitatem, societatemque inter Gerundensem & Ex Catal. Episc. Gerund.

Puigen.

Puigensem Ecclesias instituerit, ita vt fraternitatem istam beneuolis vicissim vltro citroque præstitis officiis conseruarint; ipse vero anno Domini 798. diem clausit extremum.

Dertusanæ sedi pariter in Catalonia præfectus fuit 15. Episcopus Gaufridus huius nominis primus, Abbas diu Monasterij S. Andreæ Auenionensis in Gallia qui septem primos Canonicos secum adduxit, obiitque anno 1165.

Ex Catal. Episcop. Vrgelit.

Inter cæteras autem in eadem Catalonica ditione Vrgelitanæ Ecclesiæ Præsules quadragesimum septimum obtinuit locum D. Aprilis natione Gallus, qui vnus ex insignioribus illius Sedis Episcopis absque controuersia fuit, nam frequentes Synodos celebrauit, quibus sacras Patrum Constitutiones dispositit, omniaque ad diuinum cultum necessaria ordinauit, atque aduersus Ecclesiasticarum rerum detentores censuras Apostolico zelo munitus fulminauit; sed mors nimium præceps cito tantum lumen extinxit anno 1269. Quinquagesimus eiusdem Ecclesiæ Antistes renuntiatus fuit Nicolaus de Bresse S. R. E. Cardinalis Clementis VI. Pont. Max. ex Francia pariter orti nepos, de cuius obitu authores inter se discrepantes reperi.

Ex Catal. Episc. Ouet.

Ouetensium Episcoporum Catalogo insertus legitur 30. loco Fredolus huius nominis primus origine Gallus, qui ex Legato Gregorij X. summi Pontificis ad eam sedem euectus fuit, in qua per multos annos suo munere perfunctus egregie, tandem anno 1277. in pace quieuit. Quadragesimum vero quintum eadem Ecclesia reuerita est Præsulem Guillelmum istius nominis primum natione Gallum cognomento de Monteviridi, qui sedis suæ iura aduersus regionis illius proceres strenue defendit, viuendi finem fecit anno 1402.

Ex Catal. Ep. Pampilon.

Pampilonensis Præsul 28. qui & Rothensis, quidam Petrus fuit Francici item soli propago inclyta, qui fato cessit anno 1115. Eadem Pampilonensis sedes habuit Sperangum antistitem regia Gallorum stirpe illustrem, qui anno 1211. decessit: Huic successit Guillelmus II. ex eadem regione ortum ducens:

Conchensis

Conchensis Ecclesia inter cæteras Hispaniæ conspicua Antistitem genere Gallum habuit Odonem huius nominis primum, qui inter illius Sedis Præsules decimo octauo annumeratur loco; Ecclesiam suam ornasse muneribus antiqua eiusdem monumenta testantur, anno vero 1336. vitam cum morte commutauit.

Segobricensis Ecclesia in Celtiberia Hispaniæ habuisse rectorem gloriata est circa annum Domini 1358. Heliam huius nominis primum origine Gallum Petragoricum ab Innocentio VI. Auenione electum. Ex Catal. Episcop. Conchens.

Brugensis sedes habuit decimum suum Episcopum Matthiam huius nominis primum Galliæ prolem, qui ante Conchensis Pastor extiterat: Anno 1207. migrauit ad Dominium; Alterum quoque ex Francia natum agnoscit Antistitem Mauritium huius nominis primum, qui coram Ferdinando Rege, & Alfonso Castellæ Infante primum posuit lapidem in Cathedralis Ecclesiæ ædificio, quæ hodie inuisitur. In Catalog. Episc. Brugensium.

Compostellana Ecclesia toto orbe famosissima à Dalmatio huius nominis primo, Episcopo XV. mirifice illustrata fuit, qui Gallus genere ac monachus Cluniacensis vnus ex illis fuit, quos S. Hugo in Hispanias direxit; Concilio Claromontano interfuit, cui Cathedralis Ecclesiæ Irienſis ad Compostellanam translatio commissa fuit: eius vero memoria ad annum vsque 1096. peruenit: Alterum quoque agnouit Cluniacensem ex Gallia, vt dictum est, in Hispaniam à Bernardo Toletano Archipræsule deductum, Bernardum itidem nomine, qui post Seguntinensem Præsulatum ad Compostellanam regendam Ecclesiam transiuit, vt Mariana refert: Berengarium quoque Dioecesis in Gallia Ruthenensis fructum ordinis Prædicatorum Generalem Ioannes XXII. Compostellanum instituit Pastorem, quam ipse morti proximus dignitatem acceptasse multum doluit; Hic Legationem obiit, ab ipso Pontifice in Castellæ regnum directus, ad Conciliandos Ferdinandum & Alfonsum fratres de regni possessionibus contendentes, tantæ etiam apud Iberos homo Gallus non modo Ex Catalog. Episc. Compost. loc. cit.

in Ecclesiasticis, sed & politicis rebus erat auctoritatis; ad extremum glorioſis confectus laboribus ex hac vita ad meliorem euolauit.

Anno 1325. Maxima ſuſpenſus admiratione mihi hærere videris, beneuole Lector, dum à tot Gallicanis Præſulibus primarias Hiſpaniarum Eccleſias gubernatas fuiſſe intelligis, ex quo intimam inter vtrumque regnum ſocietatem, ac neceſſitudinem omni fere ætate excultam merito admiraris; Nondum tamen huiuſce gentis Præſulum Catalogum, qui Hiſpanias doctrinæ ac ſanctimoniæ radiis illuſtrarunt, abſoluimus, haud imparis tibi materiem admirationis ex nunc dicendis ſubtexemus.

Martyrol. Hiſp. 21. Iunij, & Gallicanum. Quem non delectet honorifica ſancti Raymundi memoria, qui regali ac Conſulari parentela in Toloſana Diœceſi mirum in modum claruit? hic apud inſignem S. Antonini Apamiarū de Fredelacio Baſilicū Canonicus regularis effectus, poſtea Toloſanæ Prior Eccleſiæ conſtitutus fuit: Pontio Barbaſtrenſi Præſule è viuis ſublato, Canonicis Rotenſibus, ad quos, vtpote regulares, illius ſedis Antiſtitis nominatio pertinebat, vnanimi omnium conſenſu Raymundus Paſtor fuit acclamatus: igitur à Petro Rege ſub alia occaſione, & de Pontificatu penitus ignorans, vocatus cum accedere detractaret, Rex interim è viuis exceſſit; verum Canonici Barbaſtrenſes ardentiſſimo Paſtoris ſui videndi ſtudio inflammati, Ildefonſum demortui Regis fratrem regni gubernaculo potitum exorarunt, vt Raymundum ad deſtinatam ſibi ſedem accedere cogeret; Et quamuis moleſto ferret animo tale onus ſubire, Paſchalis II. Pon. Max. iuſſu aduenit, atque à Bernardo Toletano Primate, Legatoque Apoſtolico eſt ordinatus.

Quam vero enixe, quamque ardentibus votis illius ciuitatis incolæ Galli hominis regimen, imperiumque ambiuerint, hinc patet, quod Regem Petrum ad obtinendam de ſumma ipſius benignitate tantam gratiam deprecati, nouam eius fratri Idelfonſo in regem ſuffecto, ipſique Summo Hierarchæ Paſchali Legationem deſtinauerint, quominus expreſſo ad Sedis ſuæ adminiſtrationem mandato ipſum cogerent

gerent; acceſſit tandem ſuis diu ab ouibus Paſtor expetitus; *Annoſque viginti & amplius Paſtorale onus* (ita Gallicanus in Hagiologij Supplemento ſcriptor aſſerit) *præſtanti virtute ſuſtinuit; Diœceſim ſedulo viſitauit, oues Domini verbo & opere paſcere non ceſſauit.* Martyrol. Gallic.

Stephani vero Oſcenſis Epiſcopi perſecutione, ſua deiectus Sede, ad Rotenſem Eccleſiam, quæ in Hiſpania citeriori ſita eſt, ſeſe contulit, vbi ad miracula vſque refulſit: Proceſſu vero temporis Agarenis Hiſpanias inuadentibus, Rex Ildefonſus, magna vti præditus erat animi alacritate, validiſſimo exercitu eos profligare decreuit; Raymundum igitur nota ſibi ſanctitate prædictum comitem in prœlio adduxit; *Vt ſe, atque exercitum ſuum roboraret diuinitus hortando, atque iuuaret frequenter orando:* Hoc in itinere penultimam ad vſque prouinciam, quæ Malaca nuncupatur, innumeris militibus fame ſeu algore variiſque morbis afflictis maximo pietatis ſenſu ſuccurrit, ac deinde Malacam deueniens, Catholicos contra Mohabitarum perfidiam ſtrenue roborauit; *Tandem*, ita Martyrologium Gallicanum concludit, *charitatis igne decoctus, miſericordiæ actibus ac affectibus totus effuſus, Oſcæ vbi aduenerat, ad afflictis fidelibus ſuccurrendum, morbo lethali correptus, in cinere & cilicio poſitus, felicem ſpiritum in cœlum emiſit.* Martyrol. Hiſp.

Sed iam mihi obſtrepentem ſentio Lectorem, quod in texenda tanti Præſulis panegyri nimiam traxerim moram, quam, vt ſpero, lubens ignoſcet, cum præſertim plura à Gallo homine in Iberorum gratiam geſta, quæ paulo fuſiùs memorauimus, noſtro ſummopere patrocinari videat inſtituto: Et certe ſi quis ardens Hiſpanorum deſiderium, quo tanti Antiſtitis regimen expetierunt, Ildefonſi Regis in illum beneuolentiam, adeo vt illum ſibi in prœlio comitem adiunxerit, labores pene innumeros ab eo exantlatos, vt militum Iberorum neceſſitati ſubueniret, vrgentioriue ipſorum animæ incolumitati prouideret, diligentiori ponderauerit animaduerſione, haud incongrue omnia fuſiùs deſcripta fuiſſe fatebitur; Ex qua in Hiſpaniis à Gallo viro geſtorum enumeratione propenſiſſimæ

inter vtramque gentem beneuolentia ſigna manifeſtius eluceſcunt.

Ann. 640. Martyrol. Hiſpan. 13. Octobr. Celebris eſt apud Iberos memoria S. Petri cognomento Iuliani origine Galli, ex Lemouicenſi Aquitaniæ ciuitate progeniti: Hic dum Hiſpanias peragraret, plurimos eruditionis in ſe reconditæ ſpirauit odores, adeo vt breui Metropolitanæ Braccarenſis in Gallœcia Eccleſiæ apicem concordibus omnium votis plauſuque conſcenderit: pluribus Conciliis interfuit, ac per ſeptem vel octo annos, quibus Braccarenſem rexit Eccleſiam, ita extirpandis hæreſibus, vitiiſque animum intendit, *vt omnium pater, & ſingulorum reputaretur magiſter:* Neque abſimile tanti Præſulis encomium apud Gallicanum auctorem reperies, qui de ipſo ſic ait: *Origine Lemouix facem virtutis & doctrinæ cæleſtis circumferens, Hiſpaniam Apoſtolicis ſuis fulgoribus illuſtrauit: quamobrem 42. Braccarenſis Antiſtes factus eſt, editiſque in hac Metropolitana Sede præclaris iuſtitiæ & pietatis ſignificationibus in cælum pro meritis ſuſceptus eſt:*

Circa An. 512. Alterum quoque ſuum facere Braccarenſes Paſtorem contendunt natione Gallum, Autbertum nempe, qui Coratildem Clodouei Frãcorum Regis filiam Amalarico nubendam in Hiſpanias duxit, ibique pedem fixit, adeoque ipſius doctrina, claritaſque virtutum effulſit, vt profuturo Braccarenſis Sedis Epiſcopo ad eam Eccleſiam regendam omnium ſuffragiis promoueretur; Ipſe autem plurimum in illis partibus contra Arianorum pertinaciam laborauit, nam Concilium hac de cauſa indixit, quo facta eſt à plurimis errorum abiuratio, & celebrata fidei confeſſio, licet nonnulli deinceps promiſſis non ſteterint:

M. Max. Chron. 568. Tranſmiſit quoque ad Hiſpanias Francia Vrſum origine Aruernum, qui poſt aſſumptum Presbyteratus gradum Iberos adiens, ad Pacis Auguſtanæ Sedis Cathedram ſuffectus eſt Antiſtes: quo in munere tanta in regendis ouibus vigilantia, tantaque ipſis frangendi ſanæ & orthodoxæ fidei doctrinæ panis aſſiduitate incubuit, vt regnante Leovvigildo pertinaci Arianæ hæreſis fautore illibatam in ſua Diœceſi fidem conſeruare omni contentione ſtuduerit, qua

quapropter plurima passus, tandem alio transmigrare coactus fuit, finitoque summa virtutum omnium laude exilij sui agone glorioſus Christi confeſſor, illuſtribus tot fidei cauſa certaminum palmis onuſtus ſicut in cœlo, ita & hic in terris inter Sanctos annumerari promeruit:

Non deſunt auctores, qui Petrum etiam Thomaſium Carmelitam Gallum natione Vaſconem, doctoremque Pariſienſem de Eccleſia Romana optime meritum Hiſpanis concedant: hiç cum in Hiſpaniam adueniſſet, (ad quam à Generali Ordinis Magiſtro cum Philippo Ferrarienſi miſſus fuit) vt in vaſtis hiſce Prouinciis maxime Vandaliæ, Luſitaniæ, & Caſtellæ inſtituti ſui regulam promoueret, religioſæque diſciplinæ ſtudia Fidelium animis ingerere ſatageret, Pacenſis Epiſcopus electus fuit ad Alfonſi XI. Regis inſtantiam, vti teſtantur Theatrum Eccleſiæ Hiſpaniæ, & Trithemius; deinde Cretenſis in Cypro, & demum Conſtantinopolitanus Patriarcha ab Innocentio VI. eſt renuntiatus. Paradiſ. Carmel. An. 1366.

Poſtremo hic loco S. Adelelmi Abbatis memoriam recolimus, qui Loduni in Galliis nobili ortus proſapia, primùm militiæ ſæculari nomen dedit, poſtea Romam, collatitia ſtipe vitam ſuſtentans profectus eſt. Inde reuerſus Sancto Roberto Caſæ Dei Abbati ſe inſtituendum tradens, magnæ perfectionis paulo poſt ſpecimen edidit, tanti à fratribus factus, vt paulo poſt Robertum ac Durandum Cœnobij eiuſdem Abbas deligeretur: fama autem virtutis eius in Hiſpanias vſque effuſa, à Conſtantia regina Burgos euocatus, recèns ab eodem condito Cœnobio præfectus eſt: *Illic*, inquit vitæ ſcriptor, *per eum innumerabilia completa ſunt miracula; ſuper nudum ſolum tandiu orabat, donec cogente natura vim ſomnus inferret, ibique cum paululum obdormiſceret, ſtatim euigilans ab oratione non ceſſabat: In cella ſua quam ei dederat Rex, quotidie poſt Matutinas miſſas celebrabat, quibus peractis cum panum cophinis, quos portabat, ad oſtium cellulæ, vbi pauperum tranſitus erat, quotidie ſedens, quæcumque habebat, neceſſitatem patien-* Apud Menol. Benedictin. 31. Ian.

tibus largiebatur, &c. Moriturus ſuos ad perfectionis ſtudium cohortatus ab Epiſcopo Pampilonenſi SS. Eccleſiæ Sacramentis munitus eſt, & Crucem Dominicam manu præferens inter verba Pſal. 53. *Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua libera me*; exauditus pro ſua reuerentia, intaminatiſſimum ſpiritum ſuo reddidit Creatori. Claruit à morte, vti in vita, magna miraculorum gloria, & à Burgenſibus inſigni in honorem eius ſtructa Baſilica honoratus, conſulere iiſdem ac ſuffragari apud Numen non deſinit, quibus patrocinio ſuo ac prodigioſa ope non ſemel ſe pro ipſis in cœlo excubare, & plurimum poſſe, perſpectiſſimis ſignis comprobauit, ac demonſtrauit: Fuit celebre admodum toto Hiſpaniarum regno Adelelmi nomen, adeo quidem, vt ſi quando Alfonſi regis, quem ob virtutem ac magnificentiam Imperatorem appellant, effigiem depingerent, Adelelmum plerumque adiungerent, quem viuentem nimirum tanti Alfonſus feciſſet, eiuſque indubie precibus tantam à Numine gratiam meruiſſet & fortunam.

Hic tantiſper ſiſte gradum, Lector, quamuis enim omnes Hiſpaniarum Præſules è Gallia ortos, qui ſuis præclare geſtis apud Iberos magni nominis ſanctimoniæque opinionem ſibi conciliarunt, nequaquam recenſendo attigerim, nihilominus ſatis prolixum à me gentis illius virorum Catalogum fuiſſe contextum haud inficiaberis, adeo vt ex enumeratis hiſce Gallicanis Patribus ad primarias Hiſpaniarum inſulas promotis, cæteros eiuſdem nationis huiuſmodi muneribus decoratos à me vel à ſcriptoribus fuiſſe prætermiſſos facile ſuſpiceris:

Cæterum vna mecum, ſilubet, aduertas, per ſingulas ætates (vt ex dictis liquido conſtat) præſtantiſſimos homines Franciæ alumnos non in Iberas Sedes intruſos, nec illas ſuperbo ab ipſis ambitu quæſitas, verum cum apud Heſperias regiones, aut Legationis, aut fidei propagationis, aut alterius cuiuſpiam rei occaſione verſarentur, aut aliquando illarum regionum limina propemodum attingerent, mox ab Hiſpanis illorum virtutis ſplendore correptis ampliſſimis Eccleſia-

ſticarum

sticarum dignitatũ muneribus cohonestatos fuisse; Quin & Iberos ipsos ita Gallicanorũ Patrũ regimen ambiisse, quemadmodum exteri in alienis curiis vagãtes moraſque trahentes totis conatibus primarios affectare honores consueuere.

Mutuam igitur vtriusque gentis propensionem alterius videlicet ab altera regi in Ecclesiasticæ praxi disciplinæ peroptantis, alterius autem in promouenda apud alteram nationem totis viribus pietate ac religione continuo desudantis hilari mecum animo contemplare: proh quantos Deus immortalis! tot annorum labentibus sæculis ab Hispanicis regionibus Gallia per suos ciues, filiosque in illis fertilissimis Ecclesiarum terris excolendis indefesso labore operantes Christianarum segetum manipulos reportauit! Quot & quantos rationalium ouium greges istorum Præsulum exemplis ac feruenti prædicatione in Euangelij, æternæque vitæ pascua feliciter introductos cœlestibus turmis inseruit! à quot & quantis animarum periculis, quot & quam sæuis dæmonum aggressionibus, insidiisve Gallicani isti Præsules Iberas regiones sanctissimis suis meritis tutati in secura tranquillitate conseruarunt, cum eorum plurimi Sanctorum in Cœlo conciues, carissimique Numinis domestici, solemni etiamnum Ecclesiæ suffragio solitis Duliæ honoribus coli promeruerint; Quot Reges, primariæque nobilitatis viri familiarem ipsorum consuetudinem expetiuere, à quibus vicissim arduis in rebus saluberrima consilia, suppetiasque nõ modicas recepere! Quot animas cœlestes illi medici propulsatis vitiorum morbis, sordibusque purgatis spirituali vitæ restituere? Quot per amœnos virtutum calles Christi castris addixere? Quot in altissimum Christianæ perfectionis culmen proposito vitæ suæ morumque exemplari euectos in æterna tabernacula immisere? Profecto si singula pietatis semina à tot Galliæ Patribus indefessis in amplissimis Hispaniarũ vineis laboribus dispersa sigillatim vellemus expendere, dies tempusque deficeret, dicendique aresceret facultas, nec singula fas vllo modo esset vel leuiter attingere.

Longiorem hunc fortassis sermonem concludere placet cũ celeberrimo Eucherij encomio, quo Lugdunensem suam

Eccle

Eccleſiam nobilitare conatur : *Nos*, inquit, *populos Sanctorum habemus*; Glorietur, addere mihi liceat, glorietur ſane Gallia, quod non modo Sanctorum populos in ampliſſimo ſinu ſuo contineat, verum etiam quod in vaſtiſſimis Hiſpaniarum regionibus plurimos Sanctorum populos habeat, hos enim cõtinuis fere retroactis temporibus per tot Præſulum filiorum ſuorum ſtudia, Fidei primum, deinde pietatis lacte nutriuit, ad Eccleſiaſtici decoris, Chriſtianæque virtutis normam ſæpius excoluit, in multis denique illarum regionum incolis ſparſorum ſanctimoniæ ſeminum, quibus Antiſtites ipſi ditati erant, vberrimos fructus collegit, itavt Iberi, ciues filioſque Sanctorum, qui ex Gallia ad ipſos appulere, magna ex parte fuiſſe profiteantur, glorienturque.

Qui ergo fieri potuit, vt in ampliſſimis veſtris regionibus, ô Hiſpani, Gallicanorum Antiſtitum ſanguine ac ſudore madidis diſſenſionum ſpinæ, ac rixarum dumeta veſtros inhumaniùs regnicolas infeſtãtia excreuerint? Hæccine digna ſunt præmia, quæ veſtris cultoribus reddantur? Et quomodo vos, ô Galli, iſtæ Iberorum regiones, quæ iam olim Maiorum veſtrorum pretioſis ſudoribus dealbatæ ad meſſem fuere, non amplius operarios ſuos, ſegetiſque copioſæ meſſores cœlorum horreis per veſtras manus recondendæ, verum diriſſima bellorum falce de medio ſublatæ, ſæuoſque mortis incolarum ſuorum miniſtros proh dolor! nimis ſæpe experti, & modo grauiſſimis animarum, corporumque diſpendiis experiuntur! ah, quæſo vos, ne tantam inpoſterum nominis veſtri gloriæ labem inuri quouis modo patiamini, imo Maiorum veſtrorum efficaci exemplo inflammati, finitimorum veſtrorum nempe Iberorum, fraterna tot vicibus affinitate vobis antea coniunctorum amicitiam in perpetuum duraturam ſectemini, mutuiſque auxiliis ab vtraque natione viciſſim præſtitis creſcite in fidei ardore, ſacrique dogmatis conſtantia, & copioſos ex fraterna prodeuntes concordia fructus in optatæ pacis iubilo colligite.

Nullus vero Iberorum gloriam apud Gallicanas regiones, earumque indigenas feliciter abundeque partam è memo

memoria mihi penitus excidisse arbitretur, iam vos obmurmurantes, ô Iberi audiebam, meisque obloquentes auribus, suggerentesue, vel tantis quidem Gallicanorum Patrum pro fundandis, excolendisue Hispaniarum Ecclesiis laboribus impensis, Iberorum etiam pro Gallicanæ cultura Ecclesiæ labores, curas, studiaque non modica respondisse, vel me Gallicæ potius fautorem nationis, vestra prætermissa, in eius filiorum laudes nimium quantum excurrisse; Ne tam iniquam, amabo, vobisque iniuriosam de mea sincera & propensa in vtramque æquali pondere nationem mente feratis sententiam: Quam vero vana, (si quæ foret, quod non facile mihi persuadere quis possit, meliora namque de vobis sentio) quamque debili fundamento nixa suspicio sit, ex iis quæ modo ex Hispanicarum historiarum monumentis in medium adducemus, manifeste constabit:

Delphinum Burdegalensem Antistitem ex Hispania in Gallias transmissum fuisse eius Acta testantur, quæ Hagiologij Hispani commentator recenset, quapropter haud mirum est quod Hispanus homo ex Pampilonensi vrbe oriundus tam studiose contra Priscillianistas penes Iberos decertarit, ac Cæsaraugustano Concilio interfuerit, vtpote qui conciuium, gentiliumque suorum saluti vigilantissime incumberet: Martyrol. Hisp. 24. Decemb.

Lata vero à Patribus in absentes (vti superiori capite vidimus) damnationis sententia, eo quod hæretici Saluianus, Elpidius, Priscillianus, & Instantius sese tot singularium Antistitum iudicio committere noluerint, omnes Præsules ad propria repedantes, Canones Synodi vt vigilantissimi Pastores in suis diœcesibus obseruarunt; quibus suffultus S. Præsul, & decreto Gratiani Imp. nuper edito, quo vniuersi hæretici excedere non Ecclesiis modo aut vrbibus, sed extra omnes terras propelli iubebantur, cognito quod hæc hæreticorum manus Romam ad Damasum summum Ecclesiæ vniuersalis Pontificem proclamans, Burdigalam fuisset ingressa, ad virus suum diffundendum, protinus illam ab vrbe, & vniuersa ditione turbam hæreticam amandauit: Post hæc cum Paulinus ad veræ fidei cognitionis apicem diu

iam protractus,baptiſmatis fonte tingi percuperet,&nomen Chriſto dare ſatageret,à ſanctiſſimo Pontifice Delphino ſacro baptiſmate expiatus,ad Lampum Barcinonenſem Præſulem iam minoribus ordinibus initiatus emittitur, vt ab eo ſacriſ & maioribus ſacraretur : Delphinus igitur Paſtoris boni munia inſtantius executus, qua præditus erat cœleſti facundia, ciuium ſuorum animos ad cultum ſincerum Numinis, contemptum temporalium, & æternorum deſiderium admodum inflammauit: ea cum diuina polleret virtute S. Antiſtes, mortuo Gratiano, edictum à Maximo, qui imperium per illius necem inuaſerat,emanauit,quo Priſcilliani tot motus per hæreſim & noua facta cientis,in Epiſcopali iudicio cauſam diſquiri iterum iubebatur: At, quod S. Præſul eminentia doctrinæ & ſanctitatis in Epiſcopatu antecelleret, ideo vt cæteri Epiſcopi Burdigalam confluerent, quatenus ſub tanti Pontificis perſpicacibus oculis res tranſigeretur, mandatum eſt : Conuenere colibenter orthodoxi Epiſcopi, Priſcillianus & Inſtantius eodem deducti: Iſte prior cauſam dixit,ſed cum ſe purgare non valuiſſet, Patrum ſententia & Epiſcopatus munere indignus,& prorſus hæreticus pronuntiatur; quod Priſcillianus agnoſcens, demum ad Imperatorem Maximum prouocauit, & re infecta Synodus diſſoluitur :

Qua vero ſollicitudine Eccleſiam ſuam in Galliis adminiſtrarit,ex præclaro colligitur encomio,quo Gallicani Martyrologij compilator eum exornat : *Caterum ſanctus Delphinus tot feſſus piis laboribus, quibus Dei gloriam, Eccleſiæ decus, fidei integritatem, errorum excidium, pietatis augmentum, morum puritatem, diſciplinæ vigorem, inſtitiæ cultum, templorum ornatum, animarum conuerſionem ſemper curauit, & prouexit, ad deſideratam, emeritamque abijt pie factorum retributionem.*

Elpidium quoque in Hiſpania Tarraconenſi progenitum Lugdunenſi Eccleſiæ inter Gallicanas florentiſſimæ præfuiſſe Iberi deprædicant, cum quibus de huius rei veritate hic modo decertandi, neque tempus, neque facultas mihi conceditur, ſatis mihi eſt,hoc vnum,quod Hiſpani auctores non

nonnullos Antiſtites Gallicanos in ſuiſmet regnis fuiſſe progenitos ſollicite admodũ contendant, in quo ſane noſtro potiſſimum inſtituto fauere videntur, mutuamque iſtam toties à nobis inculcatam ſocietatem apertiſſime demonſtrant: ſanctiſſimus igitur Præſul nobiliſſimæ illius ſedis gubernacula gerens, præclara Francorum Deceſſorum ſuorum geſta feruenti æmulatione proſecutus, ſanctitate, doctrina, miraculis etiam coruſcauit: Eius quoque fratrem natu maiorem Nebridium Gallias infulis, ſanctitate, mirabili pariter eruditionis ſplendore illuſtraſſe Iberi aſſeuerant: Ibid.

De Orientio minor eſt difficultas, cum de eo Hiſpanis Gallicana Hagiologiis cohæreant: hic Oſchæ in Hiſpania natus Proconſulis filius, primo ſæcularibus ſtudiis operam dedit, magiſtratuque etiam omni integritate functus eſt; at mundi nugarum pertæſus, diſperſis in pauperes opibus, totum ſe ad Dei cultum conuertit, ſeque cœleſti directus indicio in deſertum locum recepit, vt purius ſupernæ maieſtati deuoti famulatus obſequia deferret; Multis vero ad eum confluentibus, cum orationum gratia diuina quæ flagitabat beneficia impetraret, longius abſcedendum ratus, in Vaſconiam fugiens, vt ſuæ gentis honorem plauſumque fugeret, perrexit ad Bigorræ vallem, ibique in deuexo montis latere, qui dicitur Leuitania, oratorium conſtruxit, hæſitque diu Deo ſeruiens in oratione, ieiuniis, & vigiliis, eaque viuendi ratione, quæ ad Angelicam potiùs quam humanam virtutem pertingebat: quo tempore Viſiniano Præſule Auſcienſi defuncto, Clerus, plebſque orbata paſtore, indicto ieiunio triduano ſupplex apud Deum inſiſtebat, vt ſibi de idoneo Antiſtite prouideret; audita orantibus vox eſt præcipiens Orientium in ſpelunca latitantem, ſibi vt deligerent Epiſcopum; quem cum adiiſſent, vir Dei honoris potius, quam oneris abhorrens, à Deo perdiſcere voluit, ſi verbum ab ipſo egreſſum fuiſſet; fuſa igitur prece, virgam quam manu geſtabat, in terram defixit, quæ ſubito frondens efloruit: Vocatum ſe igitur, vt pridem Aaron intelligens, gregis cœlitus ſibi tutelam, curamque demandatam ſuſcepit; *Tum zelo ardens diuinæ gloriæ*, Gallicanum ſubdit Martyrologium

Martyrolog. Gallic. 1. Maij. S. Orientij patria.

vita pœnitens & ſolitudo.

Baculi miraculoſe, florentis indicio Auſcienſ. Ep. creatur.

logium *bene conſtituta Eccleſia in Vaſconiam excurrit, Syluam Idolomaniæ vepretis adhuc horridam, quam ſic aratro crucis excoluit, vt deiectis ſimulachris, fugatis dæmonibus, illuminatis incolis Chriſto totam ſubegerit*: viſitur adhuc in monte, in quo tetra phantaſmata homines illudebant, Eccleſia ab eo exſtructa ſub B. Cyrici & Iulitæ titulo, quaſi pro victoriæ trophæo, vbi Corneliam principis Gentis filiam à diabolo vexatam liberauit: *Deinde*, pergit eius geſtorum Encomiaſtes, *inclytus Chriſti præco ad ſuam Eccleſiam regreſſus, illam doctrinis, exemplis, meritis, ac orationibus multipliciter fœcundauit*:

Martyrol. Hiſp. 2. Nouembr.

Toletana ciuitas præclarum ciuem ſuum vltro Galliis concedit, Georgium nempe patria Toletanum, eiuſdemque Primariæ Eccleſiæ preſbyterum, qui cum ab infantia, vt eius Acta teſtantur, in huius regiæ vrbis Metropolitica Eccleſia feliciter educatus ad altaris miniſterium exercendum per gradus officiorum ſuis expoſcentibus meritis duceretur, ſic in opere commiſſo proficere cœpit, quod breui ad excellentiora dignitatum Eccleſiaſticarum munera perueniret; quare Agathenſis Cathedralis Eccleſia in Galliæ finibus Gothicæ ſita, & Narbonenſi Metropolitæ parens, Paſtoris ſolatio deſtituta cum conſpiceretur, eidem Georgium Toletanum miniſtrum, Rex Clerus, & populus præfecerunt, qui ſedis illius infulas induens & ſuæ diœceſis terminos luſtrans, Eccleſias viſitans, & populos docens, breui Eccleſiaſticos mores induxit, clerum reformauit, ſubditos ad vitæ melioris ſpecimina traxit, & omnes ad virtutum amorem compulit, & redegit:

In hiſce igitur S. Præſul operationibus verſabatur, cum indicta fuit Toletana Synodus VIII. ad diem XVII. Kal. Ianuarij, Era DC. XCI. anno Chriſti DCLIII. & orthodoxi atque glorioſi Recceſuinthi Regis V. ſub Eugenio III. Toletano Pontifice, ad quam pergere deſtinauit, eique cum cæteris Præſulibus, Abbatibus, Rege & proceribus interfuit, & XVII. loco acta Synodalia firmauit; qui poſtmodum ad propriam ſedem reuerſus, per fere viginti annos illam prudentiſſime gubernauit, & ſanctiſſimis doctrinis imbuit,

donec

donec vacante Viennensi Allobrogum Ecclesia ad annum domini DCLXXXII. omnium acclamatione fuit Viennensis Pontifex factus: Igitur Beatus Georgius Viennensem vrbem ingressus se vere Episcopum præstitit, morum probitate, vigilantia, commiseratione, & ardenti zelo salutis animarum præclarus, & in omni exercitatione cœlestis doctrinæ mirabilis, qui tandem vitæ sanctissime actæ meritis cumulatus ad piorum laborum messem migrauit, simul in cœlo consecutus gloriam & in terris venerationem.

Prudentium in Hispaniis natum, de quo nos alibi, cum à Saracenis è patrio solo expulsus esset, Galli tam humaniter excepere, vt post Adalbertum in Trecensi Cathedra ipsum suffecerint: Nemini, vt opinor, erit ingratum audire, quod de eo profert Gallicanus scriptor. *Hic ex Hispanicis oris ortus, diuinisque ornamentis præditus, maximeque religionis zelo, & doctrinarum sacrarum scientia illustris, cum in Galliam à Sarracenis pulsus perfugisset, omnium amorem ac admirationem in se traxit: vnde defuncto Adalberto Trecensi Præsule, consonis cleri ac populi votis, apud quos tum degens clarnerat, in illius locum antistes electus atque ordinatus est: Quo suscepto onere, sicut lucerna super candelabrum erecta, hanc Ecclesiam, imo & Galliam vniuersam sanctissimæ vitæ exemplis, diuinaque sapientiæ fulgoribus irradiauit, Episcoporum sui temporis decus atque delicium, puræ fidei vindex, atque vnicum sacræ sophiæ oraculum fuit.* Martyrol. Hispan. 6. Aprilis. Item Gall. 6. April.

Attendis Iberum hominem è patria barbarorum furore vastata exulem in Gallias tanquam in optimæ sinum matris proiectum, ab iisdem Gallis cum eo versantibus, eiusque sanctæ conuersationis exemplo permotis otiosum degere neutiquam passum; verum illius regionis incolæ virtutum eiusque doctrinæ suauissimo odore allecti, mox Ecclesiastica eum infula adornarunt, seseque vltronea voluntate sacro ipsius imperio subdiderunt; *Ex qua existimatione*, pergit modo citatus auctor, *ductus Guenilo Senonensis Metropolita librum Ioannis Scoti, erroribus Origenianis, Gothescalcique nuperi hæretici deliriis scatentem, examinandum, ac*

refellendum tranſmiſit, quem ipſe pro data ſibi diuinitus ſapientia aculeatis rationibus, validiſque auctoritatum præſidiis, maxime vero Hieronymi, Auguſtini, Fulgentij, atque Gregorij Sanctiſſimorum Patrum teſtimoniis confutauit; pia etiam poemata in Chriſti laudem perſcripſit, Synodis Pariſienſi & Sueſſionenſi, reſtituendæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudio, atque ſopiendæ diſcordiæ, ſerendæque pacis amore, ſummæ cum Eccleſiæ vtilitate interfuit:

His cum clareret meritis S. Antiſtes, à Leone IV. Pont. Max. reſcriptis etiam honoratus eſt Apoſtolicis, cuius Papæ iuſſu Ademarenſe Cœnobium recens conſtructum in ſanctæ Trinitatis honorem, Apoſtolorumque Petri & Pauli, ac S. Leonis Papæ magni memoriam conſecrauit: multa alia exegit in Præſulatu tum officij pontificalis, tum vitæ, tum doctrinæ præclara facinora; demumque cum Eccleſiam diu ac feliciter adminiſtraſſet, diebus & piis fœnoribus plenus ad æternam conſcendit beatitudinem.

Auguſtalem origine Hiſpanum, atque Illiberitanæ Eccleſiæ infulis redimitum nonnulli ad Arelatenſem ſedem tranſiiſſe aſſerunt; verum hoc gratis aſſertum ſuſpicor, ipſe tamen per multum tempus apud Arelatem commoratus, plurimum in fide apud eam gentem diſſeminanda laborauit; quare Galliarum Epiſcopi ab Hiſpano Antiſtite adiuti, eius probata ſanctitate, illum in maxima habere cœperunt veneratione, atque ſuo ſanctorum Catalogo adſcripſere.

Idem de S. Patritio Malacitano in Hiſpania Bætica Epiſcopo dicendum, qui tempore Diocletiani in Chriſtianos ſæuientis, Hiſpaniarum vrbes inuadentis Galliam attigit, & apud Aruernos conſtitit; *Vbi mirifice eius prædicatione fides profecit*; Vnde aliqui, ſed perperam, ipſum Aruerniæ opinati ſunt præfuiſſe.

Martyrol. Hiſpan. 16. Martij.

Id. 4. Iulij.

His S. Laureanus Epiſcopus Hiſpalenſis adiungendus videtur, qui diuina ſic eius vitæ periodos diſponente prouidentia, in Gallias Totilæ Oſtrogothorum Regis perſecutionem fugiens appulit, eaſque tum doctrinæ, tum ſanctitatis eximiæ radiis illuſtrauit; Hic Pannonenſium territo-

S. Laureani Epiſcopi Hiſpal. origo & educatio.

rio

rio oriundus, ab infantia Mediolanum veniens, in eius Ecclesia nutritus, ibidem litterarum disciplinis extitit eruditus: cum enim annum 25. attigisset (eo iampridem baptizato) ab Eustorgio eius nominis 11. Episcopo Mediolanensi Diaconatus officium suscepit, quem & ad eruditionem, & doctrinam Magistrum habuit; è cuius schola sic in Ecclesiasticis exercitationibus eruditus euasit, vt pene omnis Arianorum perfidia Mediolanensium irrefragabilibus S. Diaconi disputationibus, & continuis ad populum concionibus laberetur: Tantam etenim beati viri veritatis argutiam vt Totila Ostrogothorum Rex in Italia cognouit, protinus furore concitus Sanctissimum Diaconum ad necem trahere procurauit; sed diuinitus admonitus, Mediolanum relinquens, post varios laborum amfractus Hispalim Hispaniæ deuenit:

Fit Diaconus Mediolani.

Arianos illic confundit:

Hispaniam deuenit.

Tunc temporis sedem illam Metropoliticam Beatissimus Maximus regebat, qui cognito Laureani ingenio, & exilij causa perspecta, illum ad propria reduxit, & postmodum suum Archidiaconum ordinauit; qua dignitate obtenta ita in eius se gessit administratione, quod sancti viri opera prorsus muneris existimationem virtutum sarcina superarent: hinc ad gloriam translato Maximo Hispalensi Pontifice, Cleri & populi suffragiis in eius locum antistes inauguratus, tantorum populorum regimini assistere, & insistere, provt muneris onus exposcebat, incœpit:

Fit Archidiaconus Hispalensis.

Et Episcopus eiusdē vrbis.

Cum autem decem & septem annis contra Arium & eius sequaces, vt robustus prœliator Christi bellasset, & nequiuisset totaliter extirpare, quadam die post matutinas fesso & quiescenti astitit iuuenis præclare resplendens ter vocans eum, *Laureane*, cui B. Præsul respondit, *adsum* Iuuenis inquit: *Surge, recede ab hac plebe maligna, quæ te frui non meretur, & vade vnde audieris, & cum corona martyrum peruenies ad gaudia paradisi, Noli tardare; hæc quoque ciuitas flagellabitur fame, & peste, carebitque pluuia septem annis, donec pœnitens tuis reliquiis illustretur:* Quo dicto iuuenis euanuit: Post hæc S. Laureanus surgens corpore Christi & san-

Hispalim deferere iubetur.

sanguine præmunitus, plebem alloquitur iniquam à mane vsque ad horam tertiam, & accepto baculo circuiens ciuitatem flendo clamabat: *Omnis hæc ciuitas in angustia erit multis diebus, donec pœnitendo diuino respectu visitetur*: Quo facto ciuitatem deseruit, & Massiliam Galliæ vrbem breui peruenit, vbi è naui soluens vrbem ingressus, filium cuiusdam principis suscitauit, quem & parentes, totamque familiam, & alios ciues ad fidem Catholicam reduxit, & veniens ad Italiæ portum, ibidem multos afflictos de diuersis languoribus curauit, & cœcos illuminauit: Deinde Romã venit, & à Beatissimo Papa Vigilio honorifice susceptus, illum facundissimo lætificauit eloquio, qui postmodum ex præcepto Sanctissimi Pontificis in solemnitate Cathedræ S.Petri solemnia celebrauit, vbi egenum quendam senio grauatum, cuius à natiuitate genua & brachia aruerant, integræ restituit sanitati; Quo facto vt auram popularem diffugeret, Turonem Galliæ vrbem deuenit, vt S.Martini, cuius amore flagrabat, sacra pignora visitaret.

Mala ciuitati imminentia publice edicit.

Massiliã appulsus suscitat puerum.

Rom. venit vbi Paralyticum sanat.

Turonem ad S.Martini tumulum peregrinatur.

Igitur expleto huius pietatis officio, Iuuenis ille, qui fas est credi Angelus, ipsi martyrium nuntiauit dicens: [Laureane constans esto; Ecce Totila Rex apparitores per omnes prouincias misit, vt te interficiant, & caput tuum Hispalim deducant, vt perpetua suffragia ciuitas illa diu afflicta valeat adipisci:] Ad hanc vocem confestim S.Præsul surrexit, ac prompto gressu, lætoque animo quod iussus fuerat agere compleuit: Nam à sepulchro B. Martini, oratione expleta, regressus, ad locum sibi destinatum intrepidus iter arripuit, quem Vastinum in agro Bituricensi oppidani compellant; Ibique missi sicarij à rege perfido caput eius amputauerunt; qui post sacrilegum facinus nimio pauore perterriti velut amentes, capite relicto, fugere cœperunt. Tunc B. Laureanus caput suum in manibus tollens ibat post eos clamans: [Nolite fugere, sed hoc meum caput accipientes Hispalim asportate ad eum qui vos misit;] Qui corde valde compuncti ad S. Martyris pedes, suumque peccatum confessi, acceptoque de eius manibus capite ad Totilam abierunt, quo ipsi tradito, omnia quæ euenerant recensuere.

Angelus Martyrij locũ designat.

Illuc pergit, vbi coronatur.

Caput manibus defert.

Quam

Quamuis autem hi tres Hiſpani Præſules, de quibus à nobis facta eſt mentio, nullam Gallicanæ Eccleſiæ cathedram tenuerint, quia tamen in ea plurimum ad fidem ac pietatem promouendam, vt diximus, profecere, idcirco cæteris origine Hiſpanis in Gallia Præſulibus adiungere minime alienum duximus:

Ex dictis igitur colligere licet non modo inter Eccleſiaſticos vtriuſque nationis viros, cum Pontificias eorum cathedras ab hiſce Præſulibus vltro citroque migrantibus regi percuperẽt, verum etiam inter vtroſque populos, qui in Antiſtitum electione iuxta veterem conſuetudinem concordibus votis, vnanimique aſſenſu concurrebant; quin imo & inter ipſos reges, qui ad talia ſubeunda munera eos inuitabant, vel Cleri electionem canonicam iuſtamque vltro comprobabant, ſingulare commercium extitiſſe:

Martyrol. Hiſpan. & Gallican. 30. Martij.

His adiungendus S. Paſtor vrbis Palentinæ in eadem Hiſpan. Epiſc. qui ſub Eurico Ariano aduerſus catholicos deſæuiente, in Galliam aduenit, & apud Aureliam diuerſans ibidem pervaria virtutum ſpecimina obdormiuit in Domino:

Martyrol. Hiſp. 18. Ianuarij.

Sanctum quoque Voluſianum Turonum in Gallia Epiſcopum violentus eiuſdem perſecutionis turbo in Hiſpanias intexit, qui ex nobiliſſimo Senatorum apud Turonos genere in lucem editus, ſparſa per vicinas regiones virtutum ſuarum fama, cum intẽtos omnium in ſe oculos haberet, B. Perpetuo eius propinquo è viuis ſublato, Turonicam ſuffragantibus omnibus Cathedram adeptus eſt: Hic per aliquod tempus bonis inſudando operibus dum feruentiſſimo vigilans paſtor zelo impoſito muneri facere ſatis conaretur, Euricus Gothorum Rex ferocem in Gallos Chriſticolas perſecutionem mouens, omnes aut ad ſuã traducere ſententiam, aut variis trucidare ſuppliciis ſatagebat: S. vero Antiſtes Voluſianus cum nec ab orthodoxa fide diuelli, nec barbaro regi vllatenus aſſẽtiri videretur, ab illo ſuſpectus declaratus, in Hiſpaniam ad Cantabriæ oppidum cui Sarcinum vocabulum non procul à Toloſa (fluuio, non vrbe Galliæ, vt quidã hallucinati ſenſere) illius etiã regionis & oppido & flumine, exul adductus eſt: Ibidem alter velut Hieremias populi ſui deſolationem, Ec-

S. Voluſiani origo & patria ſit. Epiſcopus in patria.

Eurico regi Ariano reſiſtit.

in Exilium ab eodem pellitur.

Ibidem confectus ærumnis moritur.

cleſiæ naufragia, Chriſticolarum ſolitudinem, famelicorum paupertatem, miſerabilem omnium ſtatum deplorauit: tandem ſicut aurum, quãto plus excoquitur, tanto melius efficitur, ſic S. Voluſianus multo purior & clarior ærumnis redditus, in ipſo exilij ſqualore confectus animam Deo, cui inclytus Confeſſor ſeruierat reddidit, XV. Kal. febr. anno 474.

Idem 12. Aug. Duo Porcarij Lirinenſes origine Hiſp. quorum primus Inſtitutor Cæſarij Arelat. Ep.

Nec ſilentio à nobis prætermittendi inſignes Hiſpani duo ex nobiliſſima Porcellorum apud Murciam antiquiſſimam vrbem familia oriundi illuſtres celeberrimi Lerinenſis monaſterij Abbates, quorum primus S. Cæſarij Arelatenſis Epiſcopi, tempore vixit ad annum Domini 506. & amplius, vt referunt Cyprianus S. Cæſarij diſcipulus in eius Actis apud Surium die 27. Auguſti; & S. Marcus Maximus in Chronico an. 585. his verbis: *Porcellorum familia in Hiſpania Tarraconenſis vrbe Bigaſtro quæ nunc Murcia dicitur, à Romanorum gente trahens originem clara & inſignis habetur*; Et poſtmodum: *S. Licinianus Carthaginis ſpartariæ Epiſcopus, & S. Pontius Porcarius Abbas Lirinenſis ex hac gente fuerunt maximi in Hiſpania Galliaque fidei defenſores:*

Alter vero (qui cum aliis quingentis ſociis martyr fuit, & Caroli Martelli Francorum Regis tempore vixit poſt annum DCC. XXX. vt inquiunt Barralis [a] & Menardus [b] De hoc Martyrol. Rom. *Eodem die SS. Martyrum Porcarij Abbatis Monaſterij Lirinenſis, & quingentorum Monachorum, qui pro fide Catholica à barbaris caſi Martyrio coronati ſunt*) Iſtius Pontij dicti cognati ſui (qui fere ante duo ſæcula Galliam ingreſſus ad Inſulam Lerinenſem progreſſus, ibidem Abbatis munere functus ſanctitatis honorẽ promeruit) inſequens veſtigia, iuuenis ad ipſam ſacrã inſulam concedens, inter ipſorum cõſortium Monachorum ſuſceptus, breui ad Monaſticæ diſciplinæ perfectionem tempore ſublimatus eſt, ita vt omnes in illo antiqui Abbatis conſanguinei ectypum intuerentur:

[a] in Chron. fol. 225. [b] fol. 661. 22. Auguſt.

B. Porcarij Abbatis & martyris prigo.

Fit monachus Lerinenſis.

Poſt alicuius igitur temporis intercapedinem, eius ſuffragantibus meritis Abbas Cœnobij, eo humiliter renuente, à fratribus eligitur, in cuius munere ſanctam Congregationem illam in diuino opere verbis inſtruebat, & formabat exemplis, ita vt cœtus ille in tantum ſub B. viri diſciplina

Et Abbas.

profice

proficeret ſanctitate, quod omnes Galliarum prouinciæ Clerici Epiſcopum, Monachi ſibi in inſula Lerinenſi Abbatem expoſcerent: hoc vero tempore Carolus Martellus Galliarum regna inclytus Rex poſſidebat, & gens Sarracenorum crudeliſſima ſubactis Hiſpaniarum circulis, omni humanitate poſtpoſita totam Narbonenſem Prouinciam in tantam ſolitudinem redegere, vt in Eremi vaſtitatem loca prius deſiderabilia viderentur conuerſa; Cum nullus iam ex proceribus ad ſe victoribus opponendum ſupereſſet, ſanctam Lirinenſem Inſulam inuadere feſtinant; Sarraceni Gallias deuaſtant.

Agarenis vero immaniter furentibus, depopulata omni circum regione, plurimiſque pro Chriſto trucidatis, Angelus Domini per dies decem apparuit in ſomnis S. Viro dicens: *Surge velociter, & occulta venerandas reliquias, quæ in hac inſula cuſtodiuntur; futurũ eſt enim vt hic locus à feris barbaris violetur, & conſecretur ſanguine monachorum: confortа igitur & confirma fratres tuos, ne exterriti deficiant à fide & amittant vitam æternam.* Euigilans vero B. Abbas lucidam ignis vidit flammam ad cælum vſque conſcendere, ex quo viſionis ſuæ perpendens veritatem gaudio repletus proſternens ſe ante Altare B. Petri Apoſtoli Lerinenſium Incolarum protectoris, precibus & lacrymis eius patrocinium implorabat, quatenus ſuo collegio ſuccurrere dignaretur, & ne ſuo fiduciali patrocinio & promiſſo fraudaretur, & hoc dicto in terram corruit: Et Cœnobium Lerinenſe. Angelus apparet. S. Viro. Orat. pro ſuis fratribus.

Hunc vt viderunt Monachi in tanta amaritudine proſtratum erigentes, cauſam tanti doloris ſciſcitarunt; ſed ille miſsâ de Spiritu ſancto celebratâ, conuocatis in capitulo Fratribus, ait: *Annuntio vobis, amantiſſimi, gaudium magnum, hanc inſulam elegit Deus in peculium ſpeciale, quam ſanctificauit, & electa propagine propagauit, coluit, & protexit, & ex vera vite ibi radicata per orbem vberes palmites amplianit; Nunc vero tanquã pius paterfamilias ſuam vineam viſitans, quam mirifice plantauit, colonos aduocat, vt ſtolas ſuas abluant in ſanguine ſuo:* His ab eo prolatis, mox nubes lucida apparuit ſuper omnes qui aderant, & audierunt de nube ſinguli vocem claram dicentem: *Venite Benedicti, percipite regnum vobis ab initio præparatum*: Tum S. Abbas fratribus ipſos gloriam Annuntiat ipſis martyrium. Vox de cœlo auditur.

per martyrij palmam consecuturos significauit, eosque ad suscipiendum in Domino Martyrium efficacissimis verbis inuitauit:

Occultantur reliquiæ, & imbecilliores in Italiã mittuntur.

Tunc vero singuli Fratres cœperunt præ gaudio lacrymari feruentissime ad martyrium aspirantes, & occultatis venerabilibus reliquiis, & missis sexdecim iuuenibus, & triginta sex adolescentibus, qui erant in Cœnobio, ne imbecillitate ætatis seducerentur à barbaris in Italiam, continuæ orationi, & ieiuniis lætanter insistentes, diem agonis feliciter exspectabant: Die igitur à S. Abbate denuntiato Saraceni Insulam ingressi destructis Ecclesiis, crucibus confractis, altaribus & sacris omnibus prophanatis, Monachos in Christi confessione immobiles cæciderũt: conuersi demum ad S. Porcarium, cæterosq; seniores, illos plagis affectos geminatis postremo vulneribus confoderunt, deque improbo facinore per totam insulam insultarunt: Hunc tandẽ in modum glorioſi Christi Athletæ lanceis impiorum transfixi, gladiisque laniati, fuso sanguine, vitæque peracto per martyrium agone, æternæ vitæ laurea donati modo in cœlis triumphant coronati:

Saraceni Insulam deuastant.

Monachos cædunt.

Menolog. Benedict. 12. febr. item Gallic. Martyrol.

Huic sancto Abbati Martyri comitem alium S. Abbatem damus, S. nempe Benedictum Anianensem maximis virum meritis conspicuum; qui vetustissimo Gothorum sanguine patrem Megalonensem Comitem habuit virtute bellica vti genere illustrissimum; ab hoc Pipino regi commendatus, educatusque à Regina eiusdem coniuge, pincerna postea regius constitutus est; secutus dein Carolum Magnum, aulæ demum fastidio cucullum exambiit, quod priusquam amplecteretur, triennium totum abstinentia & vigiliis semet exercuit; monachum in S. Sequani Cœnobio professus, fundamentum perfectionis vitæ profundissimum & firmissimum posuit, pane & aqua solis per biennium & sex mẽses contentus, mortem potius, quam inediam depulit, vino abstinuit, breui vsus somno totas pene noctes in glaciali nudis pedibus persistens pauimento, in preces feruidas effusus frigus triumphauit; peccata quotidie largo lacrymarum imbre planxit, dormientibus fratribus calceamenta purgauit, à quibus indigne habitus, cum tanquam male sani cerebri illuden

S. Benedicti Anianensis Abb. origo & parentes.

fit monachus.

mira eius austeritas & abstinentia.

Eius pœnitentia & humilitas ac patientia.

illudentes caligas ad caput eius iactarent, patientissime pertulit: vilissimis contentus, lacinias & pannos viliores pretiosis antetulit: Cellerarius postea Cœnobij creatus ad amussim regulæ se conformauit, & effusa in omnes charitate toti congregationi sicut patrem se exhibuit: Abbas cum eligeretur è Monasterio profugit, latensque aliquandiu, confluentibus discipulis Anianæ cœnobium condidit, multosque in vitæ rigore, & summa paupertatis perfectione suos educauit.

Insignis Cellerarius.

Fit Abbas.

Cum autem Felicianæ hæreseos pestilentissimum virus per Septimaniam late serperet, plurimos non infimæ solum, siue etiam mediæ sortis homines, verum etiam Præsules Summo cum rei Christianæ periculo in grauissimos errores prolapsos seu inclinatos ad fidem orthodoxam reduxit, & de prouincia illa Apostolico labore immortaliter meruit: Eius inuiti quantumuis & reluctantis opera & consilio ad Imperij administrationem Ludouicus Pius Imp. vtilissime vsus est: Fuit afflictorum omnium vnicum asylum & solatiũ, cuius manicas & mappullam contrectare solitus erat Ludouicus Cæsar, in quibus supplices semper libellos latere pernouisset: Fuit adeo miti ingenio, vt nec contristari quidem hostes vellet; furẽ cum equo, quem Monasterio abstulerat occurentẽ, & à socio cognitum, cum hic equũ repetere vellet, prohibuit, id vnũ veritus ne faciem furis confunderet; furem alium in flagranti deprehensum scelere, & à vicinis male mulctatum, multisque vulneribus concisum suis ipse expensis chirurgis curandum commendauit: Iuratus Commendarum, vt vocant, hostis, cum clerici Monasteria vsurparent & emerent, constanter se opponens auctoritate Imperatoria interpellata iisdem acriter obstitit, & scelus ac temeritatem eorumdem compescuit; senectute confectus, aliisque morbis & laboribus fractus, de pristino vitæ rigore nihil remisit: in oratione assiduus dum meditationi vacaret, erectis in cœlum manibus, seu humi prostratus, totus lachrymis defluebat: inualescente morbo ipsum Imperator inuisit, aulæque magnates & diuersi Pontifices ad eum conuolarunt, è quibus Stabelo Magolensis Episcopus de obitu eius-

Hæresin extirpat.

Ludouicus Pius Imper. eius consiliis vsus.

Eius mãsuetudo erga fures.

Simoniæ persecutor & extirpator.

Eius rigor in extrema ætate.

dem diuinitus edoctus est : Rogatus ab Helicasare Abbate quomodo se haberet, bene respondit, subiunxitque se inter choros sanctorum coram domino adstitisse : obiit septuagenarius anno Christi 821. fassus paulo ante mortem fratribus se quadraginta annis quibus Monachum egit, non ante cibum sumpsisse, quam lacrymas coram Deo funderet:

Pie moritur. Res digna obseruatione

Martyrol. Hispan. 6. Nouemb. S. Amaranthi origo & patria.

Inter cæteros qui ob crudelem Maurorum persecutionẽ in Gallias elapsi post multos pro fide exãtlatos labores Martyrij palmam retulerunt, S. Amarantus connumeratur, qui ex ea parte quam Lusitaniam vocitant, in vrbe Amarantho, è qua nomen suscepit oriũdus, & apud Tagildem oppidum educatus, cum Hispaniam adolescens deserere satageret,

Gall. properat.

Galliã perrexit, & in Albiæ vrbis territorio subsistẽs Christi legem singulis imbuere accolis conabatur; Grandem igitur per illius regionis angulos cum sedulus auspicaretur prouentum, Decij Imp. in Christi Ecclesiã cœpit furere vesania, qua vniuersos Christi fideles ob testimonium diuinæ veritatis prorsus extinguere sæua Præsidum rabies procurabat; hinc S. vir iussu impij Galliarũ iudicis constrictus, & in ergastulum coniectus, vt fidem susceptam desereret, & Dijs gentilium thura litaret, sedulo monebatur. Sed Martyr Dei omnia hæc despiciens monita, solum Christum verum Deum adorandum prædicabat; cuius constantiam sæpe præses experiens, benignitatis & mansuetudinis oblitus, illum variis dilacerare cruciatibus præcepit, quo facto, cum demùm maiori fiducia & strenuitate Martyrem fidem ipsam asserere conspexisset, illum obtruncatione capitis damnauit: Tunc satellites beatissimum Agonistam excipientes gladio percusserunt, cuius anima in cœlum triumphali redimita corona feliciter euolauit: Idem de Ferecinta Virgine Toleti edita, & martyrio apud Pictauos coronata, de Sancta etiamnum Fide Virgine Hispana in Galliis passa, & de pluribus aliis antiqua ac recentiora Martyrologia testantur.

Comprehenditur.

Coronatur.

S. Vincentij Leuitæ in Hispan. ex Agenno Gall. profectio.

Duo inclyti origine Galli Martyres, qui Hispanias adiere, nobis supersunt recensendi, quorum prior Vincent. Hispaniam profectus, & Cæsaraugustæ sistens, sub Valerij ipsius ciuitatis Episcopi clientela nutritus, celebre indolis & virtutis

tutis exhibuit ſpecimen; cuius Valerius proſpiciens prudentiam, grauitatem, & Eccleſiaſticis in rebus eruditionem, inter ſeptem Leuitas, quem more Apoſtolico numerum habebat, illum adſcripſit; quo fungens Vincentius munere, tantum de ſe ſpirauit doctrinæ odorem, vt ſanctum impulerit Antiſtitem, quatenus illi ſuprema Eccleſiaſticæ perfectionis munia propediem committerentur. Martyrol. Hiſpan. 6. Iunij. Fit Leuita Cæſaraug.

Eo tempore ſæua Imp. Diocletiani & Maxim. per Gallias ſerpebat perſecutio aduerſus Chriſti aſſeclas, Daciano Præſide Galliarũ & Hiſpaniarũ miniſtrante, cui vt ſe opponeret SanctusLeuita, fideleſq; roboraret ſuos, ad patriam repedare conſtituit, & accepta Valerij Præſidis licentia & benedictione, in Galliam reuertitur, & apud Agennum Aquitaniæ vrbem ſiſtens, à Capraſio ipſius vrbis Epiſcopo benigne acceptus, illi ordinis munus Sanctiſſimus Pontifex commendauit; Quo onere Leuita accenſus, intrepide ad ſtadium proceſſit, & Agennenſem peragrando tractum, in eo Apoſtolicis vocibus Chriſti ouiculas perſecutionis furore perterritas in fide confirmauit, multoſq; infideles diuina prædicatione in caulas Dominici gregis induxit; Denique ad Velaunum Reonemenſis ruris agrum veniens, vbi ſacrilega turba paganorum conueniebat, fœdæq; Idolomaniæ, diabolicis præſtigiis deluſa, ſeruiebat, ne huiuſmodi illuſionibus populus diutius deciperetur, inter turbas nefandæ ſuperſtitioni inhiantes Candidatus proximi triumphi Athleta Chriſti ſupremo igne accenſus inſiliit, fraudulenta diabolicæ machinationis opera declarauit, eleuataque ſurſum dextera ſigno Crucis phantaſticam machinam, cuius ſpectaculo illudebatur miſer populus, dirupit, adſtantiumque ſtolidam, ac exitioſam ſuperſtitionem increpans, eoſdem, vt oculos ad veræ pietatis lucem aperirent, purumque Dei Seruatoris cultum, ex quo beati fierent, amplecterentur, magno charitatis feruore hortatus eſt. In Galliam reuertitur. Populus ad fidem conuertitur.

Aderat tunc Dacianus Præſes, qui tanta virtute Chriſti nominis attonitus, hominemq; ſoloarmatum verbo, tam ſtupenda operantem demiratus, dubio agitari cœpit quid de eo decerneret; veritus tamen ne inueteratæ religionis

tanto

tanto irriſæ prodigio auctoritas decideret, lictores fere è veſtigio miſit, qui præconem Chriſti apprehenderent, ad ſeque pro Tribunali ſedentem adducerent: Quẽ tandem cum diutius non ferret Præſes de ſua inſania triumphantẽ, lata capitali in eum ſententia, ad locũ ſupplicij trahi per ſuos ſatellites decernit: Ducitur igitur Chriſti Victima ad immolationẽ: non expauit ad conſpectũ theatri, ad fremitum populi, ad lictoris efferatam faciem, ad gladij fulgentis intuitũ, imo neque ictum Chriſtiana ouis, ceruices intrepide extendit, ſubq; Crucis ſignaculo manum percuſſoris ſpectat, iſte ferit, illa cadit, imo ſurgit reportãs ex detrũcatione capitis coronã, ex morte vitã, ex agone ſuo extremo gloriã ſempiternam:

V. Id Iunij. ann. 287.

Valde miratus ſum nullam penitus apud ſcriptores Gallos de Leuitici iſtius S. Martyris apud Cæſarauguſtã ordinis munere fieri mentionem, qui potiùs à B. Capraſio Epiſcopo Agennenſi ordinatum Diaconum contendunt; Aſt quæ illos effugere Actorum qualitatis ſpecialia, ab Hiſpanis auctoribus mutuabimur: Pro omnibus Heleca: *Cæſarauguſta felix putanda eſt, quæ duos ſub Valerio Pontifice habuit Vincentios, vtrumque Archidiaconi laude præſtantem; Alterum Oſcenſem ex Hiſpania; Agennènſem alterum ex Gallia; antiquior Agennenſis, quem in Galliam miſit prædicationis gratia S. Valerius:*

In Addition. ad M. Max. fol. 221. col. 2. Helecæ teſtimonium.

Hunc eumdem S. Martyrem Epiſcopum nominat Gallicani Martyrologij auctor, ſed, meo quidem iudicio, ſine rationabili fundamento hoc illi Primarium Eccleſiæ onus impoſuit, nihilhominus aliqua poteſt oriri dubitatio, num Hiſpani hunc forte Cæſarauguſtanum cum Agennenſi Leuita Vincentio confundant, nihil certi in re incerta nobis aſſerendum videtur: tamen cum in hac ipſa vtriuſque confuſione Hiſpanos inſigniorum Eccleſiæ munerum, dignitatumque onera Gallorum humeris imponere ambientes, necnon ſingulare cum iis commercium habere ſectantes videamus, ea proinde libenti animo in medium producimus, quæ ad noſtri inſtituti comprobandam rationem maxime faciunt, alioquin plurima ad iuſtam hiſtoriæ lancem non tam accurate expenſa, & potius valde dubia reticuiſſemus.

San

Sanctius denique miles & martyr natione Gallus inter Cordubenses Agonistas strenuus extitit pugil, hoc elogio à S. commendatus Eulogio: *S. vero Sanctius auditor noster Laicus adolescens, & in Albensi oppido Galliæ comatæ olim captiuatus, nunc autem inter militares Regis pueros liber prescriptus, & regalibus annonis nutritus, in eadem vrbe regia, sub eadem professione prostratus est & affixus:* Hic autem, vt aiunt Acta, inter alios iuuenes, quos dira Agarenorum irruptio Galliam inuadentium captiuos abduxerat, vnus Cordubam catenatus aduenit, vbi diræ seruitutis incommoda sustinuit, sed politum angustiis lapidem in eo ad Ecclesiæ ædificium Dei prouidentia conflabat: breui libertatem adeptus est, & vnus ex tyronibus, qui Regi Cordubæ adstarent, electus est, cumque in aula versaretur, Regis tamen fauorem & gratiam aspernatus, generoso ea omnia refugit animo, quæ de se ipso vana cupiditatis allectione cœcus concipit amor, aut aulicus ambit anhelitus, ad maiora nimirum & puriora spiritus eius munia dirigebat intentum, nam ipsius nobilissimi desiderij affectus, cum omnia hæc pensitaret humana, quidquid non redolebat æternum, nauseantis more respuebat:

Sanctij Martyr. origo. L. 2. c. 3. Memor. Sanct.

Martyrol. Hisp. 3. Iunij.

Regis Sarraceni Tyro.

Palatinus cum iam esset tyro, neutiquam in vitia dilapsus est aulica, quod vtique magna dignum admiratione censetur, quis enim inter flammarum voracium globos sine læsione progreditur, & quis tam nouum modestiæ arbitrium inuenit, vt inter multorum vitia, æqualium exemplis inducta, & superiorum plausu probata illæsus euaserit? Quis admirabilior in fidei constantia, legisque obseruantia inter infidelium cœtus, inter Saracenorũ conuentus, vbi illi sæpe sæpius Dominis & Principibus extitere gratiores, qui impudentiores perfricta fronte sceleribus apparuere? Ergo Sanctius vt Angelus inter dæmones, vt Catholicus vixit inter Agarenos, quos si sublimia non docuit (res ex obstinatione impossibilis) ab illis nec minimam morum guttam bibit:

Regis fauores respuit, humanaque omnia despexit.

Semper inter sectarios fidelis exstitit.

Magistrum continuo habuit S. Eulogium, ex quo tanto doctore puram doctrinam suxit, quæ spiritui pabulum præbens viscera diuini amoris igne flammantia concoxit: illo

Fuit S. Eulogij discipulus.

igitur Duce, illo denique ſtimulo ſanctus iuuenis ita Chriſtianæ perfectionis ſemitam curſu metiebatur ſtrenuus, ſicut poſtmodum illius manifeſtauit confeſſio ex vitæ integritate fidelis, ex mortis conſtantia glorioſa: Publice Chriſti fidem eſt faſſus, regium palam remiſit ſtipendium, voce libera pſeudoprophetam obiurgauit, quem ariolum veteratorem, & obſcœniſſimum dixit mendaciorum architectum:

Comprehenditur. Hanc propter dicendi libertatem comprehenſus, ingrati erga Regis in ipſum munificentiam animi vitio à iudice notatus fuit, quæ accuſatio fortiter adoleſcentis viſcera vulnerauit, non qua ingratitudinis vitio notabatur, ſed qua Chriſti legem minus iuſtam prædicabant Agareni, quaſi ſuſpicantes quod inter præcepta Chriſtiana, eſſet aliquod inductiuum ad huiuſmodi ingratitudinem exercendam, ideo Sanctius libera voce profeſſus eſt legem Catholicam tanta iuſtificationis Symbola continere, quod nihil in ea antiquius commendetur, quam Principibus etiam infidelibus obſequia in licitis impartiri, tanquam ipſi Chriſto Domino, à quo omnis bene ordinata poteſtas emanat; quod ſi tunc à regis nutu abſtineret, in quem fidelitatis ſuæ integritati nec ſerui officium, nec ſubditi fides vnquam defecerat, eorumque dogmatis mandata abhorreret, non ingratitudinis vitio, ſed Dei ſui reuerentia ad iſta exequenda compelli:

Martyris libertas in aſſerenda veritate.

His dictis iudices proſcriptis ſtipendiis, & aliis regalibus circumcuſis muneribus, Chriſti militem exauctorarunt, credentes ad deditionem cogere inopia cibi, quem haud poterant armis indiſcretæ rationis euincere; omnia ſpreuit hæc iuuenis excelſa animi conſtantia, quaſi videns ſe quantocyùs Dei miſeratione deuenturum ad præmia: cordis lætitiam & oris elegantiam agnouere tunc iudices, ideo tyronis reſipiſcentiam deſperantes, compendioſa celeritate in eum mortis ſententiam edixere; quam protinus miniſtri publici exequi feſtinantes, Sanctium cœleſti lætitia perfuſum è carcere eduxere, atque in forum perduxere, vbi ceruicibus abſciſſis euolauit ad Dominum:

Coronatur.

Ex paucis iſtis alios plures qui ſæuiente aduerſus fideles perſe

perſecutione ex Hiſpaniis in Gallias ſibi finitimas, & viciſſim ex Galliis in Hiſpanias Euangelicum ſecuti monitum contendere, licet argumentari: Hæc autem recenſere ideo decreuimus, primum vt fides ipſa alterno horum ſtudio in illis regionibus magis exculta, eorumdem animos ingenitæ conſuetudinis vinculo arctius conſtringat, vtque ſeria & attenta Deceſſorum ſuorum qui multas vtriuſque regni prouincias pro Chriſti nomine proprio ſanguine purpurarunt, conſideratione permoti, ab effundendo in poſterum fraterno cruore abſtineant, iunctiſque in perpetuum animis ſibi inuicem agglutinati permaneant:

Enimvero ſanguis habet vocem ſuam, & præcipue ſanguis Martyrum: Audite, quæſo, Galliarum incolæ voces illas, quibus Martyrum Hiſpanorum ſanguis per veſtras regiones pro fidei defenſione alacriter effuſus alta voce clamat, voſque in diuino accuſat iudicio, cum non vti olim fidei perduelles per veſtras prouincias exundantes, ſed vos ipſi illuſtres Chriſtianæ religionis propugnatores manus veſtras in illorum ſanguine fœdari concupiſcatis.

Intelligite, amabo vos, pariter ô Iberi voces illas, quas Gallicani Martyres, qui vaſtiſſima veſtra ſuo cruore regna fœcundarunt, contra vos non ceſſant effundere, ſi cruentas iterum manus immiti, quod abſit, in Gallos fratres auſu iniicere tentetis: Audiantur, precor, voces iſtæ ſanguinis vtriuſque nobiliſſimæ gentis effuſi, iſtæ vos doceant gemmis pretioſiores ſtillæ, imo perſuadeant, ne amplius ſanguinem veſtrum pro terreni imperij iuribus, proque exigua terræ particula effuſum commiſceatis, cum ipſi ſuum pro ſola & vnica, vti decet, diuini honoris cauſa, aſſerendaque Euangelij veritate profuderint: Dictum illud Auguſtini ſerio perpendite, quo ipſorum Catholicæ Religionis hoſtium ſæuitiem deſcribit, qua videlicet ſe ipſos morti tradebant, vt fidelium mentes, quibus proximorum ſalus ac vita maxime cordi erat, dolore afficerent: *Quidam,* Epiſt. 61. ait, *eorum & Deo & hominibus miſerabili inſtinctu furoris ingrati, niſi ſuis cædibus nos vaſtare poſſunt, ſuo nos exitu terrere ſe credunt, aut lætitiam quærentes de mortibus noſtris, aut*

triſtitiam noſtram de mortibus ſuis: Cum enim ſua pernicie terrendos nos putent, non dubitant nos timere nos pereant: Et hæc ſi noſtris adaptentur ſæculis, quid aliud quam præcipitem Chriſtianorum inter ſe digladiantium furorem damnant.

Conc. Gall. tom. 1.

Admonitum hic velim Lectorem, Iberos adeo Francorum amicitiam ambiuiſſe, vt eoſdem inter ſuæ gentis Diuos adnumerare contenderint, hac ſolummodo ducti ratione, quod aliquando ſuas ipſi Prouincias adminiſtrarint: Audi quid aſſerat Hiſpanici Hagiologij commentator: *S. Exuperius origine gallus patria Burdigalenſis, munere Rhetor à Conſtantino Præſidis Hiſpaniarum honorem ſortitus, totam hanc regionem mirabili iuſtitia gubernauit: Mortuo Conſtantino Galliam repetens Toloſatum Epiſcopus factus quantæ vir ſanctitatis, ſpontaneæque paupertatis fuerit, teſtatur S. Hieronymus dicens: Exuperius viduæ Sareptanæ imitator eſuriens paſcit alios, & ore pallente ieiuniis fame torquetur aliena, omnemque ſubſtantiam Chriſti viſceribus erogauit:* Statim poſt pauca ſubiicit hæc verba: *Nobis Præſidentiam Hiſpaniarum probaſſe ſufficit, quo munere probato, optimo iure inter Noſtratum Diuos reponimus, quem noſtræ regionis Præſidem fuiſſe cognoſcimus, cum ſimiles honores ciuem prouinciæ moderatæ conſtituant: L. Ciues vbi Gloſſa. verb. Allectio de incol. Card. Tuſchus. verb. Ciues. concluſ. 275. Romanus Conſ. 427. & alij plures:* Hæc autem quid aliud niſi mutuam inter vtramque nationem ſingularis amicitiæ propenſionem intercedere pronuntiant, cum Gallus homo in Hiſpanias Præſes deputatus ſit, cuius ſuauis ac prudens regendi modus, eximiuſque pietatis cultus adeo Iberorum animos ſibi conciliauit, vt honorabile ipſius nomen in Diuorum conciuium ſuorum catalogo ſcribere, ac peculiarem veluti ſuarum regionum incolam ac ciuem venerari ſtatuerint.

Martyrol. Hiſp. 28. Sept.

Ecquid amplius in medium adduci poſſit, quo florentiſſimâ vtraque gens arctiori neceſſitudinis fœdere ſeſe in futurum adſtringat? Intimam plane Francos inter ac Iberos dilectiſſimos velut inter fratres coniunctionem interceſſiſſe quis non videat, cum vtriuſque nationis Eccleſiarum regimina ab vtraque gente earum Conciuibus vltro citro

citroque delata fuerint, amborumque regnorum populi nonnumquam sibi inuicem subditos fuisse glorientur?

Quid restat nisi vt mutuam istam solemni iamiam fœdere renouatam inter vtrumque Clerum, amborumque Regnorum Monarchas, populosque, animorum coniunctionem ipsi augustissimi Principes fouere, totisque conatibus tueri, augere, perennemque, quantum fieri poterit, ad multos annos stabiliant, eorumque exemplo subditi intima animorum conglutinatione socientur, alterna fraternæ consuetudinis officia summis studiis prosequantur, atque externa familiaritatis auitæ insignia, ad totius orbis stuporem, quacumque data occasione, sibi vicissim satagant exhibere.

Religiosæ Familiæ in iis regnis mutua utriusque gentis consuetudine mirum in modum propagatæ.

CAPVT SEPTIMVM.

EX variegata pulchrorum forma species venustior, & gratior resultare solet; *Amœna vero vsquequaque varietas*, inquit Plutarchus, quæ in tot huius mundi simulachris, & gratissimis spectaculis præfulget: Cuius opificem, in eius constitutione, arte variegandi vsum fuisse existimat Philo Hebræus dicens: *Requiritur etiam varietas litteris picturata, sigillisque variis, effectis probe omnibus, quorum proprietates inter se temperatæ, mixtæque musicam symphoniam conficiunt: picturandi artem admiror, præsertim quando terræ segmenta, cœlestes circulos, animalium, stirpiumque differentias, & hunc mundi multiformem contextum aspicio, quæ admiratio cogit me credere, huius opificem inuenisse artem variegandi.*

a de liberis educandis.

Lib de somniis.

Tot formas & imagines pulcherrimas mira concinnitate variegatas supremus architectus condidit, terrarum, stirpium, fontium, fluminum, animantium, elementorum, cœlorum, & syderum in vnitatem concordiæ compactas & contextas sicut bene sonantem lyram, ex qua dulcis & vniformis melos ex fidibus diuersis & variis resultat; vt exornatam domum, & templum, in quo omnes peristromatum, florum, simulachrorum pulchritudo variatur in formis, & mirabili ordinis dispositione coalescit in venustatis vnitatem, varietas est in figuris, contextura, & cohærentia in consonantiæ decore.

Epist. ad Demetriad.

Eadem varietatis insignia, quam in cœtu Fidelium, quos moderamen charitatis, & eiusdem Fidei continet disciplina, collaudat S. Prosper, in multiformi & varia sacrorum

cœ

cœtuum, diuersarum nempe Religionum disciplina, Institutisue mirum in modum elucere quis non videat? Religiosæ siquidem familiæ *ad maximum Ecclesiæ ornatum*, vti aiebat Nyssenus, sunt institutæ: & quemadmodum in suprema cœli aula ordines stellarum & Angelorum Dominus disposuit, in terris quoque varios cœtus distribuit, & ordinauit Sanctorum, quorum virtutibus, & meritorum insignibus Christus coronatur, eiusque sponsa Ecclesia tanquam monili pretioso, & murænulis ex lapillis pellucentibus distinctis, sic variis Religionibus velut candidis & inæstimabilibus margaritis pectus exornat: Certe iuxta Hieronymi placitum: *Flos quidam & pretiosissimus lapis inter Ecclestica ornamenta monachorum & virginum chorus est*: Quin & religio *vita est*, Bernardo teste, *quâ nulla similior Angelicis ordinibus*: Denique *Philosophia diuina* ab Isidoro Peluſiota Religio nuncupata, tanquam *propria Martyrum hereditas* à Io. Damasceno commendatur.

Quem vero mortalium latet quanto semper elapsis sæculis splendore in florentissimis Hispaniarum æque ac Galliarum Regnis sacri Religiosorum cœtus floruerint? In Galliis inter celeberrima quæque Cænobia Lirinense Asceteriũ numeratur, ex quo pene innumerabilẽ Sanctorum copiam, maxime post inductam ab ipso S. Mauro reformationem prodiisse, ex plurimis vetustissimis iuxta atque recentioribus Scriptorum liquet monimentis, facileque colligitur ex ingenti famulorum Dei illic Monasticen professorum tanto, in decursu, numero, adeo sub sanctissimis Abbatibus feruente Monachorum studio, vt si non omnes, plerique tamen diuersis temporibus perfectionis titulo celebres etiam vulgo haberentur; soluſque S. Amandus Abbas sub annum Christi 700. discipulos simul semelque ibidem conuiuentes ter mille septingentos numeraret, & tantam Sanctorum frequentiam, vt locus ipse à sanctissimis & clarissimis viris longe splendidissimis & glorioſissimis titulis celebraretur, quales sunt è sexcentis pauci: *Instructa prælijs acies, castra Dei, cohors Sanctorum, glorioſa ciuitas, altera Hierusalem, latebra Sanctorum, illuminatum latibulum, mansio*

Lirinense Monast. fuit SS. Seminarium.

Sub S. Amando ab. 700. Monachos habuit.

sio in Christo viuentium, nutrix Sanctorum insula, otile Dominicum, Aluearium mellis, ara sacrificij, benedicta terra, fons gratiarum, horreum vitæ, paradisus terrestris, Porta Cæli, Religionis exemplar, sinus tranquillissimus, speculum Sanctimoniæ, &c. de quibus aliisque titulis consulendus Vincentius Salernitanus.

In descript. Insulæ Lirinensis.

Nec inferiorem tenet locum Gallicana inter Archisteria Luxouiense, in quo ingentem Monachorum, ac pene incredibilem fuisse numerum, cum ex antiquitate Cœnobij iam supra mille annos inter celeberrima ordinis spectatissimi, tum ex ipsa sub Sanctissimis Præsulibus ac vitæ Magistris iugi & quam maxima Monachorum frequentia fit manifestum, vt si vel solos quidem diuersarum gentium Apostolos, Archiepiscopos, Episcopos, & quidem omnes Sanctitatis, & præclare gestorum laude celeberrimos numerare aggrediaris, totus obstupescas, tanta iam cum ob singularem eruditionem, tum præstantissimam sanctitatis laudem, ipsis Cœnobij initiis, de eiusdem Monachis opinione, vt sub annum Christi 617. Concilij Gallici Patres communi omnium consensu decernerent: *Ad extirpandas Gentilium reliquias, & succrescentes hæreses Photini & Bononij, neminem tam esse idoneum, quam Monachos Luxouienses; Satis luculentum eos zeli & industria sua documentum quotidie dedisse in numero populorum, quos prædicatione sua ad fidem adduxerunt, &c.*

Luxouien. Cœnobij Laus.

Sed & Lothario trium regnorum coronis ornato, indicto Concilio cum de conuersione infidelium ageretur, Luxouienses Monachi, communi Patrum omnium suffragio Apostolicæ functioni aptissimi iudicati, deputatique fuere; Atque principes fidei præcones voto solemni Agilus & Eustasius designati, qui plurimum tanto in opere desudantes, præter eximium tanti laboris meritum, & incomparabiles fructus, Apostolici nominis glorioſum titulum in æternum meruere plurimasque prouincias Christo lucrati sunt.

Quid de eodem S. Eustasio illustri S. Columbani discipulo, eiusdemque in Abbatis munere dignissimo successore proferam? Hic sexcentorum ferme Monachorum pater

tanta

tanta vitæ ſanctitate celeber fuit, vt ingens vndiq; ad ipſum concurſus fieret, potentiaq; opibus, genere, famaq; illuſtriſſimi, cucullum enixius ſub ipſius magiſterio exambirẽt: Eum Clotharius Rex cultu præcipuo, vt S. Domini coluit, & Cœnobium ſuũ maximis fauoribus ac priuilegiis eſt proſecutus.

Eximia ſane B. Agili eiuſdem alumni poſtea Resbacenſis Abbatis charitas æternitatis faſtis inſcribenda videtur, qua conſpecto aliquando ad fores Cœnobij paupere, ad Bardolium fratrem conuerſus; Ecce, ait, quomodo aliis vtilitatibus occupati tanta negligimus; & ad pauperẽ; veni frater, en faciemns tibi quod competit; cumq; is præ vulnerũ multitudine loco ſe mouere non poſſe reſponderet, ipſum Agilus in humeros ſuſtulit, & abſque vllo põderis alicuius ſenſu prope focum (erat enim hyemps) in ſedili collocauit: Sed cũ aquã (ex regulæ præſcripto) manibus eius affundere pararet, inter admirandã cœleſtis odoris fragrantiã pauper diſparuit:

Hoc vero vnum duntaxat Luxouienſis Cœnobij mirùm quantùm ſplendorem eleuat, gloriamque extollit, quod ſicut olim Conſtantinopoli Sanctiſſimus Abbas Alexander in ſuo trecentorum choro Monachorum nobili Cœnobio viginti quatuor diei horas in totidem Pſalmodias diſtribuit, & ſic continuatam diu noctuque pſalmodiam diuino plane inuento conſtituit, vnde fortunati illi cœleſtium ſpirituum, ſupernæque ciuium Hieruſalem æmuli, ſociique fratres Acœmeti, ideſt inſõnes dicti ſunt, quippe qui in perẽni orationis exercitio ſemper vigiles, nullam temporis particulam quieti ſomnoque tradi ſolitam, ſibi diuina laude vacùam elabi permitterent; pari ratione in Luxouienſi Monaſterio perpetuam huiuſmodi laudem à S. Columbano ſacræ illius eremi conditore inſtitutam conſtanti populorum traditione, certaque indigenarum fide didicimus: Ita vt de ſplendore eius Cœnobij etiam deinceps multo celebriori facile ominari queas. Bollan d. in vitis SS. 27. Ian.

Quid de Gemmeticenſi Monaſterio commemorem? in quo dum ſub Aichardi Sanctiſſimi Abbatis præfectura nongenti omnino fratres ſimul conuiuerent, perpetuam Cœleſtis Beatorum chori laudem perenni in terreſtri conuen-

tus Monastici paradiso diu noctuque numquam intermissa diuini Numinis veneratione imitati, angelicāq; in terris vitam degentes, Sanctorum conciues, Deique domestici tandem effici meruerunt; Angelo Sanctum Abbatem ob senilem ætatem defectūque virium minus digne præesse metuentem, ac de tāto fratrum numero sollicitum, vt tanta sibi sarcina releuaretur, Deum orantē docente, quiq; morituri è felici illo numero essent signante, vnde S. Abbas mediam illorum partem quadringentos & quinquaginta fratres post trīduuum ad cœli triumphos euocandos factus certior, eosdem inter feruentissimas preces & amoris diuini dulcedinem, cum facies singulorū atque omnium admirabili splendore velut sol exsplendescerent, mori intuitus, cæteris, qui se relictos plangebant, spe & consolatione accensis, has inter præeuntium, & paulo post secutorum minime funebres, sed festiuissimas & cœlestes tædas, & ipse in lectulum cilicio stratum se colligens, eleuatis in cœlum oculis felicissimum spiritum creatori commendauit.

Anno 695.

Celebris item ac perhonorifica in Galliis habetur sacræ Fontanellēsis in diœcesi Rotomagensi sitæ Solitudinis memoria, in qua incredibilis SS. ac BB. multitudo longo tēpore floruit, qui ibidem sæculo mortui, & Christo per solemnem professionem regenerati, suis meritis Ecclesiam cumularūt, & triumphatis carne, mundo, dæmone, triumphis æternis adscribi meruerunt: pro rara eiusdem Cœnobij felicitate, & pro integro tanti exercitus Nomenclatore syllabo sola sacræ huius militiæ Antesignanorum siue Abbatum insigni sanctitate præ cæteris illustriorum nomina possemus recensere, ex quorum gubernandi dexteritate, & disciplinæ studio creditorum iisdem militum fortunam submetiri liceat, & partos de hoste infero triumphos ac spolia æstimare; quæ quidem nomina in eiusdem Cœnobij monumentis suis ordine & loco recensita cuiuis aperire volenti facile occurrent.

Fontanel. in Norman. Cœnobium.

De Cluniacensi in hoc breuiori catalogo nihil dicendum videtur, cum ampliſſima de eo inferiùs à nobis, & quidem meritissimo iure mentio instituenda sit.

Quem

Quem vero latet vallis olim Absinthij, nunc cœlestium deliciarum Paradisi, Claræuallis inquam Cœnobij splendor? in quo primis ac vere aureis S. Bernardi temporibus septingentorum & amplius Angelorum potius in carne viuentiũ, quam Monachorum sacra cohors diu noctuque Deo laudes persoluebat; Et certe sub Gualtero Priore, inquit Guilelmus, in valle illa plena hominibus nemini otiosum esse licebat, omnibus laborantibus, & singulis circa iniuncta occupatis, media die mediæ noctis silentium à superuenientibus inueniebatur, præter laboris sonitum, vel si fratres in laudibus Dei occuparentur: Porro silentij ordo famaque tantum ipsos sæculares rapiebat, vt, non dico praua, vel otiosa, sed aliquid etiã quod ad rem non faceret, ibi loqui vererentur: Claraual. in Campan. Monast. Lib. 1. c. 7.

Nicolaus autem quidam Arremarensis cum in sanctam fratrum Clarauallensium societatem admitti exambiret, moræ impatiens, in ea quam ad Claræuallis seniores scripsit Epistola sic exclamat: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, qui lumen cœli, lumen Clarauallis non video? ô lumen descendens à patre luminum, vbi lucent luminaria in firmamento cæli, vnde assumptum est, videlicet Eugenius PP. luminare maius, quod illuminet terram: ô fœlix regio, vbi vidi filios Israel per ordines & turmas incedere, omnes negotiosos, otiosum nullum, omnes gladios tenentes & ad bella doctissimos, in spiritu fortitudinis terram promissionis intrare, ibi vidi sponsam Christi, quæ fere vbique rugata est sine ruga & macula, illam quæ vere vulnerauit cor sponsi sui, illam quæ in vno capillulo, & ocelluli scintillatione sollicitat filium Dei patris, & dixi: Castra Dei sunt hæc, non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli, quam cœlestes circumdant legiones in securitatem à turbine & à pluuia:* Annal. Cist. Genes. 32. Isa. 28.

Suam Claramuallem comparat D. Bern. cum Hierosolyma non solum terrestri, sed etiam cœlesti, nam loquutus de quodam Philippo qui peregrinationem in Ierosolymam destinarat, quam tamen professione in Claraualle anteuerterat: *Philippus*, inquit, *vester volens proficisci Ierosolymam, compendium viæ inuenit, & cito peruenit quo volebat: Transfretauit in breui hoc mare magnum & spatiosum, & prospere nauigans attigit iam littus optatum, atque ad portum salutis applicuit:*

cuit: Quod veluti ænigma ingeniosus Oedipus aperiens subdit: *Etsi vultis scire Claranallis ipsa est Hierusalem, ei quæ in cœlis est tota mentis deuotione, & conuersationis imitatione, & cognatione quadam Spiritus sociata:*

Enimuero Clara illa vallis ita Sanctorum Ferax fuit, vt Monachorum, vna duntaxat vice nongentorum Sanctorum Conuersorum & Nouitiorum sacra ossa in Capellam (vulgo Comitum Flandriæ appellatam) ritu solemni translata, multis miraculis illustrentur, & à Christi fidelibus publico
Anno 1269. honore colantur, quem locum sæpe visus est prodigiosus
2. Nouemb. & cœlestis splendor illustrare: Fit etiam Claræuallis Festum Translationis SS. Monachorum, Conuersorum, & nouitiorum, qui sub melliflui doctoris disciplina Altissimo famulantes felicissimum agonem glorioſe consummarunt, & ipso
An. 1148. Magistro etiamnum superstite, hac ipsa die ossa eorum summa cum veneratione translata & honorifice condita sunt.

De Corbeiensi Monasterio priscis ab hinc temporibus famosissimo nihil dicam, in quo S. Adelhardus regio ortus sanguine Pipini nepos, Caroli Magni consobrinus, curare hortum iussus in sudore vultus laboreq; manuum suarum panem manducans omni virtutum laude ita profecit, vt cum in ore omnium, oculisque versaretur, summa omnium gratulatione Abbas electus fuerit: Quo in munere *Thesaurarius erat pauperum* (verba B. Paschasij Ratperti sunt) *orphanorum pater, mœrentium consolator, brachium infirmorum, &c.* Fuit in eo eximium paupertatis studium, ita vt vix necessaria sibi suisque reseruaret, cuius frequens illa & dignissima vox; *Vtinam vel in modico paupertatis Christi participes efficeremur.*

Fuit & Villariense in Brabantia Flandriæ prouincia inter illustriora ordinis Monasteria famosissimum, Sanctorum copia tantopere fertile, vt vix credibile videatur, & solum atque vnicum in singulos anni vniuersi dies Menologio spectatissimo sufficientem possit materiem ministrare; haud immerito, teste quodam recentiore, imo Europa vniuersa, *Brabantiæ decus, religionis officina, & seminarium integritatis appellandum*; Quam Sacram Eremum Heriberdus

riberdus Rosvveidus non dubitarit: *Christo perfamiliarem, Virgini Deiparæ adamatam, Angelis frequentatam, sanctis expetitam, cælo gratam asserere & celebrare:* Cælis etiam ipsis mortalium illic agentium elogia commendantibus, cum numerosa, vt semper erat, multitudo fratrum in choro ad vigilias quandoque congregata summa omnium gratulatione vocem hanc cælo delapsam inaudirent: *Quotquot hic sunt, mei sunt*; vt & de isto, deque alio tot sæculorum numero facile sit ominari:

Neque vero minori cum splendore in vastissimis Hispaniarum prouinciis Monasticam floruisse disciplinam accepimus, in celeberrimo præsertim Agaliensi Cœnobio extra muros Toletanæ Metropolis ab Athanagildo Gothorum Rege, licet adhuc Ariano fundato, multisque redditibus locupletato, atq; à S. Euphemio Præfecto sanctis D. Benedicti regulis probe instructo, ex cuius sanctissima Christianæ perfectionis schola, tanti viri sanctimonia conspicui ad primariam eiusdem vrbis insulam, aliosque per varias Hispaniarum ciuitates honorum apices euecti fuere;

Quomodo à Rege adhuc Arriano Cœnobium exstructum fuerit vide Notas in fine operis.

De Helladio Episcopo huius virtutum omnium Gymnasij alumno sic Magnus Ildephonsus eiusdem in Archiepiscopali Sede successor: [*Cum regiæ aulæ illustrissimus, publicarumque rector existeret rerum, sub sæculari habitu votum monachi explebat & opus, nam ad monasterium meum Agaliense cum sæpe discursantium negotiorum ductus itinere peruenisset, remota Clientum, sæcularisque pompa decoris adeo monachorum peculiaritatibus inhærebat, vt turmis iunctus eorum, stipularum fasciculos ad clibanum deportaret; tumque inter decorem insolentiamque sæculi, solitudinis & amaret & sectaretur arcana, celeri fuga relictis omnibus quæ esse nouerat mundi, adyt sanctum Monasterium, & quod frequentarat voto, venit permansurus optati voti vsu, ibi factus Monachus pariter meritis & studijs sanctis vitam Monachorum debite rexit: Ex hoc fessis pene senio artubus ad Pontificatus apicem euocatur, & quia vocaretur victus pariter & inuitus, illic maiorum virtutum exempla quam monachus dedit, &c.*

Ipse vero Ildephonsus æternum Hispaniarum decus, qui

ob ſingularem vitæ integritatem, ſuſceptamque aduerſus hæreticos Dei Genitricis virginitatem impugnantes defenſionem ab eadem candidiſſima veſte donatus eſt, numquid prima ætate Iſidorum magiſtrum meruit, à quo litteris & pietate egregie inſtitutus, cuculli ſtatim amorem imbibit, atque monachum in eodem Agalienſi Cœnobio profeſſus eſt, eiuſdem poſtea Abbas conſtitutus, mortuo denique Eugenio ob inſignia vitæ merita Archiepiſcopus Toleti ſalutatus, cathedram illam mirabili ſanctitate exornauit, Hiſpaniaſque, imo Eccleſiam vniuerſam maxime demeruit, ſuique & ſecutorum ſæculorum hæreſibus verbo & ſcriptis potentiſſime occurrit, maximis ingenij relictis monimentis, vnde merito ab inſignibus viris, Luca quidem Tudenſi, Lucifer inter Sydera, à Roderico autem Archiepiſcopo, & communi populi atque Cleri voce, os aureum & anchora fidei, à Concilij demùm ad Pennam fidelem celebrati Patribus, Glorioſæ Virginis Dei Matris Capellanus, vt virginitatis eiuſdem ſpecialis præco maximis ſane & digniſſimis titulis appellatus fuit:

S. Iſidor. Hiſpal. Ep. ex Agall. Cœnobio extractus.

Quis autem Iſidorum clariſſimum eiuſdem S. Idelphonſi Magiſtrum in eodem Aſceterio Dei obſequio mancipatum meritis vnquam laudibus digne proſequi queat, qui cum infans adhuc in cunis iaceret, in ore eiuſdem, haud aliter atque Ambroſij, examen apum conſedit, quo nimirum melliflua olim eius eloquentia portendebatur: Germanos ſanctiſſimos Leandrum & Fulgentium, ſororemque S. Florentinam exemplo conſecutus, pari magnitudine animi ſæculum calcando, adamauit cucullum, & in Agallienſi Cœnobio monachum profeſſus admiranda ſanctitute, & præclare geſtorum, ſcriptorumque gloria Vniuerſo innotuit; Leandro vita functo ſucceſſor deſignatus ad Hiſpalenſem è clauſtro extractus Cathedram, ſuam ſtatim toti Eccleſiæ induſtriam & omni comprobauit poſteritati:

Ipſe vero Mahometis errores & conatus primus obſeruauit ac prodidit, hominemque ſceleratiſſimum Hiſpania expulit, cumque adoleſcens etiamnum Arianos diſputando aggredi auſus, publice eorumdem errores conuincens ita irritaſſet,

taſſet,vt prope fuerit,vt ab illis necaretur,denuo ſucceſſu feliciſſimo eos aggreſſus, pernicioſiſſimæ hæreſeos reliquias Hiſpaniis exterminauit: Acephalitarum ſimiliter hæreſim obtriuit, Catholicos in fide cõfirmauit,Clerum ac populum diuerſis maxime Conciliis ac Synodis Toletano,Hiſpalenſi, aliiſque celebratis, quibus ſumma auctoritate ipſe præfuit, egregia diſciplina & ſanctis moribus informauit; Inſigne illud eſt,quod Iberus ſcriptor de eo affirmat: Bonifacio VIII. Rom. Pont. deliberante de iis qui Doctorum Eccleſiæ nomine & numero eſſent cohoneſtandi, fuiſſe qui Ambroſio Iſidorum præferendum, aut certe quatuor aliis quintum adiiciendum iudicarent; *Opinioni*,inquit,*fidem facit tanti viri eruditio, in omni litterarum genere excellentis*:Eum item Concilium Toletanum VIII. inſignibus titulis cohoneſtans:*Doctorem egregium*, *Eccleſiæ catholicæ nouiſſimum decus in ſæculorum fide doctiſſimum*, *& cum reuerentia nominandum appellat*:

Io.Marian. lib.6.c.7.de rebus Hiſp.

S. Iulianum prætermitto, qui Toletano Pontifice Quirico,S.Idelphonſi ſucceſſore vita functo,ad eius honorẽ ſummis omnium votis expetitus ex eodem ſanctitatis Gynæceo acceptus eſt,quem quidem ille ita geſſit,vt non Eccleſiæ ſolum illi,ſed Hiſpaniæ,imo Reipublicæ Chriſtianæ vniuerſæ æterno merito labores ſuos commẽdarit,Concilio imprimis Toletano vnius & ſexaginta Epiſcoporum, cui ipſe præſedit,celebrato: conuicit idem S. Pontifex,& oppreſſit tribus doctiſſimis libris Iudæorum inſolentiam,qui Chriſtianis falſam ab origine mundi ſupputationem exprobrabant.

S. Iuliani Tolet. A. Agall. antea monachus.

Clariſſimæ per Hiſpanias S.Braulij ſiue Braulionis memoriæ iniuriam facerem, ſi pauca quædam ab eius vitæ ſcriptoribus litteris mandata hic delibare omitterem: hic enim è nobiliſſima Gothorum Regum proſapia ortus, in Agalienſi item paradiſo religionis, ſanctitatis, & eruditionis fundamenta poſuit: Epiſcopus poſtea Cæſarauguſtanus miraculo electus, cum in pleno Patrum eligentium conſeſſu, repente delapſus è cælis globus igneus ſuper caput eius deſediſſet, & vox inſuper cæleſtis electionem eius his verbis deſignaſſet: *Hic eſt ſeruus meus quem eligi, poſui,*

S. Braulio Ep Cæſaraug eiuſdem Cœnobij alumnus.

posui super eum spiritum meum: in confutandis hæresibus potentissimus verbo extitit, cui, dum quandoque verba ad populum faceret, columba super humerum verba dictare visa est; cumque paulo ante obitum cælestis apud decumbentem musica, & hæc denique vox ab omnibus audiretur: *Surge, & veni amice mi*: quibus verbis respondens Braulio; *Præsto sum Domine*, cum his verbis sanctam efflauit animam:

Plures alios omitto, qui ex illa sanctorum arca, velut ex equo Troiano, Primati & aliis sedibus, insignes pietate & sanctimonia viri in Campum Ecclesiæ prodiere: sed valde dolendum, quod temporis iniuria, Tagique inundationibus hæc sacra Eremus ita funditus deleta sit, vt quo loci olim extiterit, difficile admodum decernatur, tametsi à multis curiose & diligenter quæsitum sit: Hoc vero Cœnobium vsque ad annum 1006. perseuerasse Iulianus refert: *Hoc anno*, inquit, *monasterium Agaliense vehementi quadam inundatione Tagi dirutum est, nec amplius à Toletanis ædificatum: monachi huius monasterij se contulerunt ad Cœnobium S. Felicis Tagi decursibus impendens; Sic finiuit illa domus, illa quæ fuerat sanctitatis & religionis officina, & per plusquam 440. tot Archiepiscopos Patriarchali sedi dedit, & tot sedibus contribuit Episcopos, tot etiam Doctores toti Hispaniæ & Galliæ Narbonensi*, &c.

Magnam præterea semper in Hispaniis famam sibi comparauit spectatissimum SS. Facundi & Primitiui Saguntinense Cœnobium, cuius Alfonsus VI. Legionis, Castellæ, & Gallæciæ Rex fundamenta posuit, qui cum esset Cluniacensium longe amantissimus, coloniam Monachorum à S. Hugone ipsorum Abbate popposcit: dignissimus præ aliis à lectissimo tot SS. numero Bernardus nobilis Aquitanus est visus, qui Hispaniæ Cœnobiis facem præferret, isque non multo post concordibus omnium votis summa regis voluntate Saguntinensis Abbas electus, honorem illum summa dexteritate, & miro omnium applausu profectuque gessit; nec multo post profligatis Mauris, & recuperata Toletana vrbe, in Concilio Toletano, maxima omnium gratulatione primus eiusdem vrbis Archiepiscopus renuntiatus, & ab Vrbano II. Pont. Max. approbatus est: hic B. Virginis amantissimus eiusdem honori

Roder. Tolet.

honori celeberrimum apud Hiſpanos feſtum DOMINÆ NOSTRÆ DE PACE inſtituit, quo ipſo etiam nomine inſignem Baſilicam exædificauit; ſelectorum item Monachorum colonias è Gallia in Hiſpanias adduxit, & ex iiſdem multis Eccleſiis primaria fundamenta iecit, cultum diuinum mirifice auxit & propagauit, eaque inter ſtudia & immortalia merita quatuor & quadraginta fere annis Eccleſiæ præfuit, regna gubernauit, mundumque illuſtrauit.

Neque vero hiſce duobus modo recenſitis Monaſteriis ſanctimoniæ nominiſque ſui ſplendore ceſſit S.Zoïli Cœnobium, in quo S. Eulogius Cordubenſis Presbyter Monachum, & poſtea meritis grauiſſimis Abbatem profeſſus, qui eiuſdem vrbis Martyribus in Saracenorum perſecutione adiungi meruit, quorum pro fide certamina fuerat æmulatus; licet enim Cleri populique propenſione Archiepiſcopus Toletanus expetitus atque electus fuerit, magiſtratum tamen inire non potuit, ad glorioſiores longe infulas & ſerta ac coronas Martyrum à Numine vocatus, & ob Catholicæ Fidei defenſionem Cœnobio extractus, ac longo carceris ſqualore bene exercitus; in quo poſitus grauiſſimis cæterorum Martyrum tormentis, & mortibus adeo non ſolum exterritus non eſt, ſed accenſus, vt ea ſpe & recordatione ſeipſum ſolatus, triumphos eorumdem rariſſimo exemplo, & mira geſtientis animi ſignificatione, in ipſis vinculis celebrare, & litteris atque libris poſteritati commendare nunquam intermiſerit, quorum plurimis ad Martyrium fortiter ſubeundum auctor fuiſſe perhibetur. S.Zoili Cœnobium.

Caradinenſe vero Archiſterium eximia S. Siſebuti Abbatis vitæ ſanctitas mirum in modum illuſtrauit; Cum enim ſanctiſſimis etiam ſuos moribus imbueret, & ſub arctiore diſciplina contineret, creſcente paulo poſt fama, adeo populi in Monachos illos ſtudium exarſit, vt ſicut virtute ſic opibus creſcerent, verumque illud, vbi diſciplina, ibi abundantia, reapſe experti, Deum in Siſebuto famulo ſuo vniuerſi magnificarent. In Chronico Ordinis.

Et niſi ad alia properaret oratio, multa hic de nobiliſſimo Brito Henriquez Manriq. &c.

in Lusitania S. Ioannis de Tarauca Monasterio recensenda forent, quod B. Albertus ex lectissimis S. Bernardi discipulis vnus, illuc ab eodem cum B. Boëmundo & aliis Monachis è Claravalle destinatus ibidem in loco cœlesti fulgore sibi designato condidit, vbi etiam Prior creatus in summa humilitate & paupertate perseuerauit, eo in primis de vniuersa Portugallia merentissimus, quod eam ab interitu & grauissima hostium oppressione liberarit, sub Alfonso præsertim Rege, qui dum Albucazanum Pacensem Regem cum innumerabili Saracenorum exercitu regnum suum inuadentem prœlio retundere pararet, & paucos admodum milites in campum produceret, B. Albertus extensis manibus velut alter Moyses in conspectu dimicantium exercituum in preces effusus admirabilem atque inprimis memorabilem victoriam Christianis impetrauit.

Annal. Benedict. & M. Max. in Chron.

Cumque hic longum esset omnia sanctitatis loca Monachis assignata percurrere, nihil de S Martini ad montes Libanienses in Asturia Cœnobio proferam, quod S. Thuribius S. Benedicti alumnus, & cum aliis ab eodem in Hispanias dimissus erexit, pluresque illic egregia sanctitate discipulos splendidissima Hispaniarum ornamenta educauit, ipseque pro vitæ meritis Telensis siue Palentinus Pontifex ordinatus, solitus haud procul à Cœnobio prædicto ad locum quendam solitarium se recipere, solique Deo illic vacare, qui locus, eo quod illic Thuribio familiares Angeli fuissent, & sæpius consortio se eius delectari demonstrassent, Eremitorium vsque hodie Angelorum appellatur.

Annal. Benedict. to. 1. & in eius vita per S. Braulium Cæsaraug. Archiep.

Nec est quod diutius in percurrendis Cogallensis Asceterij laudibus immoremur, quod ab eius conditoris nomine S. Æmiliani deinceps dictum, qui ea vitæ sanctitate ad amussim sanctæ regulæ suos instituit, vt vere Sanctorum, & Pontificum Hispaniæ Seminarium, domicilium, & promptuarium appellaretur, temporumque decursu, aliquot supra centum monasteriorũ caput efficeretur; Et quia non semel visus est in Hispaniæ defensionem magnis prodigiis de cœlo descendere, & cum Mauris pugnare, ex illisq; vna sola vice octuaginta millia mactare, ideo cognomem Patroni

Hispa

Hiſpaniæ ſimul cum Apoſtolo Iacobo Maiori meritiſſime adeptus eſt.

Huius autem patrocinio munitum eius Monaſterium memorabile illud priuilegium obtinuit, cæteris Hiſpaniarum vrbibus & Monaſteriis ab illa Saracenorum & Maurorum tempeſtate miſere quaſſatis, atque tanto ſæculorum decurſu vexatis & conuulſis, quaſi in aëre, & è cœlo pendenti nihil eiuſmodi cladium perſentiſcere, & cum vndique atque vndiq; à Barbaris infeſta omnia haberentur, ad hoc Monaſteriũ velut extra mundum poſitum nunquam penetrare, vt ſuam ipſi quietem & felicitatem Monachi mirarentur.

Placet hunc prolixiorem de Hiſpanicis Cœnobiis ſermonem S. Eulogij Cordubenſis Martyris, de quo paulo ante verba fecimus teſtimonio concludere; Hic in ſua ad Vvilieſindum Pampilonenſis Sedis Epiſcopum epiſtola de Legerenſi Monaſterio ad Pyrenæorũ montium radices ſito ſic loquitur: *Præerat ei tũc Odoarius Abbas ſummæ ſanctitatis, magnæq; ſcientiæ vir, qui vltra quam referri poteſt nos digne ſuſcipiens, omnẽ erga nos humanitatem exhibuit: In illo etenim beatæ Congregationis Collegio, quod pẽne centenariũ numerũ excedebat, veluti ſydera cæli, alij quidẽ ſic, cæteri vero ſic, diuerſis meritorũ virtutibus emicabãt: Florebat in nõnullis perfecta charitas Chriſti, quæ foras mittit timorem; Pleroſq; alto culmine extollebat humilitas, qua ſeſe vnuſquiſque iuniore inferior reputãs, imitatores præceptorũ Dei fieri contendebãt: Multi etiam cum eſſent corpore imbecilles, virtute tamen ſubmiſſi, alacrius iniunctum exercebant obſequium: Sic quoque in aliquos principatum ſuum obedientia virtutum magiſtra vindicans, ſuos non patiebatur executores degenerare, ſed grãdia exercere compellebat, quoſcumque ſuo muncre illuſtrauerat: Operabantur omnes certatim: Augebatur inuitem ardor placẽdi Deo & fratribus, & vnuſquiſq; propriæ artis induſtriam ad cõmunem profectum exercitabat: Exercebãt alij peregrinorũ & hoſpitũ diligentius curam, & quaſi declinãti Chriſto ad hoſpitia eorum, omnibus aduentantibus obſecundabant: Cum vero tot eſſent, nullus murmurans, nemo arrogans intererat, ſtudebant cuncti ſilentio, totamque per noctem furtiuis precibus incumbentes nocturnum chaos peruigili meditatione vincebant,*

magna ſe circumſpectione vallantes, ne Pſalmiſtæ denotarentur oraculis, qui ait: Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt:

Nec mirum ſi in vtroque Hiſpaniarum Galliarumque Regno tantus religioſæ diſciplinæ ſplendor emicuerit; cum diuinus ille ſemper apertus, noſtræque inuigilans perfectioni Numinis oculus benignis vtramque regionem intuens obtutibus, ſingulari prouidentia, inſignes quoſdam viros ad opus ſuum ſegregatos excitarit, qui diuino afflati ſpiritu ſacros Religioſorum Ordinum Cœtus in Sanctæ Eccleſiæ aream introduxerunt, qui deſpectis caducarum rerum lenociniis, conculcatoque mundi faſtu, ſpretiſque carnis illecebris ſacras Eremos condidere, quo plurimi ipſorum odore virtutum allecti, è tumultuoſo, procelliſque infami pelago ſæculi in tutiſſimum veluti portum confugere:

S. Bruno Carthuſ. Fundator.

Hinc S. Bruno Carthuſianas inter rupes in Francico Delphinatu paradiſum terrenis refertum Angelis inuenire meruit: Hinc Robertus, ac Stephanus, eorumque digniſſima proles Bernardus Ciſtercienſes ſyluas ac lacus, ſimul & famoſam latrociniis hominumque cædibus vallem abſinthij in Claram Vallem, & amœna cœleſtibus plena delitiis pomœria commutare didicerunt: Hinc Norbertus in eadem Gallia Præmonſtratenſem agrum ditionemque ſanctiſſimis auſteriſſimæ vitæ ſuæ exemplis, ſacriſque D. Auguſtini legibus ita excoluit, vt multos ad ſe vltro confluentes alumnos congregarit, qui ſancti ipſius inſtituti ſectatores in varias mundi partes diſperſi nobilem inter Chriſtianas acies cohortem inſtruxere:

Bernard. Ciſterc. Norbert. Præmonſtrat.

S. Dominic. Prædicat. Toloſ.

Quis vero neſciat S. Dominicum Toloſæ item in Gallia ſui Prædicatorum Ordinis fundamenta ieciſſe? montem vero Martyrum prope Lutetiam Societatis Ieſu ab Ignatio erectæ cunabula vere nominari poſſe, quis niſi peregrinus & hoſpes in eorumdem Ordinum Annalibus negauerit? Guidonem inſuper Montis Peſſulani Comitem clariſſimum Sancti Spiritus Ordinis Fundatorem veriora clamant Chronicorum monumenta: Ad hæc de Ioanne de Mata eiuſque fido Comite Felice de Valois redemptionis captiuorum conſtitutis

S. Ignat. Soc. Ieſu. Guido Ord. S. Spiritus. Io. de Mata, & Felix de Valois. Redempt. Captiu.

stitutis ab ipso Deo patronis, nullus est qui ambigat, qui in Brodolienſi Meldenſis territorij deſerto auctoritate Apoſtolica primam ordinis domum hodie Cerui frigidi nomine inſignitam ſtruxerunt.

S Stephan. Grãdimont.

Suum item Aquitani omnes patronum agnoſcunt S. Stephanum Grandimontenſium Patriarcham, qui Monachicæ vitæ etiam Eremiticam coniungens, in Mureto-monte tugurio è virgultis conſtructo Deo ſeruiens ſtupenda plane orationum vi multos inuitos licet ac reluctantes, è vitiorum cœno extractos, eiurato inſuper ſæculo Monachos effecit:

Robert. de Arbricel. Fontis Ebrardi.

Nec prætereundum ad Galliæ gratitudinem erga B. Ioannem Euangeliſtam teſtandum, quod Robertus de Arbricello Ordinem fontis Ebrardi, Archimonaſteriumque in Pictauienſi agro fundauit; Etenim in honorem Deiparæ Virginis, & S. Ioannis miniſtri eius præclarum hunc cœtum ſtuduit conſecrari, ratus virginalibus ſub auſpiciis virgines vtriuſque ſexus caſtitatis vota congrue profiteri, cum fœminæ in Maria, viri in Ioanne nitidiſſimum perfectæ puritatis habeant ſpeculum, eiuſdemque in iiſdem præſidium ſingulare viciſſim ſortiantur: reſpexit autem maximè vir pius ad Chriſti teſtamentum, qui matris obſequiis Ioannem ſibi dilectiſſimum, ſui vice mancipauit; qua ex forma voluit auctor præfatus huius ordinis, vt Aſcetæ maſculi Præfectæ ſacrarum Virginum ipſius inſtituti ſubeſſent, Virginibuſque in omni pietatis officio famularentur: At viciſſim Abbatiſſa, quæ locum Sanctiſſimæ Deiparæ eo in ordine obtinet, eos vt illa Ioannem, materna dilectione exciperet, atque non vt ſeruos haberet, ſed vt filios chariſſimos omni pietatis affectu proſequeretur.

Io de la Barriere Fulienſ. Menolog. Ciſterc. & Benedict. 28. April.

Beatam porro Ioannis Barrerij Fulienſis Abbatis, & Sanctiſſimæ eo nomine Congregationis ſub Ciſtercienſis inſtituti regula inſtitutoris memoriam nulla vnquam poſteritas conticeſcet: cuius Angelicam conuerſationem, ait vitæ ſcriptor, vitæ puritatem, morum integritatem, Religionem in Deum, humanitatem in proximos, in ſe ipſum rigorem admirandum potius quam imitandum tota Europa

miratur & veneratur, &c. Cui maximæ vitæ asperitati S. Benedicti regulæ lectio initium dedit. Is enim Commendatarius, vt vocant, pro parentum apud Reges gratia creatus, singulari Numinis impulsu, Monachorum vocatione sedulò apud se discussa, cum forte S. P. Benedicti Regulam, quam nunquam antea viderat, in cella cuiusdam Monachi reperisset, & in caput secundum de Abbate incidisset, verba magni Legumlatoris reueritus, de indigne à se vsurpatis nomine & possessione erubescens, de satisfaciundo quamprimùm, vt insolens omnino sic constans prorsus atque generosum consilium suscepit; ac proin verus vt pastor, non mercenarius esset, cucullum & vitam Monachi sedulo amplexus, vt sui quoque Fulienses sub Cistercienſis obseruantiæ disciplina, pari secum animo, passuque non impari progrederentur: Hinc multos Religiosioris vitæ percupidos adsciuit, & congregauit, quibuscum incredibili studio ac conatu, ad exactissimam S. Benedicti Regulam actiones conformare aggressus, admirando vitæ rigore licentiam pristinam sarciuit, & Monachorum studia vehementer accendit, fouit, ac mirifice promouit.

Bernard. de Vargas in Chron. Ord. B. Mariæ de Merced. l. 2. *Anno* 1218. Martyrol. Gallican. & Hispan. 29. Ianu.

Quid de Petro Nolasco Sacri Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum Fundatore? Qui in Papulensi ortus Diœcesi, matre orbatus, Angelorum Reginam Virginem Mariam in suam matrem cum elegisset, ipsi media nocte Kal. August. Barcinone existenti, & ardentissime oranti nobilissimo comitatu apparuit eadem Angelorum Regina, quæ ipsi consilium filij sui de stabiliendo redemptionis captiuorum Ordine, ipsoque primo fratre & Pastore deligendo aperuit, quod eodem tempore simul ipsius Confessario Raymundo viro sancto, S. Eulaliæ Canonico, & Iacobo Aragoniæ Regi per quietem reuelauit, quâ inter se communicata visione, ipso S. Laurentij Hispani Martyris & Aragoniæ gentilis, Patronique Festo die Sereniſſimus Rex regalibus indumentis ornatus cum nobilissimo suo comitatu inter duos suos diuinæ visionis socios Confessarium & Pet. Nolascum in Cathedralem se contulit Ecclesiam, vbi explicata à S. Raymundo de suggestu cunctis adstantibus

visione

visione Episcopus Pontificalibus indutus ornamentis, demandato Regis, Petrum Nolascum coram se genuflexum, & præ nimia deuotione lachrymantem, vestes omnino albas induit, & Rex ipse regium signum, nempe scutum cum barris rubeis, croceique coloris, cum Cruce insuper alba in honorem S. Crucis, eiusdem Petri Nolasci pectori apposuit, vt ab ipso & fratribus suis semper deferretur; Post varias à se Dei, Beatæque Virginis, cuius obsequio totus fuit addictus, patrocinio fundatas instituti domos, numerosasque pauperum captiuorum turmas ex infidelium manibus extractas, supremæ iam propior horæ, ad Patronæ, matrisque suæ cultum & amorem fratres cœpit hortari; quin etiam sæpe sæpius ipsam compellans: An non hoc pacto, aiebat, sese res habet ô Domina: Annon meis humeris onus supra vires imposuisti, tuorum filiorum patrem, pastoremque constituendo? Cum vero recèns institutum Ordinem sancte administrasset, & tum viris in eum illustribus receptis, tum doctrina & precibus exornasset, sacris Ecclesiæ Sacramentis ex more Christiano perceptis, in illis verbis Psaltis, *Redemptionem misit Dominus populo suo*, spiritum exhalauit: Ps. 110. *Anno 1619.*

Proprium inter alios Religiosæ disciplinæ in Galliis propagatores sibi vendicat locum Guastinus Francus, qui ad Furaniam fluuium in mota S. Desiderij, suæ Congregationis sub S. Augustini regula militantis Caput instituit; quam progressu temporis sensim sine sensu humanæ imbecillitatis vitio tepescentem, nimiumque relaxatam Antonius Tolosanus corporeis oculis destitutus, sed perspicaciori mentis acie præditus, moribusque ac litteris clarus ad pristinum splendorem reuocauit; qui post emensum sanctæ vitæ curriculum virtutum pondere grauis, ad æternam demùm coronam properauit. 19. Ian. Gall. Christiana in Tabula Abbatiar. *Ann. 1615. in Iulio.*

In exprimendis variarum in Galliis Monialium Institutis haud immoramur, quarum frequens & miro variegatus toto Regno numerus iucunda Ecclesiæ vestem distinguit diuersitate, tamque aperte omnium resplendet oculis, vt impolito nostro sermone obscurãdus potiùs, quã illustrãdus videatur.

Suos

Suos etiam Hispania protulit Religiosorum Cœtuum Fundatores, quos inter Sancti Dominicus & Ignatius mirum in modum floruere, qui sua ætate à summo animarum Pastore electi, vt senescentem in fœdato vitiorum omnium sordibus orbe pietatem reuocarent, exstirpatisque Hæresum, libidinumque vepretis, in renouatis hominum animis sanctum Numinis timorem, Christianæque perfectionis amorem insererent; Et quoniam peculiari Numinis instinctu, motuque suorum in Gallia Ordinum fundamenta iecere, ideo Gallicanorum Fundatorum Catalogo eorum nomina adscripsimus.

Mart de Vergas Cisterc. in Hispan. reformator.

Venerabilem quoque Patrem Martinum de Vergas Hispaniæ prædicant, extolluntque celeberrimæ Montis Sion Congregationis Institutorem, qui Castellanus patria in Ciuitate Xerez de la Frontera natus, cucullum in *S. Mariæ de Petra*, apud Celtiberos amplexus est, vbi & Religione, & eruditione mire profecit; Cumque oppressionem sui ordinis, Cœnobiis plerisque Principum ac Magnatum libidini atque auaritiæ COMMENDATIS non sine maximo dolore intuerctur, obtenta à Sum. Pont. Martino V. auctoritate in Monte Sion prope Toletum, primæuum veterum Patrum vitæ rigorem suscitauit; vbi in summa paupertate Monachis sibi adhærentibus leges dedit, quas postea insigni Ecclesiæ, & Regnorum Hispaniæ prouentu Romani Pontifices confirmarunt: Fuit Deiparæ amantissimus, cuius vt singularem amorem suæ Congregationis posteris commendaret, cingulum illis laneum, candidumque assignauit, quo signo ab aliis ordinis sui dignoscerentur, in memoriam nimirum rari eius fauoris quo S. Stephanum olim Cistercij Abbatem eadem Deipara consimili cingulo propriis manibus cingere dignata est: Tandem virtutibus insignis, omnibus charus Sancto fine quieuit in Domino.

Menol. Benedict. 6. April.

Miræus Hériquez & alij.

Beatum quoque Ioannem Dei suum nempe conuicem sibi iure vendicant Hispani Granatenses, qui totus nomine, reque HOMO DEI, proximum diligendo, iuxta Apostoli placitum legem perfecte impleuit, nam cum humilis ortus & fortunæ esset, nihilominus diuinos laboris

B. Io. Dei FF. ministrátium infirmis Fundator. Rom. 13.

sui

sui fructus cum pauperibus quos fratres suos vocitabat, communicare solitus, tantum effecit, vt tenui primum & exiguo pauperum hospitali initium dederit, quibus alendis fouendisve, dici non potest, quo feruore, quantisve sudoribus laborando, mendicandoque necessaria ipsis compararit, sed tam felici successu, vt diuino ipsius exemplo patientiaque commoti diuites quamplurimi, largas ipsi concesserint Eleemosynas, quarum auxilio Xenodochia fundauit amplissima, suosque fratres perpetuo eorum obsequio solemni tandem voto ex Sum. Pontificis licentia obstrictos manciparit; sicque Euangelicum sinapis granum in immensam cunctis stupentibus excreuit arborem, quæ per varia orbis regna suos late ramos diffudit, sub cuius vmbra copiosi pauperum, languentiumque infirmorum greges optatam capiunt quietem, animorumque simul & corporum lucrantur incolumitatem.

Generosos atque insignes S. Francisci Alumnos, sanctæ ipsius strictioris obseruantiæ promotores edidit in lucem Hispania, B. Petrum videlicet de Alcantara, & F. Io. de la Puebla Comitem de Bennalcasar, quorum primus non solum Hispanias, sed alias orbis prouincias, Regnaque suorum præclare gestorum fama compleuit, ita vt nostra haudquaquam indigeat commendatione, cum beatæ apud omnes ipsius memoriæ vitæque exstent monumenta, quorum serio & Canonico, vt moris est, maturoque examine à Sum. Pontifice, breui, vti speramus, in album Sanctorum adscribetur; Alter vero à Sixto I V. Pont. Max. detrita S. Francisci veste indutus postquam Generali in Italia Ordinis Capitulo interfuisset, in Hispanias reuersus & promouendæ strictiori S. Francisci Legum obseruantiæ zelo accensus, de Superiorum licentia Recollectorum auctor, & Prouinciæ Angelorum Fundator exstitit, postque emensum austerissimæ vitæ curriculum feliciter in Cœlum recipi meruit.

B. Petr. de Alcant. Discalceat. & F. Io. de la Puebla Recollect in Hisp. auctores. 19. Octobr. 1562.

Anno 1486. Sub Innoc. 8.

Beatam se dixit Hispania Beatricis à Silua Sanctimonialis Virginis generis nobilitate atque splendore virtutũ clarissimæ præsentia; quæ in Monast. Virginũ Tolerano quod à

Beatrix à Silua Ordin. Concept. & V. Fundatrix.

S. Dominico de Silos nomen habet D. Benedicti legibus se subdidit; atque in Deiparæ Virginis honorem, de qua fuit optime merita, summa totius Hispaniæ gratulatione, sub dignissimo purissimæ eiusdem Conceptionis titulo nouum ordinem sub S. Benedicti Regula, Cistercienſique obseruantia instituit, cuius Instituti primo condendo Cœnobio Elizabetha Castellæ & Legionis Regina Palatium suum, dictum Galliana obtulit, donoque dedit, & sanctos Beatricis conatus Innocentius VIII. Pont. Max. summo cum applausu fouit, iuuit, Ordinem prædictum confirmauit, insigneſque gratias Indulgentiarum eum profitentibus impertiuit; Post admirandas super Ordinis sui erectione & propagatione visiones Beatrix variis à Deo miraculis illustrata, tandem præmonente Deipara de mortis suæ hora edocta, plena meritorum mortalitatem exuit, & ad amplexus æterni Regis assumi meruit, in cuius defunctæ dignissima fronte stella aurea insoliti fulgoris insedit:

Menolog. Benedict. 8. Octobr.

Signum denique magnum superiori in Hispanicis oris sæculo apparuit, castissimi Virginum Chori flos inclytus, Abulensis Teresia, cuius infirmi sexus tenuitate in Sanctis suis semper mirabilis Deus fortia quæque confudit; Si quidem debilis Virgo humano quouis solatio destituta, soloque Numinis brachio nixa, frementibus orci incolis, sanctosque eius conatus impedientibus plerúmque viris Principibus, à quibus maiori auxilio fuerat sustentanda, seueriorem veterum Carmelitarum Regulam Deo afflante, & Pio IV. approbante, primum mulieribus, deinde viris obseruandam proposuit, tantaque in eo consilio miserentis Dei benedictio effloruit, vt duo supra triginta sacræ Discalceatorum Reformationis Cœnobia ante mortem erexerit.

S. Teresia Abul. Ord. Carmelit. Reformatrix.

Dum autem de sanctissimis sacrorum ordinum Fundatoribus, deque innumeris Regularium Institutorum asseclis sermo instituitur, quorsum, obiicit forte quispiam, in tam amplum dicendi campum permissa à nobis excurrere oratio? nonnullos ipsi fines, ne longius euagetur, vtque prudenti huic monito obtemperetur, præscribere consulto decreuimus; Quamobrem illos duntaxat in medium adducemus,

mus, qui ex Hiſpaniis oriundi Gallicana quodammodo regna illuſtrarunt; aut in eam ſuæ regulam diſciplinæ inuexêre, fructuque ingenti propagauêre; tum de iis, qui ex Francica orti proſapia Hiſpanias adiêre, vt numeroſos latiſſimæ illius regionis incolas Chriſtianæ pietatis, regularumque ſuarum inſtitutis imbuerent.

S. Benedict. Monach. in Occid. Patres ſuos in Gall. & Hiſpan. alumnos miſit.

Primum in Occidente ac præcipuum monaſticæ obſeruantiæ Fundatorem, atque adeo mirificum propagatorem Diuum Benedictum ſuorum colonias diſcipulorum in Hiſpanias, Galliaſue miſiſſe plurimi authorès affirmant; Et quidem S. Maurum ab eo in Gallias directum clariſſime Romanum teſtatur Martyrologium, vbi 40. annorum ſpatio degens, non modo in iis prouinciis, verum etiam in Anglia, Scotia, Hibernia, aliiſue in regnis perfectiſſimorum alumnorum copia plures ſacras impleuit, fœcundauitque ſolitudines.

Probabile eſt à S Mauro Benedicti filios in Hiſp. miſſos eſſe.

Certe ſi nonnullorum ſententiam amplectamur, qui à Mauro in Galliis commorante Monachos qui D. Benedicti regulam in Hiſpaniæ Regnis primum promulgarunt, delegatos fuiſſe aſſerunt; Vnde Petrus Diaconus Caſſinenſis, agente S. Mauro, vniuerſam Benedicti Cœnobiis Hiſpaniam refertam teſtatur his verbis: *Maurus per totam Galliam & Hiſpaniam ordinem fundat:* (Quod profecto haud improbabile videtur, nam ſi Mauri ſtudio plura Benedictini ordinis Cœnobia diuerſis in regnis, ac potiſſimum in Anglia, Hibernia, Scotia, aliiſque regionibus fundata dicuntur, qua ratione ipſum finitimis Hiſpaniarum regnis ſui radiis inſtituti colluſtrandis numquam animum intendiſſe dicamus?) Florentiſſima quæque Benedictinæ familiæ monaſteria in Hiſpanicis oris conſtructa ex Monachis Galliarum incolis primæuam traxiſſe originem haud perperam aſſerere liceret; Sed quoniam plures ab ipſo Benedicto ſui inſtituti aſſeclas præſtantiſſimos viros in Hiſpanias fuiſſe directos Iberi ſcriptores variis ſuffulti rationibus atteſtantur, idcirco mutuæ iſtius inter primos Benedicti filios in vtroque regno florentes communicationis, eximiæque beneuolentiæ argumenta aliunde libet mutuari.

Primum iſtud Benedicti Filiorum agmen ex Italia ab eo Iberis miſſum, ex quo deinceps innumerabilia fere monachorum examina prodiere, qui miræ eruditionis, ſanctimoniæque fulgoribus eas regiones illuſtrarunt, nullam plane cum Mauro ſanctiſſimi eorumdem Patriarchæ primogenito, in prouinciis ſibi finitimis tot Cœnobiorum Præfecto conſuetudinem habuiſſe, quis vnquam, dummodo ſanæ ſit mentis, aſſerere audeat? Quin imo ſiue per ſeipſos coram, ſeu per litteras frequentiſſime Maurum adire ſolitos, tanquam celeberrimum ea ætate Galliarum, ſimul & adiacentium regionum Oraculum iure affirmarit.

Menolog. Benedic. 15. Ian.

Enimvero S. Rex Theodobertus eius diſcipulorumque pedibus prouolutus, communi fratris cum iiſdem titulo cenſeri, appellarique ſummæ gratiæ loco exambiebat: Quot putatis eiuſdem familiæ alumnos Maurique fratres in Hiſpaniis degentes Gallias ſæpius petiuiſſe, vt amantiſſimi velut parentis & magiſtri pedibus aduoluti æternæ monita ſalutis ab eo acciperent, dubiiſue in rebus ſaluberrima conſilia exquirerent? Nonne Iberorum Monachorum oculos animoſque ad Granofolienſe Cœnobium ampliſſimæ Congregationis à Mauro fundatæ caput Theobaldi ipſiuſmet Theodoberti Regis filij in Ordinem ingreſſus rapiebat, adeo vt ex Hiſpanicis oris turmatim, vt ita dicam, ad prædictum confluerent monaſterium, principem vnice Theodoberto carum, florum aulæ florem cum filio omnes mundi illecebras generoſe deſpicientem, quem propriis Rex ipſe manibus eius capillos reſcindens, Mauro ſanctiſſimo Præſuli ſacro decorandum cucullo obtulerat, ſuis cominùs oculis intuituri, vtque tantam in nobiliſſimo principe ſibi iam in ſocium dato virtutem, mundique contemptum admirati, tam raro principis terrena omnia deſpicientis exempro ad feruentiorem Dei amorem magis in dies accenderentur.

Qui ergo maximam inter primos illos Benedictini inſtituti propagatores ad Hiſpanos à ſanctiſſimo Patriarcha deſtinatos, ac Maurum eidem vnice dilectũ, eiuſque ab ipſa pueritia diſciplinis informatum interceſſiſſe, atque adeo vtriuſque

que gentis monachos eiusdem Beatissimi Patris filios in promouenda, amplificandaque in iis regnis eiusmodi monasticæ vitæ disciplina, mutuo atque perenni sese commercio iuuare totis animis contendisse pronuntiarit, nequaquam hallucinari, meo quidem iudicio, videatur.

In Præfat. ad Biblioth. Cluniac.

Verum in quantam, ô superi! Cluniacense vnicum Galliæ Archisterium sub Sancti Benedicti regulæ vexillo militãs in sui me rapit admirationem! Cluniaca enim domus merito à Paschali II. Sum. Pont. laudatur tanquã *Religionis monasticæ speculum, lux mundi, & inter lapides pretiosos quadam præfulgẽs margarita, peculiare Ecclesiæ Romanæ patrimonium, ac nobilius membrum regni Franciæ:* Et Petrus Damianus recte eam vocat, *Paradisum quatuor fluentis Euangelicorum irriguum, & spiritualem campum, in quo cælum & terra congreditur.*

Citat. in Menolog. Benedict. 15. Apr.

Huius porro clarissimi Cœnobij tãta fuit monachorum frequentia, vt cõmuni omnium opinione Sanctorũ, atque perfectorum ratio non denario, vicenario, quadragenario, aut centenario, sed, quod obstupescas, millenario solũ numero iniretur, tribus plerumq; millibus ibidem sic conuiuẽtibus, vt ad diuersas toto orbe missiones, tãquam in segetem Dominici agri hac illacq; excolendã mitterentur; Vnde factũ non solũ vt Occidentis Reges fere vniuersi & regna, sed & remotissimi Orientis Principes & oculos & animũ ad tantæ Congregationis miraculum conuerterẽt, & à tanto tot Sanctorũ atq; Doctorũ Collegio opem cõsiliumq; desperatis seu plenis periculi rebus flagitarẽt, vt haud immerito Gislebertus Petro Pictauiensi quereretur: *Nos autem*, inquit, *quomodo solitary sumus, qui postquam huius eremi vastam solitudinem intrauimus, tantam post nos hominum frequẽtiam traximus, vt magis vrbem, quam eremum struxisse videamur? nam vt illam turbam tumultuosam sileam, quæ de tota circũpositã regione, pro litibus suis, aut fine concordi dirimendis, aut sententia iudiciaria limitandis cateruatim confluit, tantam nobis cum transmarinus Oriens, tum transalpinus Occidens Legatorum copiam mittit, vt vel cuiuslibet magni Regis curia, vix responsa dare suffitiat, &c.* Vnde Petrus Cellensis suæ ætatis Cluniacenses alloquens ita fatur: *Nonne hæc est vrbs fortitudinis nostræ, de qua egrediebantur*

Vera Cluniaci Archisterij Encomia.

Epist. 157.

tur quondam mille per Epiſcopatus, per Abbatias, per Regum & Principum curias? Nonne luminare hoc magnum tenebras obſcuratæ Religionis per diuerſas regiones illuminauit ordinem reformando, docendo, charitatem infundendo, cætera pietatis officia renouando? vſque ad Sedem Apoſtolicam nonne gradibus humilitatis aſcendit? ô Domini, ô Fratres, ô Cluniacenſes, ego ipſe apud S. Martinum de Campis adoleſcentulus veriſimis experientiis quod dico guſtaui, & vidi vbi erat auro locus in quo conflabatur, &c.

Non ſine cauſa hic Cluniacenſ. Monaſter Laus texitur.

Atenim quorſum, inquiet rigidus forte quiſpiam Cenſor, tanta verborum pompa celeberrimi quidem, noſtriſque præconiis longe ſuperioris huius Monaſterij laudes deprædicas? ad quid tempus inutiliter teris, ſermonemque longius protrahis? extra chorũ ſaltas, quid huiuſmodi encomia Gallicanis monachis data ad commercium cum Hiſpanis ab eis præſtitũ facit? Siſte paululũ quiſquis es, qui continuũ orationis filũ abrumpis; Neque vero me fortuitò, aut temere tam ſpecioſum de Cluniacenſi familia elogium hoc loco texuiſſe arbitreris: Enimvero ſi Monaſticæ ſpeculum Religionis appellatur, ac veluti Luminare magnũ tenebras obſcuratæ Religionis per diuerſas regiones illuminaſſe dicitur, hoc ipſum Cluniacẽſes in Hiſpanicis potiſſimum Regnis feliciter peregiſſe mox demõſtrabimus, cum ab ipſiſmet Hiſpaniarũ Regibus pluribus euocatos vicibus fuiſſe oſtendemus, vt regularẽ diſciplinam in illis prouinciis pene collapſam ad priſtinum releuarent monaſticæ perfectionis ſplendorem; Neque tanquam peculiare præſtantiſſimi iſtius Cœnobij elogium, ab hac vrbe fortitudinis egreſſos quondam mille per Epiſcopatus, haud opportune modo à vobis auditum exiſtimetis, nam plures è Cluniaco extractos Hiſpaniarum rexiſſe Eccleſias ſuperiori capite indicauimus.

Sed neque totum fere orbem Legatorum ſuorum turbam ad hoc famoſiſſimum Monachici Inſtituti Aſceterium tanquam ad oraculum deſtinaſſe, perperam à nobis aſſertum autumemini, plures namque ab Hiſpanis Regibus miſſos ad ſanctiſſimos Abbates Hugonem alioſue inclytæ huius familiæ rectores paulopoſt enumerabimus: Iberos autem

ad

ad Cluniacense sanctitatis doctrinæque Gynæceum properantes necnon eiusdem Cœnobij alumnos è Galliis Hispanias lustrantes Ioannis Marianæ ductu videamus: *Pace reddita*, inquit, *Sanctius animum ad Religionis cultum conuertit: celebris erat ea tempestate Cluniacensis Monasterij sodalium fama sanctitatis; Inde coloniæ in varias Galliæ & Hispaniæ partes mittebantur: Sanctius hominum fama permotus in Leirense Monasterium, quod olim veterum Regum munificentia exstructum erat, id genus Monachos euocauit: Idem in Oniensi Monasterio præstitum virginibus: Ei Cœnobio Garsias primum præfectus est, qui cum aliis Monachis ex Gallia venerat, &c. D. Ioannis Cœnobium quod prope Iaccam constitutum fuisse docuimus veterum Regum superbis sepulchris nobile, isdem Cluniacensibus Monachis incolendum est datum: Et ne tantam multitudinem, quantam necesse erat tot domiciliis occupandis euocare ex Gallia necesse esset, prouidus Rex Paternum Sacerdotem, & duodecim socios in Galliam dimiserat, vt Cluniacensis Collegij moribus informati, excultique institutis, eam vitæ rationem traducerent in Hispaniam:* Lib. 8. ca. 14. Anno 1031.

Hisce verbis duo nobis accuratus hic auctor expendenda proponit; Vnum est, Hispanos ea tempestate à Gallis Cluniacæ domus Monachis disciplinæ regularis moribus imbui adeo ambiuisse, vt frequentes fierent in vtroque regno coloniæ Monachorum, ipsosque Hispaniarum Reges tanta in prædictos Fratres animorum propensione affectos, vt sæpius è Galliis ad sese accersitos amplissimis regiaque munificentia splẽdentibus Monasteriis eos præfecerint; Alterum est Iberos ipsos Monasticæ disciplinæ candidatos ad insigne hoc Gallicanum Cœnobium directos, vt sanctorum Monachorum ibi degentium institutis exculti, eadem perfectissimæ vitæ semina, quæ in vberrimo Cluniacensis domus agro collegerant, in Hispanias reuersi copiosiùs effunderent.

Hoc autem ideo factum citatus auctor notauit, ne tot patres è Gallicanis Cœnobijs extraherentur; ex quo numerosam Cluniacensium Monachorum copiam in Hispanias huius rei gratia confluxisse intelligas; maximam igitur Gallos

Gallos inter ac Iberos excultam communionem, necnon ex huiuſmodi coloniis ad Galliæ Hiſpaniæque Cœnobiorum regimen vltro citroque directis copioſam ſanioris diſciplinæ ſegetem in Hiſpanicis oris excreuiſſe quis non videat? Et vero ſi Cluniacum tanta ſanctitatis fama, illa florebat ætate, vt ſuauiſſimum vbique regularis obſeruantiæ ſpargeret odorem, quam vberes Hiſpanica eius Cœnobia, toto regno ſanctitatis manipulos collegiſſe dicendum eſt, cum vel ipſi Cluniacenſes alumni Iberos Religioſæ diſciplinæ inſtitutis excoluerint, vel Hiſpanici Cœnobitæ Cluniacam in Galliis domum, imo terreſtrem illum, vt diximus, paradiſum incoluerint?

Sed & longe vberiores ſacræ diſciplinæ fructus non modo intra clauſtrorum ſepta, verum etiam in clariſſimis Hiſpaniarum Eccleſiis Cluniacenſium Patrum ſtudio collectos ſub Rege Alfonſo fuiſſe ex eodem Mariana diſcimus, vbi de Bernardo Toletano ita diſſerit: *Ab eo*, id eſt ab Hugone Abbate Cluniacenſi, *ad Alfonſum Regem in Hiſpaniam ablegatus eſt S. Facundi Cœnobium quod reliquis tota ditione Monachorum Collegiis Rex præficere cogitabat, ſeueriore diſciplina aſtringere, & nouis inſtitutis temperare: in eam rem idoneum virum ex Gallia mitti abs Hugone poſtulauit; miſſus Bernardus, &c.* Hic ipſe eſt præſtantiſſimus Toletanæ Sedis antiſtes æterna dignus memoria, quem ſelectam Monachorum coloniam è Gallia in Hiſpanias adducentem, ac per eoſdem prima variarum Eccleſiarum fundamenta iacientem ſuo loco admirati ſumus:

Mariana. l. 9. 17. Anno 1065.

Cæterum ſine animaduerſione prætereundum non eſt, quod cum Rex Hiſpanus arctiori vitæ diſciplina S. Facundi Cœnobitas reſtringere exoptaret, ad hoc munus ſtrenue peragendum, Monaſtici inſtituti cultores non aliunde quam ex Francia, Cluniacaque inſigni domo euocare voluerit; probe enim nouerat, fama nondum in Hiſpaniis extincta, admirandos ſub Sanctio Rege ſacrorum cœtuum Religioſis excultorum inſtitutis prouentus à Cluniacenſibus Monachis, quos ipſe è Gallia exciuerat, in ſuis Monaſteriis feliciter reportatos; quare confeſtim oculos animumque ad

Galli

Gallicanos illos Patres conuertit, vt eandem pari itidem felicitate, quam priores illi opus expleuerant, prouinciam assumere totoque animi conatu adimplere dignarentur; quod sane per monachos è Gallia in Hispaniam transuectos, atque in strictioris obseruantiæ exemplaria cœnobitis illic degentibus propositos adeo iuxta Regis mentem votumque felici exitu cecidit, vt homo quamuis exterus vno bonorum omnium consensu primarij eiusdem Cœnobij præfectura, ac deinde summi Toletani Præsulatus infula cohonestari meruerit:

Quare cum vos, ô Iberi, monasticæ disciplinæ sectatores ac illustrium Monasteriorum incolæ, quibus arctioris quidem, sed perfectioris vitæ normam Cluniacenses Ascetæ, vestro piissimo Rege tantum bonum suis regnis procurante, singulari prorsus Numinis in vos prouidentia detulere, vestrisque strictioris obseruantiæ studiosis Decessoribus præscripsere, vos plurimum Gallicanis hisce patribus obstrictos profiteamini, vobis etiam atque etiam gratulor; hinc namque aperta singularis ac mutuæ inter Religiosas vtriusque gentis familias communionis, summique non tam regularis disciplinæ quam profecti inde Ecclesiarum incrementi argumenta in nostri instituti gratiam abunde suppeditatis:

Quoniam vero de Hugone Cluniacensi incidit superiùs mentio, à quo suos Alfonsus Rex monachos expetiit, quæ in eiusdem sanctissimi Abbatis vita de Alfonso Rege per eum liberato referũtur, hoc loco apponenda duximus: Cum Rex à fratre Sancio maximo imperandi desiderio exæstuante, obscuri carceris ergastulo detineretur, B. Hugo, pro innata sibi erga miseros quosque compatientique admodum pietate, infortunati principis calamitosam, indignamque sortem miseratus, feruentissimis, assiduisque Deum precibus pro eo deprecabatur; nec mora Petrus Apostolorum Princeps cuidam fratri in Cluniaco secreto apparens preces Hugonis in Alfonsi fauorem Dominum suscepisse reuelauit, quod & Regi in carcere nuntiari præcepit:

in Biblioth. Cluniac. ex vita S. Hugonis.

Interea Apostolus ipse Sanctio in somnis sub graui com-

minatione mandauit, vt cito Alfonſum è vinculis ſolueret, nec amplius differre præſumeret, alioquin grauiſſimas inobedientiæ ſuæ pœnas luere cogeretur; quare Sanctius timore correptus Alfonſum ſtatim è carcere eductum reſtituit, qui in priſtinam libertatem aſſertus Deo, Hugoniue ſimul optimo liberatori, maxime gratus, cenſum, quem pater ſuus Ferdinandus Cluniacenſi quotannis Monaſterio ſoluendum inſtituerat, ipſe duplicauit, ducentaſque & quadraginta auri vncias annuatim reddidit:

Petrus vero Cluniacenſis, cui non vulgaris vitæ ſanctimonia eximiæ doctrinæ coniuncta Venerabilis nomen peperit, ſuæque ætatis non modo Cluniaci, cui Abbatis titulo digniſſime præfuit, ſed & Gallicanæ Eccleſiæ decus ac ſplendor ſubdit: *Alfonſum Regem à Cluniacenſibus Monachis ſublatum, & à tormentis conſimilium reorum ereptum:* Dein in eiuſdem Regis laudes excurrens addit: *Nam quod omnibus pene Hiſpanis & Gallis populis notum eſt, idem Rex Cluniacenſis Eccleſiæ magnus amicus & Benefactor extitit; vt enim innumera alia pietatis opera eidem monaſterio ab eo impenſa taceam, magnificentiſſimus & famoſus Rex cenſualem ſe regnumque ſuum Chriſti pauperibus eiuſdem Chriſti amore fecerat: præter hæc duo monaſteria in Hiſpanijs ex proprio conſtruxit, alia à quibuſdam alijs perſonis conſtrui permiſit, & vbi conſtruerentur adiuuit, in Cluniacenſes Monachos ponens, & vnde omnipotenti Deo regulariter ſeruire poſſent regia liberalitate affluenter largiens, & pene mortuum monaſticæ religionis feruorem ex parte in Hiſpanijs reparauit, & ſibi hoc ſtudio poſt regnum temporale, regnum etiam ſempiternum, vt dignum eſt credere, comparauit*, &c.

lib. 1. de miſſac. c. 18.

Quot & quanta ex dictis ad noſtri inſtituti rationem ſpectantia nobis occurrunt expendenda! & primum quidem, quod Ferdinandus Hiſpaniæ Rex Alfonſi pater Cluniacenſi ſeſe monaſterio tributarium conſtituit, in quo haud imparem à ſanctiſſimis illis Cœnobitis opem, quam regni ſui hæredes deinceps experti fuere, præſtitam ſibi manifeſto prodebat indicio: Alterum eſt quod celeberrimæ illius domus alumni Hiſpaniarum Regis erga ſe munificentiæ, paterni

ternique ſtudij quàm maxime memores, in calamitoſo potiſſimum Alfonſi vinculis iniuſte conſtricti ſtatu, cuius præſenti ac miſerando perturbati infortunio, intimiſque commoti viſceribus, ardẽtiſſimis diuinum Numen precibus pro tanti Regis incolumitate deprecari non ceſſarunt; quapropter ſicut cæteris longe meritis virtuteque præſtantior Hugo cenſebatur, ita eius deuotiſſimis potiſſimùm precibus commota diuina pietas Apoſtolorum Coryphæi miniſterio Alfonſum è carcere educi voluit:

Dum autem Hiſpanum regem Cluniacenſium Cœnobitarum orationibus è carcere in ſolium regni reſtitutum contemplor, ipſummet Petrum à vinculis totius Eccleſiæ pro eius libertate impetranda aſſidue orantis precibus, Angelica præreptum ope mihi videre videor: *Oratio autem* vt Apoſtolica referunt Acta, *fiebat ſine intermiſſione ad Deum pro eo:* quamobrem Cluniacenſibus, pro piiſſimi ac potẽtiſſimi Hiſpaniarum Regis ſalute, continua ſupremum Numen oratione fatigantibus aureæ Græci eloquentiæ Patris ad citata Actuum verba ita concinentis placitum aptiſſime videtur conuenire: *Magni amoris indicium hæc oratio; patrem omnes quærebant, patrem manſuetum ad preces conuerſi, præſidium reuera inexpugnabile ad illud confugiebant:* Act. 12. Chryſoſt. hom. 36. in Acta.

Vt autem haud minori Gallicanos iſtos Patres de iniuſta Hiſpani Regis captiuitate, quam Fideles omnes de Petro eorum Capite in vinculis detento mœrore affectos fuiſſe clariùs innoteſceret, ipſe Apoſtolorum Princeps, non abſque ſingulari Numinis prouidentia, Gallo primùm Monacho, Sanctio dein Hiſpano Principi apparere dignatus eſt: quamobrem huiuſmodi Cluniacenſium orationẽ magni erga Iberum Principem amoris inditium fuiſſe, Patrem veluti ſuum, Regemque optimum non tam Hiſpanis quam ſibi reddi enixe dominum deprecatos, quis affirmare vereatur?

Quo quidem illuſtri Chriſtianæ pietatis facinore Religioſi quique Gallicani Cœtus, necnon florentiſſimi illius Cleri alũni ad eadẽ obeunda pietatis munia excitantur, ſi quando Iberorum Reges vel bello impetitos, vel graui aliqua oppreſſos calamitate conſpexerint, tũc enim & ipſi validiſſimis ſuarum

desinatis, qui pro ingenito tot animarum suæ pastorali curæ commissarum salutis desiderio, salutiferæ Crucis vexillum attollet, sub cuius faustissimis auspiciis innumera ex vtroque regno, aliisque orbis partibus ad Christi Romanæq; Ecclesiæ signa confluens multitudo, compresso Turcorum potentiæ fastu, amantissimos fratres grauissimo miseræ seruitutitis iugo oppressos vinculis absoluet, quod fortassis Cluniacensibus Monachis præmonstratum fuit, cum ipsis pro Hispano Rege è tenebroso carcere educēdo obsecrantibus Apostolorum princeps sese spectandum obtulit, Alfonsumque vinculis solutum pristino regni solio restituit: Et vos, ô Iberi, præstantissimum Regem vestrum Cluniacensiū Monachorum precibus vobis redditum festiue excipiendo, quantum Cœnobitis istis Cluniacensibus debeatis attendite.

Inter Cluniacenses Monachos, qui e Galliis in Hispanias transuecti miræ eruditionis, sanctitatisque fulgoribus eas regiones illustrarunt, Petrus cognomento Venerabilis maxime enituit: Hic quadam ad Narbonensem Episcopum littera sese Hispanias adiuisse testatur: *Ad referendas*, ait, *benevolentiæ vestræ gratias per vos ab Hispanis primo redire proposui:* Et ad D. Bernardum scribens eadem repetit: *Modo miramini*, inquiens, *quod reuertenti nuper de Hispaniis, nugas meas denuo vobis ingerere non præsumpsi:* Et expressius alibi: *Anno quo in Hispaniam profectus sum, res contigerat, &c: Ego hanc eodem anno in Hispaniis ante Pentecosten memoriæ scribendo mandauerim:* Apud Iberos igitur diuersatus cum Imperatore, Alchoranum Mahometi legem impurissimam, multaque ridicula continentem de Arabico sermone in Latinum transtulit, vt superius adnotauimus; cætera vero quæ tantus vir in iis regionibus non solum pro Monarchiæ, verum etiam Ecclesiasticæ disciplinæ incrementis, necnon pro politica amplissimi regni administratione pie admodum ac feliciter gesserit, quia hactenus notata apud auctores non reperi, ex iis quæ hoc loco & Superiori capitulo (cum Hispaniarum Regis nomine ad Innocentium II. scripsisse pro electo Compostellano Præsule vidimus) coniicienda Lectori beneuolo relinquimus.

Lib. 4. Ep. 14.

Lib. 4. Ep. 17.

Lib 1. de miraculis c. 17.

Quam merito igitur Cluniaca domus in Galliis florentiſſima Iberorum Cœnobiis Monaſticæ Religionis ſpeculum, vt ex Paſchali II. paulo ante retulimus, ſimul & Paradiſus quatuor Euangeliorum fluentis irriguus ex Petro Damiani ſupra citato extitit, cum celeberrimi huius Archiſterij alumni Hiſpanias luſtrarint, illicque ad primæuum regularis obſeruantiæ florem plurima Monachorum Cœnobia reuocarint: Quam appoſite ab hac vrbe fortitudinis mille per Regum ac Principum curias egreſſos fuiſſe Petrus Cellenſis aſſerebat, cum & Petrus Venerabilis ab Hiſpano Rege vnice dilectus, ad conferendum nobiliſſimæ illi aulæ ſplẽdorem, veluti vnus pro mille foret, ita vt cæteros in medium producere ſuperuacaneum videatur, qui clara veluti lumina ex Cluniacenſis Clauſtri modio eruta fuere, vt aurea ſuper dignitatum candelabra omnium oculis expoſita in Hiſpanicæ Eccleſiæ domo, atque in ipſis Regum palatiis, ad erudiendos Clerum, populoſque magno cum honore collocarentur: Et hæc de Cluniacenſibus Iberorum Monaſteriorum vel Fundatoribus, Reſtitutoribuſue, ,eoque titulo de tota Hiſpanica Eccleſia optimè meritis dicta ſufficiant.

Cum autem Petrus Bleſenſis celeberrimas Cluniacenſis, Ciſtercienſiſque Inſtituti familias coniungat, ac pari vtrãque encomio commendet: *Sanctus eſt ordo Cluniacenſium* (inquit) *Sanctuſque Ciſtercienſium; in vtroque poſuit Deus myſterium reconciliationis & negotium ſalutis*: Ideo poſt Cluniacæ domus alumnos, qui cum Iberis intimæ nexu conſuetudinis deuincti fuere, ad Ciſtercienſis Inſtituti primùm in Galliis exorti aſſeclas haud abſimili erga Hiſpanos beneuolentiæ ſignificatione plurimùm propenſos ſermonem conuertamus.

Epiſt. 97.

Et ſane inter nominatiſſimos Ordines D. Benedicti regulę ſectatores maxime Ciſtercienſis coetus ſemper viguit; adeo vt de hoc celeberrimo Inſtituto idem modo relatus Petrus Bleſenſis nonnunquam diſſerens, his laudum præconiis illud celebrarit: *Ibi probatiſſima religionis Schola eſt, ſummus ibi modeſtiæ vſus, morum regularitas, fraternitatis affectio,*

Ciſtere Ordo maxime in Hiſp. floruit.

Epiſt. 86.

fectio, pax animi omnium communicatio, mutua obsequela, disciplinæ vigor, amor obedientiæ, vinculum charitatis, carnis seruitus, hospitalitatis exhibitio, legendi libertas, vigiliarum excubiæ, quies meditationis, deuotio psalmodiæ: Quid quæso dulcedinis aut deuotionis inuenies apud eos, quibus versa est in nauseam numerosa atque confusa iteratio & farsura psalmorum: Et alibi: *Inter vniuersas Ordinum varietates, quibus decorata est Sponsa Christi nullus ordo virtute fragrantior, nullus sancti nominis odore suauior est in Christo quam vester, &c.* Epist. 81.

O quantum suauissimus Monachorum istorum Gallici soli propaginum deuotionis odor Iberorum animos allexit! Quam occulta quidem virtute, sed præcipiti cursu ad lydios veluti lapides sese gratissima rapientes violentia cucurrere, quominùs indissolubili, necnon contiguo, intimoque fraternæ necessitudinis vinculo simul adunati sanctæque ipsorum doctrinæ pabulo nutriti in eorum sinu tanquam naturali centro conquiescerent, nec prius Gallias relinquerent, quam plures secum tam laudabilis instituti Professores in Hispanias traducerent; quo tandem feliciter appulsi, quam benignos doctrinæ sanctitatisue radios per vicinas circum regiones diffudêre! quam ardenti studio, quam benigno caritatis ardore indigenas, peregrinos, languentes, & quoscumque obuios hospitali domo ex regulæ præscripto perhumaniter exceptos fouere! Quantus porro ipsos inter & Iberos fraternitatis amor, strictaque animorum, beneficiorumque communicatio intercessit! singula iam attente expendamus, vt ex hac præstantissima Sanctorum familia, quæ in Galliis ortum duxit, ac mirifice in Hispaniis propagata est, mutuus vtriusque nationis consensus, immensumque in illas gentes bonorum incrementum inde tanquam ex viuido fonte deriuatum iuxta instituti nostri rationem dilucidiùs appareat.

Inter Alfonsi Hispaniarum Regis encomia, quibus Ioan. Mariana accuratissimus Hispanicarum antiquitatum collector ipsum exornat, istud imprimis recensuit, quod *D. Bernardo* lectissimo Cisterciensis familiæ germini, imo stabili fulcimento (cuius studio ac virtute granum illud sinapis Lib. 10. c. 12.

Ciste

Ciſtercij ſepultum, ad modicum parens, ſenſimque ſine ſenſu adoleſcens in ampliſſimam creuit arborem, ſuos vbique ramos per orbem pene vniuerſum diffundentem) *Gentili ſuo in primis deditus erat, eoque auctore plurima Ciſtercienſi familiæ Monaſteria exſtruenda curauit, ac ferme quæ hoc tempore toto illo Hiſpaniæ tractu magnificentiſſima, locupletiſſimaque exſtant*: Quam ob rem ſubdit Ciſtercienſis Annaliſta *Primum Bernardo in Hiſpanias ab Alfonſo datum Cœnobium Morerola*; Eóque ex Claraualle Petrum quendam, Sanctiumque cum aliis veniſſe, per quos cæteri ſacrum Ordinis inſtitutum amplecterentur: Imperator vero licet profligandis operam Mauris ſtrenue nauaret, ideoque arduis implicitus negotiis, in breuiori tamen otio nonnumquam domeſticis Ciſtercienſium negotiis attendebat, quare ne Monachi externis rebus occupati à Dei laudibus, ſuæque vocationis muniis diſtraherentur, Pontio de Cabrera nominatiſſimo ea tempeſtate per Hiſpanias proceri, glorioſiſſimam ædificandi Monachis Monaſterij, ampliſque redditibus locupletandi prouinciam dedit.

Annal Ciſterc. to. 1. ann. 1131. c 9. n. 3.

Iſtud vero nequaquam ſilentio prætermittendum, quod nimirum (vt egregie notat ordinis Chroniſta) recentis huiuſce inſtituti fama in Hiſpaniis adeo percrebuit, totque ſanctitatis laude inſignitos eius cultores breui protulit, vt famoſiſſimæ Iberorum vrbes plurimos è Morerola eductos ſibi in Eccleſiarum rectores, ſuarumque paſtores animarum deſtinari expeterent; nam vt bene monebat D. Bernardus: *Si rebus raritas pretium facit, nihil in Eccleſia pretioſius, nihil optabilius bono vtilique paſtore: Proinde ſicubi talis reperiatur, confeſtim iniicienda ſunt manus, & totis viribus ſatagendum, ne qua arte fructuoſa promotio valeat præpediri.*

Epiſt. 25.

Tam aſsidua vero precum importunitate Sanctos illos Cœnobitas fatigare ciuitatum populi cœperunt, quominus relicto optatæ cellæ portu, in altum Eccleſiæ dignitatum mare conſcenderent, vt, cum neſcirent amplius qua tandem arte, vel qua tuta via ſalebroſos, ingentiumque ſpinis curarum reſperſos honorum calles declinarent, ad ipſam Summi Pontificis auctoritatem ipſis recurrendum fuerit,

qua

qua præmuniti, vix tamen beatam in Clauſtri paradiſo ſtationem conſeruare potuerunt, ampliſſimiſque populorum cœtibus ipſorum præfecturam expoſcentibus ægre admodum perſuaſere, ne ad ſubeundas dignitates compellerentur.

Extat diploma Alexandri Papæ III. eam immunitatem concedentis ſub hoc exordio: *Quanto ſtudioſius diuinæ contemplationi vacatis Domino famulando, tanto quieti veſtræ libentiùs prouidemus, &c. Datum Laterani, quintodecimo Kal. Maij. Pontificatus noſtri anno* III. Quare ſi plures habuiſſe Prælatos ac purpuratos Patres cœtera Cœnobia merito gloriantur, cum Morerolæ, quod obtinuit non habere, pro gloria ſit, nam forſan tot habitura fuiſſet (inquit citatus auctor) vt vix ſupplendo electorum numero ſufficeret: hoc autem tetigiſſe, ne à noſtro prorſus inſtituto alienum dixeris; nam cum oneroſa dignitatum munia fugere glorioſius habebatur, quam iiſdem decorari, *Fugiendo* enim *gloriam mereri Paulam* dixit Hieronymus; hinc eſt quod cum Gallia tot dederit Hiſpaniæ Monachos, quos ſupra enumerauimus, ampliſſimis poſtea dignitatum muneribus ab ipſis decorandos, conuenientiſſimum quoque fuit paucis annuiſſe, quod nonnullos eadem Gallia Monachos haud impari laude digniſſimos ad Heſperias regiones tranſmiſerit, qui raro humilitatis exemplo *merebantur negando quod eſſe nolebant.*

Anno 1161.

Gloriã quis fugiendo eã meretur.

Hieronym. Epiſt. ad Heliod.

Præcipua igitur celeberrimi Morerolæ Cænobij gloria hæc vere prædicatur, quod ſcilicet eius alumni humanam fragilemque terrenarum dignitatum gloriam ſumma contentione ſemper fugere ambierint; Quibus autem potiſſimum aſcribenda? niſi Clarauallenſis eximiæ humilitatis Scholæ auditoribus, diſcipuliſue, quos inſignis in Theologia myſtica Doctor Bernardus ad Iberos deſtinauit, vt pote qui in primos præclariſſimæ illius domus Patres, quem ab optimo parente animi demiſſionis ſpiritum hauſerant, ſanctis transfuderint inſtitutis, propriiſque roborarint exemplis: quod ſi Sanctium à Bernardo in Hiſpaniam miſſum, cuius modo meminimus, illarum regionum in-

Pictauiensem,atque Bernardum, transmisitque in Hispanias datis ad Episcopum litteris ; quin & ad Alfonsum scripsisse litteras pro Monachis, quos mittebat, commendatitias, eiusdem domus antiqua edocet traditio : Extat priuilegium Imperatoris Hispani à pluribus regni proceribus confirmatum, sub annum reparatæ Salutis 1175. quo significatur hoc eodem anno Alfonsum dictum visitasse locum, & innata sibi munificentia Monasterij dotem auxisse, quod vitandæ prolixitatis gratia, hic recitare consulto omittimus. Id ibid c. 5. 7

Martini Vallis paradisi Abbatis Henriquez & Seguinus meminere ; Hic mellifluum Doctorem sectatus, tantum sub eius disciplina profecit, vt dignissimus postea visus sit, qui in Hispanias vsque mitteretur ; quem cum Alfonsus Imp. in obscurissimo antro seminudum sese flagellis asperrime cædentem reperisset, tam insolito commotus spectaculo, Monasterium hodie celeberrimum, cui nomen vallis paradisi inditum constuxit, ibidemque Sanctum virum Abbatem præfecit : Ex dictis Cistercienses Ascetas è Galliis non vna duntaxat vice, sed pluribus delegatos, vt Hispanica Cœnobia sacris religiosi instituti moribus informarent, perpendisse sufficiet;ad quod opus feliciter peragendum non modo priuati Hispaniarum ciues, imo & Episcopi,ipsique Reges fortunatos illos Cistercienses Eremicolas è Galliis accersebant, eorumque domos vnice diligebant, nec non amplissimis priuilegiis locupletabant. Menolog. Benedict. 7. Octob.

Idem videre est in celebri Galleciæ Monasterio Melone nuncupato, cuius Fundator Alfonsus Imp. extitit, solita in Cistercienfium familiam munificentia plurimùm commendatus, qui cum Monachos à S. Bernardo postulasset, transmissi continuo fuere, quales mittentem, ac suscepturum decebant, inter quos maxime enituit Giraldi virtus, qui nascentis ac tenellæ illius domus Abbas constitutus, non minus industria,quam pietate eius splendorem, ac maiora in dies incrementa promouit.

Quid de vetustissimo pariter Superadi Cœnobio in Compostellana Diœcesi posito referam? numquid ipsum ad fu- Superadi Cœnob. suã Cisterc. restitutionẽ debet.

ne accurrit, quâ nonnullos è ſociis à Bernardo in Hiſpanias traducendos ſollicitis precibus flagitauit; quibus confeſtim S. Abbas lubens volenſque annuit; miſſi ergo ſunt Petrus, Ægidius, Humbertus, & Albertus cum aliis, quorum nomina ignorantur: qualiter autem cœleſtis hæc plantatio venerabilis Petri ſtudio breui excreuerit, quales, quantoſque honoris & gloriæ fructus ad maturitatem vſque perduxerit, apud ordinis Chroniſtam fusè notatum reperitur: Quin & Comitem Beremundum, quem modo retulimus Monaſticem in dicto Superadi Monaſterio, ſanctamque profeſſum vitam fuiſſe apud eundem ſcriptorem legitur: *Anno 1141. cap. 13.*

Sed iamnos ad ſe vocat celeberrimum in Hiſpaniis Meyrenſe monaſterium; in Gallæciam è Claraualle Bernardus Fratres delegauit, locum in ea conſtruendæ habitationi opportunum quæſituros; eam vero prouinciam, vt pote ob locorum aſperitatem, vaſtique deſerti ſolitudinem vitæ monaſticæ aptiſſimam, atque ob innatam gentis barbariem diſciplinæ plurimum indigentẽ, à Petro Abbate ſuperiori anno ad Superadum reparandũ appulſo Sancto parẽti fuiſſe commendatam valde probabile videtur: Meyræ igitur fixere ſedem, vbi ad Clareuallenſis Eremi normam, ac iuxta ſtrictiſſimam illius Patrum ætatis obſeruantiam cellas, ſeu potius tuguriola conſtruxere: Tantum vero Chriſti bonus odor ex hac domo per vicinas regiones diffundebatur, vt illuſtris eriã comes Gometius ex prima totius regni nobilitate cum illo choro ſub Chriſti vexillis militaturus aduenerit: Alfonſus vero Imp. conſuetæ in Ciſtercenſium familiam munificentiæ nequaquam oblitus, Monaſterium ampliſſima donatione fundauit; cuius extat regium diploma in ordinis Annalibus tranſcriptum: quin & Ferdinandus Legionis & Gallæciæ Rex patris ſui exemplum imitatus, multa Abbati fratribuſque priuilegia, bonaque liberali manu conceſſit: *Annal. Ciſterc. ann. 1143. c 8. 7.*

Creſcet in immenſum oratio, ſi glorioſos Ciſtercienſium in Heſperiis regionibus ſigillatim fructus recẽſendo aſſequi poſſe exiſtimemus; Illuſtris porro ſacri huius ordinis propago neutiquam prætermittenda, quæ in Spinæ Monaſterio penes Iberos commendatiſſimo Francorum Ciſtercien- *Annal. Ciſterc. c. 1147.*

ſium laboribus, ſanctiſque exculta operibus, ac mirifice propagata, hoc loco nobis ſpectanda proponitur: Sanctiam Alfonſi Imperatoris ſororem Galliam, Italiam, Germaniam, ſanctaque loca deuote perluſtraſſe, quamuis ab antiquis ſcriptoribus minime aſſeratur, certiſſima tamen confirmatum traditione accepimus, cui, vt nationi vtrique faueamus, vel tantillum repugnare nobis piaculi loco cederet:

Sanctia Alfonſi Imp. Monaſter. in proprio fundo Ciſterc. fundat.

Cum autem in hac ſancta peregrinatione plures Ciſtercienſis familiæ domos inuiſiſſet, ſanctamque monachorum in tanto vitæ rigore Deo famulantium conuerſationem miraretur, nobiliſſimum in propriæ ſuæ hereditatis S. Petri de ſpina olim dictæ fundo apud Palentinam Diœceſim ſito Aſceterium excitare, illucque non paucos tam perfecti inſtituti ſodales conuocare decreuit; quapropter, vel ipſa Bernardum coram enixe precata, vel ſane per litteras, quod probabilius eſt, cum rogaſſet, tãdem dimiſſos è Gallia monachos impetrauit, qui iaciendis dicti monaſterij fundamentis, ædificioque monaſticis exercitationibus commodiori, diſciplinæ inſuper ibidem deinceps obſeruandæ præeſſent: Bernardus vero accepta Sanctiæ Infantis donatione, [quæ in Annalibus ordinis tranſcripta habetur, cuius item exordij verba tenerimum piiſſimæ Heroinæ in Ciſtercij alumnos amoris ſenſum manifeſte exprimunt! *Ego Sanctia*, ait, *Alfonſi Imp. Hiſpaniarum Soror his & alijs exemplis præmonita & edocta, ſpontanea voluntate, nullo cogente, do vobis, Domino Bernardo; &c.*] Fratrem ſuum germanum Niuardum operi adimplendo præfectum tranſmiſit, adeo regularis obſeruantiæ in Hiſpanicis oris prouentus à piiſſima principe promotus ipſi cordi fuit, vt ſuimet ipſius vice fratrem amantiſſimum dicti Cœnobij fundatorem ordinarit: Alfonſus Imperator factam ab Infante Sanctia ſorore donationem ampliſſimo diplomate confirmauit:

Hic pauliſper ſiſtamus, ſi lubet, poſt longam per Hiſpanica iſta Cœnobia euagationem; nunquid vna mecum ſuſpenſus hærebit Lector plane neſcius cui mutuæ huius conſuetudinis palmam, num Iberis videlicet frequentes ad ſe Gallorum monachorum colonias euocantibus, an vero Gallis

Gallis fratribus tanta animi propensione ad Hispanias suis imbuendas disciplinis conuolantibus impertiatur ? Vtriusque sane gentis studia haud impari beneuolentiæ ardore conspicua non tam spectanda , quam supra modum admiranda proponuntur ; nam si rem accuratiùs perpendamus , ad nouas in Hispaniis Cœnobiorum Cistercienſis familiæ tum instituendas tum stabiliendas fundationes non Iberos ipsos vt plurimùm iam in aliis domibus eiusdem Ordinis sodales regulari florentes disciplina , verum è Claraualle, Cistercioue, aliisque Franciæ Asceteriis euocatos fuisse reperiamus, hæc agendi ratio non solum laudabilem monasticæ perfectionis disciplinam in hoc regno summa cum laude viguisse , suauissimo cuius lacte Iberi potissimum nutriri cupiebant , verum etiam strictissimum mutuæ inter vtramque gentem consuetudinis nexum, consonamque animorum sympathiam de prædicat :

Vnum præ cæteris in maximam me rapit admirationem, atque ad eximia laudum præconia inerudito licet , rudique dicendi stylo contexenda mentem acuit , calamumque prouocat , ingens nimirum Alfonsi Hispaniarum Imperatoris in promouenda suis in regnis arctiori Monastices disciplina studiumq; quo sancte pieq; animatus plures è Francia Cistercienſis instituti cultores euocauit, amplissimas terras ac monasteria plurimis dotata redditibus iisdem concessit , copiosisque pruilegiorum muneribus donauit ; Neque enim illa solum , quæ supra retulimus , Cœnobia Cistercienſibus ab ipso præparata , dotataue arbitreris , imo & plura alia non huius modo , sed & aliorum ordinum assecliis regia prorsus munificentia erecta , vel instaurata tradidisse Iberi fuse scriptores commemorant : Hæc autem tanti principis insignia regiæ pietatis facinora vel leuiter à nobis delibata feruentissimum in eius animo amplificandæ disciplinæ ardorem viguisse clarius demonstrant , adeo vt quæ de Carolo Magno Francorum Rege, Augustoque Imp, toto orbe Christiano applaudente, de prædicantur, nemini fortassis aptiùs potentissimorum Hispaniæ Regum qui ad illam vsque ætatem floruerant , quam huic Imp. congruere existimarim;

Incredibilis Alfonsi stel. Imp in Monast. disc. ipl ardor , atque in Ci- Cisterc. stu- dium.

rim; vnde Ciſtercienſis Annaliſta de inſigni eius pietate magnificentiaque iure pronuntiarit: *Fundauerat Alfonſus cum deceßit Ciſtercienſis Familiæ Cœnobia plura; totidem hodie reges vix ſufficerent tot Eccleſiis ſtruendis dotandiſque cum imperant à mari vſque ad mare: Tunc ſola Hiſpania atque nondum purgata à Saracena face vel vni è pluribus & bellis ſemper intento vires & ſumptus ad hæc omnia, (nec ea ſola erexit) ſuppeditabat:*

Annal. Ciſterci anno 1158. c. 1. 1.

Piiſſimus namque Imperator optime nouerat, quanta imperio ſuo bonorum omnium incrementa ex numeroſa Cœnobitarum eximia ſanctitate fulgentium multitudine deriuanda forent: hi enim potentiſſimis orationum ſuarum, perpetuæque pſalmodiæ armis vrbes regnaque tuentur, ſanctiſque exẽplis, perpetuis item religioſæ vitæ exercitationibus copioſa in populornm gratiã tum animæ tum corpori quam maxime vtilia ab Omnipotentis Dei benignitate obtinent munera: Quamobrem vt omnia ſibi ad votum proſpereque ſuccederent, ſapientiſſimo munitus conſilio Alfonſus monachorum locupletandis, amplificandiſque Cœnobiis ſtrenuam nauauit operam, dictum illud Nazianzeni ſtudioſe recolens: *Philoſophorum cœtum commendo, qui ſcilicet nullo vinculo humi tenentur, qui ſola corpora nec ea quidem tota poſſident, Chriſto viuunt, carnem confecerunt, animam à corpore abſtraxerunt: hos ſi mitius tractaris, has generis noſtri primitias, has fidei coronas, has pretioſas Margaritas, hos templi illius lapides, cuius fundamentum & lapis angularis Chriſtus, hoc eſt egregij Eccleſiæ complementi, hos inquam ſi Deo plane reddideris, præclariſsime vtique & ipſis & nobis, & tibi conſulueris:*

Qua quidem tanta erga religioſi inſtituti ſectatores propenſione tantus Rex, quem ob virtutem ac magnificentiam Imperatorem appellarunt, Ludouico Pio Imp. Caroli Magni ſemper Auguſti itidem Imp. filio æquiparandus videtur, qui religioſæ diſciplinæ cultorum præſentia, ſanctiſque moribus populorum cœtus, eorumque principes adeo iuuari oſtendit, vt cum S. Euticij, qui Palatinorum aulicorum frequentiam ſummopere execrabatur, dulciſſima orbari præſẽtia metueret, Monaſterium ei in palatio conſtruxit: Et certe Alfonſus

S. Adel

S. Adelelmum à Constantia Regina Burgos, famæ eius in Hispanias vsque effusâ, euocatum, 'recénsque ab eo condito Monasterio præfectum tanti fecit, vt post sancti mortem, Hispani in vastissimo quorum regno Adelelmi nomen celebre admodùm erat, si quando ipsiusmet Alfonsi Regis effigiem depingerent, Adelelmum plerumque adiungerent, quem viuentem nimirum tanti Alfonsus fecisset, eiusque indubie precibus, tantam à Numine gratiam meruisset & fortunam: quare non est cur admodum miremur, si Monachi Cistercienses ingenti dolore, luctuque incredibili optimi Imp. decessum fuerint prosecuti.

Lusitan. S. Adelel. cum Alf. R. pingebant.

Nullus vero post tot lustrata à nobis Hispaniæ Cœnobia Gallis Monachis Cistercij seu Claræuallis alumnis à Regibus erecta, liberaliterque tradita, atque ab eisdem Patribus sanctis imbuta ordinataque Canonibus, nos iam metas attigisse sibi persuadeat, cum adhuc in limine simus, nec nisi leuia propemodum intimæ vtramq; inter gentem ex Cisterciensis familiæ institutione ab Iberis affectata communicationis vestigia, triuisse videamur; Nam si amplissimum Hispaniarum regnum Lusitaniam ingrediamur, primo aspectu nobis Alfonsus alter occurret, regia tunc temporis maiestate conspicuus, atque in D. Bernardum eiusque socios beneficentissimo amore propensus, cuius paternæ erga eosdem beneuolentiæ insignia, insolitamque munificentiam æquum omnino est, vt non absimili, qua modo cum de Alfonsi Hispaniarum Imp. sancto parenti eiusque instituto addictissimi pietate disseruimus, panegyri prosequamur.

Alfons. Lusit. R. Cister. Benefact. insignis.

Iam superiori capite de nonnullis à Lusitano Rege ad Bernardum directis litteris mentionem fecimus, quibus non vulgarem in eum fraternæ plusquam necessitudinis affectum, optimamque, quam de ipso eiusque alumnis animo conceperat existimationem, aperte patefecit, quod res nimirum tam ardua ipsique Alfonso glorioſissima penes supremum A.S. Hierarcham Innocentium huius nominis secundum sanctissimo Abbati pertractanda offerretur: Iam Alfonsum ipsius sancti viri consuetudinem, in suorum saltem fra-

trum præſentia Luſitaniæ poſſidendam ſummis ambientem votis inſpiciamus:

Annal. Ciſter tom. 2. ann. 1142.

Anno quippe redempti orbis quadrageſimo ſecundo ſupra milleſimum centeſimum, Alfonſum Regem ſuos ad Sanctum Patrem in Galliis degentem Legatos direxiſſe, vt nonnullos ipſius inſtituti cultores ad ſe transmittere dignaretur, Ciſtercienſis Chronici paginæ teſtantur: Non me fugit à Britone in ſuo Ciſtercij Chronico D. Bernardum plures ante annos, quam à Luſitano Rege de huiuſmodi miſſione poſtularetur, Chriſti Præcurſoris ſibi apparentis monitu, ſuos illuc alumnos direxiſſe, conſtanter aſſeuerari, ſcriptamque ab eodem S. cuidam Eremitæ Ioanni Ziritæ nomine Epiſtolam, qui cœleſti pariter edoctus oraculo, rem hanc feliciter in iis regnis ſeſe promoturum offerebat.

L. 1. c. 2. Chron.

Annal. Ciſt. tom. 1. 1119.

Hoc autem aſſertum nonnullam, meo quidem iudicio, pati videtur difficultatem, ſi epiſtolam à Sancto Patre paulo poſt hunc annum, (vt bene Manriquez accuratiſſimus Ordinis Hiſtoriographus animaduertit) Artardo Abbati Paulianenſi ſcriptam expendamus: *Audiui autem*, inquit, *ego de te, quod de ſancto conuentu tuo Abbatiam in Hiſpania conſtruere velis, quod mihi nimirum in magnam admirationem venit, quid cauſæ videlicet ſit, quid conſilij, quid vtilitatis, quod filios tuos exulare cupis in locum vtique tam longinquum, tanto ſumptu & labore quærendum & ædificandum:* Quare cum S. Abbas alium à mittendis in Hiſpaniam filiis dehortetur, ſuos illuc filios iterum nequaquam deſtinaſſe euidenter demonſtrat; alioquin dictus Pauliacenſis Abbas argumentum in ipſum retorquendo, proprio eumdem mucrone ferire certo potuiſſet.

Sequentibus autem annis cum ordo dilatari cœpit, ramoſque ſuos per Germaniam diffudit, nempe circa annum Domini 1130. Idem Sanctus Monachos ſuos in Hiſpanias mittere decreuit, vnde plures ſuorum colonias ſodalium in illas, vt vidimus, regiones tranſmiſit, ex quo inferas non tam antiquam eſſe Ciſtercienſium Gallorum in Luſitaniam miſſionem; quæ opinio ſi Luſitanis minus forte probetur,

con

contrariamque sequantur, potiora sane nobis in antiquæ Gallos inter ac Iberos societatis beneuolentiæque gratiam argumenta subministrabunt: Vnum porro Lusitanos monitos velim, si nonnumquam quæ non adeo certa sint, licet alicuius auctoris testimonio roborata, ad nostri confirmationem propositi adducere vereamur, nihil suum sibi à nobis data opera negatum detractumue, sed hoc consulto à nobis factum existiment, vt mutuæ istius inter præclarissimas ambas nationes communionis insignia non à rebus dubiis, atque paucorum fere scriptorum auctoritate munitis, verum à certioribus, omniumque fere vtriusque gentis auctorum testimoniis comprobatis gestis, tanquam à fidelissimo historiarum penu depromamus ad veriorem illustrioremque regiæ vtriusque coronæ confœderationis claritatem.

Bernardus igitur octo selegit ex fratribus Monachos Boëmundum, Aldebertum, Ioannem, Bernardum, Sisinandum, Rolandum, & Alanum, octaui nomen ignoratur, eosque in Lusitaniam destinauit: ô quantum hi præstantissimi Patres è Galliæ sinu educti illas oras sanctorum dogmatum præceptis nobilitarunt! quorum singula præclare gesta ac labores pro eiusdem nationis salute exantlatos recensere hic omittimus, ne nimia innumerabiliũ pene rerum multitudine obruamur; Aldeberti tamen præclarum istud facinus præterire absque piaculo non possumus: Dum Alfonsus Lamacum exercitum deducens ad Francosum, quod oppidum Mauri obsederant, pergeret, paucis comitatus ad Cistercience Cœnobium deflexit, vbi confestim sanctorum incolarum sanctitate permotus Monachum sibi dari petiit, qui eum in bello aduersus fidei perduelles congressurum comitaretur; Molestum sane Roëmundo Abbati videbatur, atque ab instituto plane alienum è claustro ad castra, à choro ad bella Monachum transmittere: Verum Regi amplius insistenti Aldebertum concessit, qui ipsi decertanti assisteret; hic secum tulit regium vti vexillum æneam crucem, principemque in castris secutus est.

Annal Cisto. 1. an. 1122 c. 4. 1. & 2

Alfons. Lusit. R. Saracen. S. Aldeberti precibus victi.

Cum igitur Alfonsus Albucazamum Pacensem Regem cum innumerabili Saracenorum exercitu regnum suum inuadentem prœlio retundere pararet, Aldebertus extensis manibus velut alter Moyses in conspectu dimicantium exercituum in preces effusus, admirabilem Christianis victoriam impetrauit; ne dubium fortasse Aldeberti auxilium in hoc opere foret, ipso aliquantulum à prœlio absente, fors inuersa, atque fidelibus victoria denegata; quapropter Rex graui iam clade attritus, & in fugam versus Aldebertum defuisse agnoscens, illico euocari curat, hostesque denuo aggressus vi orationis tanti viri felicissime profligauit; Tum insignem victoriam ad fluuij Taboræ ripas erecto ponte ex lapide quadrato Alfonsus perennauit, atque Aldeberti opem literis datis, quæ rem testantur, gratiamque rependunt, donato S. Ioannis Monasterio: Extat litterarum exemplar ab Ordinis Annalista transcriptum, quo dictus Rex Sancti viri precibus plurimum sese deuinctum profitetur, amplaque donatione ipsum, socioque exornat.

Videat prudens Lector quantum exterus homo florentissimis Hispaniarum Prouinciis adiumenti contulerit, cum ipsius precibus paucissimi numero Lusitani de Saracenis triumphare meruerint; vnde Alfonsus externis grati animi monimentis eius virtutem celebrare nequaquam contentus, ipsum quoque interdum inuisendo, nobilioribus animi virtutum incrementis eum colere, imitarique quantum poterat, totis viribus nitebatur; Quare ad eius Cœnobium, ô rem miram! Et quis de Rege istud vnquam sibi persuaserit? paucis stipatus aliquando diuertens; Quadragesimalis illic ieiunij curriculum tanquam ex Monachis vnus alacri animo feliciter peregit: *Ibi inter Monachos* (vt Lusitanus auctor tradit) *vitam communem imitatus est, in choro psallens, in Ecclesia orans, in triclinio ieiunans, in agro etiam laborans manibus propriis:* Inter cæteros qui Alfonsum comitabantur Egeas munio fuit ipsius olim nutritius, vnicque principi carus, qui Aldeberto postea scribens ita fatur: *Totum annum cuperem Quadragesimam esse, vt simul cum Do-*

Idem Quadrag. ieiun. in eius Cœnobio peregit. Annal. Cist. *An.* 1125. c. 13.

mino meo Alfonſo eſſem cum vobis; ſed negotia terræ ſuæ, & bella de Mauris non dant locum ſtandi cum pace: mitto ad vos viginti ſolidos, &c.

Hic etiam mirificus Dei ſeruus Tereſiam Luſitaniæ Reginam ab imminenti mortis periculo prodigioſe eduxit, quam ipſa Alfonſuſque ipſi addictiſſimus ſuoſque Tarauceneſes ſodales maximis beneficiis cumulauit: Iſta vero ne quiſquam inconſultò hic appoſita arbitretur, nam ex huiuſmodi Luſitaniæ Principum commercio cum appulſis ad eas regiones Monachis, quantum Religioſi cœtus pro mutua Gallos inter ac Hiſpanos communione operis contulerint, clariſſime datur intelligi; Si enim ea tantummodo in medium proferremus, quæ ad mutuam ipſorum Cœnobitarum ex vtraque gente ſocietatem pertinent, vulgaria facili negotio fraternæ huiuſce conſuetudinis producerem argumenta, nam ab vnoquoque Religioſo Ordine in diuerſis regionibus ac prouinciis dilatato ex variis oriundos regnis conſociari viros, animoſque ſacro diuini amoris glutino coadunari quis non videat?

S. Aldebert. Tereſ Luſit. Reg. à morte liberat.

Sin autem inſtituta ab ipſis cum ſupremis Regnorum Moderatoribus, Principibus, primariis aulæ proceribus, ac Illuſtriſſimis Præſulibus commercia accurate à nobis recenſeantur, illuſtriorem hanc magiſque conſpicuam huiuſmodi confœderationem deprædicare nemo recuſabit, ipſi namque ſummi populorum arbitri qui in regia ſua perſona, tanquam animato ſubditi ſibi populi capite compendioſam totius gentis ad eius nutum ſeſe mouentis voluntatum Epitomen complexi, è Francia Monachos euocando, iis iam ſtabilitis, dotatiſque fauendo, eorumdem merita celebrando, ipſis familiariter vtendo, variiſque muneribus decorando, cæteris peculiarem ſubditis erga eoſdem inſtillare ſolent benevolentiæ affectum, vnde quam ſinguli iam intime ſeruatam retinent in eos amoris propenſionem, ipſi publicis comprobare ſtudent variorum munerum, quibus eos ornant, monimentis: Omitto hic nonnulla, de Bernardo qui Aldeberto in præfectura ſubrogatus fuit, qui *ex prima nobilitate Galliæ vir*, (ita Anna-

Principes ſubditor. regunt voluntates, & quo volunt trahunt.

liſta Hiſpanus,) *nec minus clarus virtute, quam patrio ſanguine, &c.*

Altera quippe à D. Bernardo Monachorum colonia in Luſitaniam directa iam ad ſeſe orationem conuertit, cuius princeps Niuardus Germanus eius frater extitit, necnon Petri Alfonſi Portugalliæ principis fratris in Claramuallem aduentus, fuit enim (ſi Bernardo Britoni credimus) ex illorum militum numero, qui ex Cereuiſia à S. Patre benedicta mirabiliter ad Deum conuerſi ſunt: Tunc Monaſticum cum aliis non induit habitum, atque ad aliud tempus conſulto diſtulit, cum iterum S. Bernardum inuiſit, vt fuſiùs ſuperiori capite recenſuimus: hoc autem expreſſe colligitur ex Bernardi litteris ad Alfonſum datis: *Litteras & ſalutem celſitudinis veſtræ ſuſcepimus, gaudentes in eo qui mandat ſalutes Iacob; quid in hoc fecerimus, & exitus pro nobis, & vos per exitum comprobabitis: animi promptitudinem ex iniuncta ſollicitudine, vel ſaltem ex memorata neceſsitudine colligetis: Petrum celſitudinis veſtræ fratrem, & omni gloria dignum à vobis iniuncta retulit, & Gallia armis peragrata in Lotharingia militat, proxime militamus Domino exercituum.*

Menolog. Benedict. 15. Iunij.

Annal. Ciſt. An. 1142.

Apud Britonem lib 3.

Noua inſuper Luſitani ſcriptores, quibus contradicere nobis non licet, quamuis hiſtoriæ veritatem antiquioribus nequaquam comprobent teſtimoniis, productis tamen nonnullis litteris, priuilegiis, ac regiis donationibus, quæ fuſe Brito in ſuo Chronico, aliique recentiores collegere; noua inquam, atque clariora ad illuſtrandam magis Alfonſi Luſitani Regis cum D. Bernardo, eiuſque fratribus coniunctionem, ſuppeditant argumenta; Cum enim Alfonſus Scalabim ſiue Sanctorem Saracenorum arcem munitiſſimam Conimbriæ imminentem expugnaturus arma pararet, cum id feliciter abſque Bernardi Patris interuentu, ipſiuſque precum efficacia nequaquam euenturum animo perpenderet, ex edito vicini montis vertice in quo cum ſuis ſtabat, promiſit ſe Monaſterium conſtructurum, cui totum illud terræ ſpatium quod oculis luſtrabat, in eodem cederet.

Annal. Ciſt. An. 1147. c. 9. 1.

Brito in Chron. l. 3. c. 18.

In

Instante igitur die qua Alfonsus oppugnationem arcis præparabat medio noctis silentio inchoandam, Bernardus in somnis Regi se videndum obtulit, felicemque pollicitus exitum, Regem abiens mira lætitia perfudit: Quin & eadem nocte, qua vrbs expugnata, Sanctus Orationi in Claraualle intentus, mox lætabundus hymnum, *Te Deum laudamus*, concinere cœpit, habitoque ad Fratres sermone victoriam diuinitus Alfonso traditam exposuit: *Quasi non solum* (subiicit Brito in nostri potissimum instituti gratiam) *armis Lusitanis, verum ipsorum etiam parta victoria vtrosque Deo redderet obnoxios, atque vtrosque triumphantes de infidelibus:* Quamobrem Alfonsus voti compos effectus promissa Bernardo reddere maturauit, cuius præcipue precibus victoriam à se tam feliciter partam adscribi studebat, dedit quantocyùs Epistolam, qua suos ab eo sodales in Lusitaniam transmittendos rursus flagitabat. *Noueritis*, ait, *quod per Dei misericordiam acquisiuimus Sanctarenam, & credimus per bonas orationes vestras, &c. vos mittite ad nos Monachos, &c.*

Loc cit.

Apud eumdem l. 3. cap. 20.

Fundatum igitur à Fratribus è Gallia per Sanctum parentem transmissis celeberrimum Alcobacense Monasterium, quod plurimis à Rege donationibus ac priuilegiis deinceps locupletatum fuit: Quid adhæc ô Lusitani? Quis vester sensus? Quæ tandem vestrum subit animum cogitatio? Fierine potest, vt à primo vestro Rege erga Gallos Cistercienses Familiæ alumnos propensissimo, sanctoque eorum Parenti addictissimo degeneres, turpissimam ingrati animi labem nomini vestro inuri patiamini? Nec vlla memori amoris ac beneficentiæ in eorum concives significatione tantæ ipsorum caritati vestris omnino commodis intentissimæ vllo modo respondere cupiatis? Totus Claræuallis Cœtus pro vestra tot vicibus salute atque incolumitate aduersus fidei, Regnique perduelles suis diuino Numini acceptissimis precibus decertauit; Sed & frequentibus ad vos transmissis eorumdem agminibus regiones vestras Monasticæ disciplinæ institutis, miræque sanctimoniæ fulgoribus irradiauit; Principibus denique vestris, totique regno vnice dilecti

dilecti innumera ipſi bonorum incrementa à ſupremi Numinis liberali manu impetrauerunt, quæ omnia inſignium in vos beneficiorum pignora tacite ſtimulos addant neceſſe eſt, quominus ſincero debitæ gratitudinis affectu ſanctos illlos Patres, veſtros quondam in terris Benefactores, imo & Tutores, ac fortiſſimos defenſores, nunc veſtros in cœlis Patronos condignis precum, atque obſequiorum interpellationibus proſequamini, ſocioſque etiamnùm in Cœnobiis ſub eiuſdem inſtituti vexillo militantes, atque in Claraualle, Ciſtercijque, & aliis in locis perenni orationum ſtudio, perſoluendiſque Regiarum Fundationum debitis intentos fraterni pluſquam amoris inſignibus priſcam illam Maiorum veſtrorum cum ipſis initam communionem ſtudioſe renouatam conſeruetis.

Hæc ex Hiſpanicis deprompta, Ciſterciique monimentis, à Gallis vel Ciſtercienſis, vel Claræuallis Eremi cultoribus in ampliſſima Iberorum Regna ab ipſomet Bernardo directis præclariſſime illic geſta vſque ad S. Parentis obitum fuſiori ſtylo proſequenda duximus, quo clariùs intima Regum, procerum, populorumque in Hiſpaniis degentium cum Francis ſocietas, perpetuóque benefica conſuetudo intelligeretur.

Vnum ſupererat memorandum, quod Iberos erga Bernardum Galliæ nobiliſſimum germen, ſtudioſos potiſſimum declarat, ipſum videlicet aliquando in Hiſpanias acceſſiſſe, quod ab Hiſpanis ſcriptoribus, & præcipue à Iuliano Archipresbytero & Ioan. Mariana affirmatur, hunc profecto ſancti Patris in Hiſpanias tranſitum prioribus ſummæ ipſius benevolentiæ argumentis ſpecioſam veluti coronidem imponi qui non videat? verum quia Gaufridi eius diſcipuli teſtimonium in contrarium vrget aientis: *Nam & in Hiſpaniis vbi præſens ipſe non fuit, ſanctitatis eius indicia claruere*; Haud immerito reiectis iis, quæ nonnulli de eiuſmodi tradunt itinere, tanquam dubiis, cum nouiſſimo Hiſpani Hagiologij commentatore finem huic narrationi imponimus: [*Hiſpania Bernardum pluribus de cauſis inter ſuos Diuos apponere compellitur*, vt omnibus innoteſcat, quantis illius

Io. Mariana l. 10. c. 12.

Lib. 4. c. 4.

Martyrol. Hiſp. 20. Auguſt.

illius regna beneficiis Diuus affecerit : Causa ergo prima huius gratitudinis & cultus est, quia S. Bernardus fuit sanguine coniunctissimus Alfonso cognomento Imp. Castellæ Regi, provt probat Alfonsus Sanctius de rebus Hispan. l.4. c.17. his verbis: Multa sunt in Hispania Cisterciẽsis Ordinis Cœnobia constructa, & ab Rege pro temporis angustiis dicata, in propinqui sui Bernardi gratiam; ipsumque Bernardum Hispaniam inuisisse multa monumenta probant: Secunda vero quia ipse S. vir Monachos Cistercienses cum S. Niuardo fratre in Castellam emisit, & in Lusitaniam : Quantum vero hæc Cisterciensis vinea à Niuardo in Hispanias transplantata, atque mox liberalitate & munificentia Regum fota, & quasi compluta breui tempore creuerit in vineam magnam, palmites suos extenderit vsque ad mare, & vsque ad flumina Lusitaniæ propagines suas, longum esset hic recensere; illud duntaxat commemorabo, ordinem Cistercienſem in nulla orbis Christiani parte adeo floruisse, atque in Hispaniæ, Aragoniæ, Lusitaniæ regnis : Nam esto affullerit hæc sacra familia Tolosanæ Prouinciæ, Albigensium tenebris obscuratæ: *Quasi aurora consurgens*; fuerit inter tot lucentia diuersorum Ordinum Gallicanæ & Germanicæ Ecclesiæ sydera, *Pulchra vt Luna*, fuerit in Italia ad tuendam sedem Apostolicam, Romanorumque Pontificum auctoritatem conseruandam, *Electa vt sol:* in nullo tamen, quam in Hispaniæ regnis fuit terribilis, *vt castrorum acies ordinata:* Nam in aliis quidem Christiani orbis partibus Cistercienses contra spiritualia nequitiæ viriliter dimicare ex instituto consueuerunt spiritualibus armis, oratione, ieiunio, corporis macerationc, & his similibus; Sola vero Hispania præ cæteris hac se vera laude iactare potest, quod peperit, & continuo nutrjat, ac foueat in suo gremio instituti Cistercienſis homines, qui vt strenui cooperatores spiritualis fabricæ, aliis vna manu, dextera scilicet, infatigabiter laborantibus, & opus domini facientibus, ipsi vt apud Esdram legimus, altera tenent gladium : Quo loco Seifridus loquitur de Ordinibus militaribus Hispaniæ, qui sub instituto Cister-

cienſi degunt, ſcilicet Calatrauenſis, Alcantarenſis, Monteſenſis, Auiſenſis, & de Chriſto in Luſitania, quorum ſtrenuitate, Sarraceni vniuerſa Hiſpania expulſi ſunt] De quibus nos infra dicemus.

Cæterum ſi accuratus quiſque antiquitatis indagator Ciſtercienſes euoluat Annales, inchoatum per Hiſpanias à Gallis viris iam famoſi Ordinis Inſtitutum, ab iiſdem pariter repetitis ſæpius Coloniis, Miſſionibuſue mirifice propagatum non ſine ingenti ſuſpiciet admiratione, vnde iterata perpetuo Iberos inter ac Francos intimæ conſuetudinis officia facile animaduertet: Didacus Oxomenſis antiſtes inter præclara Hiſpaniæ Sydera fidei zelo clariſſimus cum Ciſtercium inuiſeret, nonnullos iſtius familiæ alumnos ad propriam totiuſque ſuæ Diœceſis ædificationem in Hiſpaniam traduxit; Huic tam præclaro Præſuli per Gallias tranſeunti Fulco Abbas Floreſienſis obuiam proceſſit, qui poſtea Toloſanæ Eccleſiæ infula decoratus fuit, Sanctumque Patriarcham Dominicum in promouendo Ordine plurimum iuuit.

Ann. Ciſt. to. 2. an. 1204 c. 2. 8.

Tom. 3. An. 1207. c. 1. 7. 11.

Sed tam in Didaco quam Dominico adiuuandis magni Arnaldi Ibera orti propoſapia (vt grauiſſimi teſtantur auctores) qui inter Ciſtercij Præſules decimus ſeptimus adnumeratur, ſedula feruenſque enituit induſtria; Hic ab Innocentio III. Sum. Pont. Aduerſus Albigenſes in nonnullis Franciæ partibus impia dogmata ſeminantes comprimendos, ad viſitandam inſuper Toloſanam Eccleſiam, inquirendamque Epiſcopi electionem directus fuit; vtrumque munus quam ſtudioſe expleuerit pluribus refert Annaliſta, ad quem curioſum remitto Lectorem; Idem à Pontifice Legatus in Narbonenſem & Auxitanum Archiepiſcopos conſtitutus cum Simone Montfortio Comite Pictauiam adiit, vbi à Duce Burgundiæ viſitatus, cum eodem de ineundis Montfortij primogenitum inter & Delphini filiam nuptiis egit; Concilio Montepeſſulano Præſes adſtitit, plurimaque alia in Francorum gratiam feliciſſime eſt proſecutus.

Tom. 3. Ann Ciſt. an. 1204. c. 1.

Et quia de ipſius apud Iberos Natalibus à nonnullis controuerſia

trouersia mouetur, pro contrariæ fautoribus sententiæ eum Galliæ concedentis plura à Chronista notantur quæ magnus hic Abbas, Narbonensi deinde præfectus Ecclesiæ in Hispanorum fauorem glorioſissime peregit: ac primum in Hispania celebri Monasterio præfuit, dein ad Cistercij gubernacula translatus Alfonsi Castellæ regis litteras à tributis soluendis Cistercium eximentes suscepit; Ad Petrum Aragonum Regem à Pontifice iudex decernitur; in Hispaniam ad Alfonsum Castellæ Regẽ profectus, à quo honorificentissime exceptus est, ac post Malaconem cum Vltramontanis ab eo expugnatam, & ab eodẽ Rege multis donatus regiæ munificentiæ insignibus ad propria rediit: Alia quoq; plura cum Aragonensi Rege habuit commercia; quæ omnia si cum iis quæ supra retulimus, adnectantur, cuius tandem nationis Arnaldus fuerit, Hispanos inter ac Gallos in grauissimis rebus atque ad regium, fideique statum pertinentibus consuetudinem intercessisse nobis concludendum relinquitur.

Magnificam hanc de Cistercienſium in vtraque natione commercio factam à nobis mentionẽ Laurentius Abbas Hispanus terminabit: Hic ex vltimis Hispaniæ oris ex Abbatia Vrsasiensi variis ab Innocentio, Honorioque Sum. Pontificibus sibi demandatis functus Legationibus, ad regendum Claræuallis Archisterium in Gallias euocatus fuit, quod sane munus relicta apud posteros clari sui nominis fama feliciter absoluit: Inde versus isti de eo vulgo recepti: Tom. 4. an 1223. c. 301.

Hispanus laude dignus Laurentius iste,
Qui mirabiliter Monachus extiterat:
Pastoremque suum nobis hunc contulit vrsa,
Post annos binos transiit ad superos:

Ne vero integram Cistercienſium Annalium seriem hic transcribere videamur, satis sit hæc solummodo delibasse, ex quibus Lector multo plura de Cistercij alumnis ad mutuam ambarum nationum societatem spectantibus consulto prætermissa fuisse primo ipso aspectu perdiscere poterit; nunc properantem ad alia orationem solita sua comitari benignitate non grauetur.

Cistercienſi Carthusianam merito adnectimus Famili-

liam, vt pote D. Bernardo, eiuſque ſodalibus vnice dilectam, vnde S. Abbas Guigoni Priori Carthuſienſi ſcribens, Sanctum ipſius Sodalitium mirifice extollit, atque cum eiuſdem fratribus intimæ familiaritatis vinculis adſtringi maxime exambit: *Sanctitatis veſtræ litteras tam lætus accepi, quam auidus, & olim deſideraueram; Legi eas, & quas voluebam in ore litteras, ſcintillas ſentiebam in pectore, quibus & concaluit cor meum intra me, tanquam ex illo igne quem Dominus miſit in terram: O quantus in illis meditationibus exardeſcit ignis, è quibus eiuſcemodi euolant ſcintillæ! &c. Verebar nimirum ſanctam quam in Domino habetis quietem, iuge illud veſtrum ſacrumque ſilentium à ſæculo, ſuſurrum cum Deo vel ad modicum interrumpere, noſtraque ingerere auribus, ſecretis penitùs occupatis ſupernis eulogiis: Timebam omnino moleſtus fieri vel Moyſi in monte, vel Heliæ in deſerto, aut certe excubanti in templo Samuëli, ſi diuinis intentiſſimos confabulationibus aliquatenus euocare tentaſſem: Glorior & ego plurimum tanto teſtimonio, & ſeruorum Dei tam grata quam gratuita admodum familiaritate delector; feſtiuus enim erit mihi dies ille ducendus, & memoriale ſempiternum, in quo virum illum videre, ac ſuſpicere merui, per quem factum eſt vt in cordibus veſtris ego reciperer, &c.*

Bernard. Ep. 11.

Carthuſ. Solitud. Encomia ex S. Bern.

Bathonienſis vero in Anglia Archidiaconus ad Alexandrum Carthuſienſem Monachum ſcribens Carthuſianæ domus Encomium magnifico hocce verborum tenore conficit: *Domus Carthuſienſis & locus habitationis illius ſitus eſt in montibus & in ſcopulis, & in petris, vt ſit potius habitatio Angelorum quam hominum, ad dandam altiſſimo vocem confeſſionis & laudis: Vere terribilis eſt locus iſte, nec eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cæli: Et licet domus illa ſit in terra horroris & vaſtæ ſolitudinis, nominatiſſima tamen eſt in obſeruantia religionis & ordinis: in omnem terram per gratiam Dei exiuit fama eius, & in fines orbis terræ ſuæ odorem ſuauitatis effudit: Plantatio Dei eſt, & vinea Domini Sabaoth, ideoque iam excreuit in immenſum, & multiplices fructus fecit:*

Idem ex Pet. Bleſenſi. Epiſt. 56.

Inter altiſſimos rigidiſſimoſque Carthuſiæ in Gallicano Delphinatu montes ſacri Ordinis ſui D. Brunonem natione

Ger

Germanum fundamenta iecisse neminem latere arbitror, circa annum igitur à parturiente Virgine millesimum centesimum sexagesimum septimum, cum in quodam Tarraconæ prædio quædã scala pluries apparere visa fuisset, quæ è terra ad cælum vsque pertingebat, in qua Angeli nimio splendore coruscantes per eam ascendebant, descendebantque, Alfonsus II. Aragon. Rex, & Barcinon. Comes, Cœnobium scalæ Dei nomine ibi construere decreuerunt; vt autem in terris Angelos inuenirent, quos tam frequens illic visio futuros eius loci incolas designabat, homines Angelicis potius quam humanis moribus illustres è terrestri, vt dicebatur, Paradiso, è famosa videlicet Carthusiæ Eremo aduocarunt: *Primi igitur huius Cœnobij monachi ex magna Galliæ Carthusia vocati regulæ rigorem innexere*; Hispani collector Martyrologij asseuerat Martyrol. Hispan. 6. Octob.

Attendite, quæso vos, ô Carthusiani Patres Hispaniarum filij atque incolæ, ad petram vnde excisi estis, Gallosque Patres primos spiritualis ac materialis Carthusiani apud Iberos ædificij viuos lapides singulari cordis vestri lætitia in memoriam reuocate, nec pro grati animi vestri monimento eiusdem nationis societatisque posteros singulari beneuolentia complecti omittatis:

Cum Henricus Trastamaræ Comes, qui postea regnum obtinuit, cum aliis Castellæ proceribus in Gallias diffugeret, ob Petri Fratris Castellæ Regis sæuitiam, atque ibidem sub Francici Regis vexillis militaret, Monasterium Carthusianum in Gallia solo æquauit, penitusque destruxit; At cum postmodum occisus Petrus fuisset, & Henricus in regnum sublimatus, cum tempore obitus testamentum conderet, memor sacrilegij, turpisque à se in Gallia patrati facinoris, Carthusiani nimirum Cœnobij subuersionis, iussit Ioanni I. filio vt aliud Carthusianorum monasterium, pro secura animæ suæ redemptione in Castella conderet: Ioannes igitur Monasterium in Valle Lozoyensi construere cœpit, sed morte infelici præuentus illud consummare non potuit; successit Henricus III. qui Ecclesiam mirabiliter perfecit, quo è viuis sublato Ioannes II. tandem opus regium illud à præ- Idem Ibid. *Anno* 1390.

deceſſoribus inchoatum anno Domini 1440. in tota perfectione conſummatum reliquit:

S. Dominici ortus incrementa Ordiniſque Fundatio & progreſſus.

Verùm quæ noua, inſolitaque, proximiori nobis ætate ex Iberis regionibus prodeuntis claritas ſolis Gallicanas primum oras illuſtrans, ac fulgentiſſimos deinceps eruditionis, ſanctimoniæque radios per totum ferè orbem diffundens noſtrorum improuiſo prorſus lumine perſtringit oculorum aciem, dicendique acuit ſtylum rudiori potius oratione, incompoſitiſque characteribus deturpandæ, quam nouæ luci ſubminiſtrandæ aptiorem: An non tali Lucis titulo inſigniri promeruit S. Patriarcha Dominicus illuſtri Guzmanorum oriundus familia, Hiſpaniæ decus, tantorumque luminum fœcundus Parens? ſi enim adhuc infans, dum ſacro tingebatur lauacro, in eius fronte admirando collucere ſtella ſplendore viſa eſt, amplioris deinde vitæ ſtadium percurrens, in immenſam procul dubio excreſcere debuit claritatem toti orbi ad miraculum vſque irradiantem; adeo vt Ciſtercienſi pio viro Gregorio tunc Priori, mox Abbati Monaſterij Obacinæ in Hiſpania (non Obſunœ, vt mendosè ſcripſit Bzouius) viſi quandoque fuerint dum in dormitorio meridianam ſomni horam captaret, duo Prædicatorum Familiæ alumni ex primis illis Dominici ſequacibus, duo veluti clariſſimi ſoles, clauſtrum Abbatiæ prædictæ ſubito ingredientes, & tum ipſum clauſtrum, tum vniuerſum Monaſterium, atque adiacentem viciniam radiis ſuis illuſtrantes:

Annal. Ciſterc. to. 4. ann. 1220. c. 4. §. 3.

Qui ergo innumeros fere ſoles ſui inſtituti aſſeclas Chriſtianæ Reipublicæ peperit, magni luminaris titulum lõge excedere iure cenſendus eſt: O quantum fulgere viſa eſt Dominici ſoboles virgineo potiſſimum obtecta pallio, ſub cuius vmbra fouendam, conſeruandamue Deipara cuidam Ciſtercienſi monacho ſignificauit (vt Cantipratanus iſtius etiam familiæ auctor ſcriptum reliquit) qui & ipſum Magnæ Matris dictum ſubiicit: *Hi ſunt qui ſpecialiter reſiſtunt negotio, ne dilecti filij mei ſanguis inutiliter ſit effuſus*: Quanta igitur ſanctitate, doctrinaq; effulgere Parens debuit, ſanctique Caput Ordinis iuxta tritum illud Peripati placitum:

L. 1. c. 10. §. 16.

Primum

Primum in vnoquoque genere est mensura caterorum: Si eius filij ad hoc nati perhibentur, vt tanquam Lucis filij in magno Euangelicæ perfectionis, Christianarumque virtutum lumine ambulantes totis conatibus niterentur, ne infœlices miserique mortales dæmonum præstigiis quodãmodo fascinati, ignorantiæ item propriæque malitiæ nebulosa obscurati caligine, pulsis tenebris oculos salutari veritatis lumini aperirent sub augustissimæ illius mulieris pallio, quam sol ipse, quo illa amicta est, sua vestit claritate, reconderentur.

Iure quidem optimo gloriari potes, ô Hispania, quod inter tot fulgentissima, quibus abundas, sanctitatis doctrinæq; lumina Dominici potissimùm, eiusque filiorum splendore irradiata te mundo spectabiliorem, inferis terribiliorem, superis denique gratiorem exhibueris; Sed Deiparæ Encomio, quo adoptatum sibi, suaque protectione munitum Ordinem insigniuit, velle aliquid addere, detrahi potius, iniuriamque fieri perspicuum est: Ad egregios igitur bonorum cumulos à tanto spirituali sole, essentiarum vtique spiritualium multis partibus longe nobiliorum parente, vbique terrarum diffusos oculorum aciem conuertamus.

Numquam clarior, quis vnquam credat? tanti luminis fulgor apparuit, quam cum Dominicus Galliæ confinia nonnumquam attigit, sub Vxamensis Ecclesiæ modio, Canonicis prope modum duntaxat, è quorum numero erat, nota tanti viri lux latebat, Didaci tamen illustrissimi eiusdem Ecclesiæ Antistitis opera super candelabrum posita est, vt omnibus, qui in domo erant, luceret: Diuina quippe supremi Numinis prouidentia, quæ semper apertis & numquam dormitantibus infinitæ Sapientiæ suæ oculis militantem ad eius nutum in terris Ecclesiam, impetitãque venenosis Hæreseon iaculis, atque in pertinacibus cum Erebi monstris contentionibus sudantem, peneque oppressam considerat, in aperto positam discrimine carissimam Christi sponsam nequaquam deserit, imo vero laboranti quamprimum accurrit, salutaremque porrigit manum, quâ infensissimos hostes retundat, conficiatue, præsentemque ipsi opem subministrat, viuido cuius auxilio glorioſum

debel

debellatis inferni quibuſque miniſtrorum viribus triumphum reportare ſolet:

Et certe iam deficientibus à Domo Dei, germanaque Apoſtolorum fide pluribus in nonnullis Galliæ regionibus impia Albigenſium hæreſi commaculatis, diuina atque infinite prouida Mens rerum omnium moderatrix protinùs adfuit, Dominicumque æterno ipſius conſilio promouendæ animarum illic periclitantium ſaluti deſtinatum, efficaci ſuæ ſemper victricis gratiæ impulſu concitatum quantocyùs vna cum Didaco Oxomenſi Præſule, quem tanquam ouis Paſtorem comitabatur, illuc delegauit:

Quanta autem, vbi primùm in Toloſanum appulit Comitatum, pro extirpanda hæreſi nequiſſima ipſi cum perduellibus prœlia conſerenda fuerint, quantos & quam aſperos labores pertulerit, quoties in apertum vitæ diſcrimen incurrerit, quis non dicã exprimere verbis, ſed animo comprehendere poſſit? quam vero vberiores laborum fructus Roma recedens cum eodem Didaco, qui ſe Pontificatu abſolui, quo conuincendis, verboque ſanctioris vitæ exemplis coniuncto ad vnicum veritatis tramitem reducendis hæreticis totus vacaret, à Sum. Pont. ſed fruſtra, expetierat, quam glorioſiores, inquam, palmas in Galliam reuerſus, ſi non penitùs extirpata, ſaltem ſupra quam dici poſſit, eneruata hæreſi, de pertinacibus æternæ fratrum ſuorum ſalutis hoſtibus reportarit, quis facundiſſimo licet eloquio recenſere vnquam poſſit? de quibus nos iam ſuperioribus aliquid capitibus leuiter delibauimus; plura nihilominùs adhuc percurrenda ſuperſunt, quæ eximium tanti viri inſignis Hiſpaniarum ornamenti pro tuenda, augendaue apud Gallos fide ardorem ſummopere commendant:

Cum aliquando S. Pater vehementi diuinæ gloriæ ac Deiparæ virginitatis propugnandæ zelo exæſtuans, (quam quidem Albigenſes blaſphemis vocibus lacerabant) in cauernoſa proximæ ſyluæ abdita ſecedens per aliquot dies ieiuniis, corporis afflictationibus, feruentiſſimiſque precibus diuinam opem, Virginiſque Matris patrocinium ac benignitatem exoraſſet, ecce tibi Deipara in manifeſta viſione lacry-

Alan in Ro. ſar. p. 1. c. 3.

manti

manti Dominico sese visendam exhibuit, atque inter cætera quibus eum consolata est, dulcissima verba ista protulit : *Bono animo esto, Rosarium institue, hoc erit vnicum ad euertendas hæreses, vitia extinguenda, virtutes promouendas, misericordiam diuinam implorandam, suffragiaque mea impetranda magnum & singulare in Ecclesia instrumentum.* Chronicon. Deiparæ ad An. 1213.

Tali Virginis munere colloquioque confirmatus Dominicus, dici non potest quanto mentis gaudio perfusus, actis Deiparæ gratiis, mox Sanctissimi Rosarij deuotionem Tolosanis ciuibus, aliisque Galliæ ciuitatibus prædicare, & quod amplius est, persuadere continuo cœperit : Exinde illustria atque vniuersi orbis stupore dignissima tum Tolosæ, tum in pluribus aliis Franciæ locis patrata à Beato Parente per huiusmodi Parthenici Rosarij amuletum prodigia, quibus Hæretici in repetitis bello vicibus expugnati, atque ab impiis dogmatibus abducti, fideles in recta fide sanctisque institutis confirmati, aliique plures relicta latiori, & ad certam animæ mortem ducenti semita, strictiori quidem sensuum iudicio, sed longe tutiori, & ad fœlicem æternitatis metam certo dirigenti perfectionis militiæ ascripti, Sanctum velut suspensi virum, atque ab eius ore pendentes, intensissimo amoris affectu, summæque quibusuis poterant, beneuolentiæ significationibus vbique prosequebantur ; singula vero à sancto viro Parisiis, Tolosæ, aliisque per Gallias vrbibus Rosarij beneficio edita miracula si nobis hoc loco enumeranda forent, integrum sine dubio volumen complerent, quæ apud multos passim auctores fusiùs recensita suo commodo perlustrare Lector poterit, vt ex iis, quantum Galliæ regno Dominicus profecerit, apertius intelligat.

Nunquid tanta hæc, tamque insolita vos potissimum mouent, perstringuntque, ô Tolosates, vosque proximiores indigenæ tam propensi erga vos animi Sanctissimi Patris Cœlestibus inscripta voluminibus facinora ? An non vos tantarum lachrymarum filios, quas Sanctus Pater Hispanus cæteroqui natione vir, sed ardentissima in omnium

ſalutem charitate Coſmopolitanus veſtræ non temporalis, ſed æternæ felicitatis ſtudioſiſſimus effuderat agnoſcitis? Quin imo ipſius cruoris toties in veſtrûm omnium gratiam aſperrimis flagellorum tunſionibus lacerata ex carne ab eo expreſſi filios vna voce vos lætus audio profiteri: Qua autem ratione tantarum filij lachrymarum (quod de Auguſtino olim Ambroſij facundia, ſanctæque matris Monicæ lachrymis ad fidem conuerſo dictum fuit) tantarum, inquam, imo ſanguinearum filij lachrymarum perire vnquam poteratis?

Vos igitur dulciſſimas optimi parentis à muto quidem ſed tamen eloquentiſſimo ipſiuſmet ſanguinis ore, roridaque oculorum nube prolatas voces audire, imo tantis pluſquam paternæ in vos charitatis exceſſibus in ſtuporem verſos mihi videre vos videor, gratulorque; Quid vero aliud clamant? quid, niſi pro ſumma erga vos exhibita optimi Patris beneuolentia vicem aliquam à vobis rependendam continuo prædicant? Quod potiſſimum in Sodalitij ſui filios, patriique ſoli conciues præſtare vos conuenit: Clamant adhuc inter vos, ô Galli, patrata à tanto Iberorum lumine inſignium operum portenta, Roſariique cultus, cæteraque pietatis ſtudia decem annorum curriculo immenſis laboribus ab eo pro exſtirpanda in veſtris prouinciis hæreſi impenſa, quibus, Deo aſpirante, centum aut circiter animarum millia ad abiurandam hæreſim feliciſſimo prorſus euentu perduxit, ita vt honorificum Inquiſitoris munus ſummi Pontificis auctoritate promeruerit; Clamant, inquam, ac præcipue vt ab Heſperiis oris diffuſis in vos tanti ſolis radiis oculos gratamque mentem intendatis, amantiſſimis vocibus adhortantur.

Expende quæſo mecum, Lector, quanto Hiſpanus homo in Toloſanorum, cæterorumque Franciæ indigenarum ſalutem profectumque ſtudio, quantaque animi alacritate aſſiduiſve conatibus incubuerit: cum enim Ordinis fundamenta iacere cœpiſſet, percepta à ſummo Eccleſiæ Paſtore Innocentio eius nominis III. benedictione, quonam putas Beatum Inſtitutorem ſe contuliſſe, vt primum

am

ampliſſimæ Dominicanæ domus iaceret lapidem? Romæ fortaſſis, vbi petra illa ſtat inconcuſſa, ſuper quam Eccleſia à Chriſto ædificata immobilis perſeuerat, ipſeque tunc præſens aderat, fundamenta poſuit? Forſan in patriam exiuit regionem? Audiamus, quæſo, recentis Hagiologij Hiſpani illuſtratoris reſponſum, quo in Sanctiſſimi Patriarchæ vita à variis fidelibuſque collecta ſcriptoribus differit in hunc modum: *Itaque Dominicus finito Concilio, perceptaque à ſummo Pontifice benedictione, lætus in Galliam remeauit, omnem rem cum ſociis communicaturus.* Martyrol. Hiſp. 4. Aug.

Intimam igitur Iberorum cum Gallis in promouenda morum diſciplina, perfectiorique vitæ inſtituto ſocietatem, animorumque conſenſum, vel ex hoc certior factus, quis vnquam inficiari audebit? Primos celeberrimi iſtius religioſiſſimique cœtus aſſeclas Hiſpanus homo in Galliis ſelectos, ac ſimul in vnum congregatos reuiſit, & cum ipſis de noui regula inſtituti communicat; Quin etiam Toloſæ apud S. Romani Eccleſiam primum Ordinis Monaſterium ex benefica ciuium voluntate conſtitutum à Fulcone Epiſcopo acceptat, qui plurimum operis, opumque in illud liberali manu contulit; Cumque Romam iterum adiuiſſet, *nihil ei potius fuit, quam ſua negotia expedire, Toloſamque remeare:* Hagiologij Hiſpanici verba ſunt in eiuſdem S. Patris vita: poſtquam vero in Hiſpania ordinem fundauit, cuius in prouinciis mirifice propagari cœpit, Toloſam iterum delatus, *vidit ordinis ſui incunabula, vt ſic loquar, primamque domum, quam oppidò diligebat, quod hic à Deo ſuorum laborum primitiis eſſet donatus, atque ita Pariſios ire intendit:* vt idem proſequitur auctor. S. Dominic. Toloſæ prima Ord. ſui fundamenta poſuit.

Viden quanta Hiſpanus vir in Toloſates filios beneficia contulerit, quanta ſingularis in eos beneuolentiæ ediderit argumenta, quæ (iſta quamuis domus totius Ordinis Primarij Capitis nomine glorietur) maximam nihilominus eiuſdem erga Hiſpanicam prouinciam deuotionem, obſequiumque conciliarunt: *Nam cum Hiſpaniæ prouincia* (inquit Io. Tamayo in ſuis ad Hiſpanum Martyrolog. notis)

sit Tolosana recentior, primatum tamen Ordinis totius in generalibus Capitulis, & aliis actibus habet : Respondet tamen Maluenda, *Aliam rationem Primatus discernere non potuimus, nisi quod existimamus delatum id honori S. Patris Dominici, quod ipse in ea prouincia Hispaniæ natus, eamdem singulari prosequeretur amore, &c.*

Præstantissimi istius instituti primordia paululum contemplare, & ad intimæ Hispani cum Gallis, iisque primariæ nobilitatis hominibus societatis adspectum obstupescas : Petrus & Thomas Sillami in Tolosana ciuitate perillustri progenie oriundi inter cæteros Dominici alumnos primi adnumerantur : Hi nimirum, proiectis omnibus suis ad Apostolici viri pedes facultatibus, vltro Sancti Romani Cœnobium construi curarunt, vbi sanctissimam vitam egere : His additus Mattheus, quem *natione Gallum virum sanctissimum Abbatem Dominicus instituit, qui cæteros gubernaret, cum ipse ad Sarracenos penetrare decreuisset* : Vti Tamayo testatur.

Pio l.1. §. 2.

Martyrol. Hisp.

Superioribus comitem se dedit Bertrandus Diœcesis Narbonensis à Diuo Patre nonnumquam peregrinationis suæ comes destinatus, qui penes Iberos exemplo plurimùm doctrinaque Ordinem promouit; Nec defuit B. Virgo suis erga Dominicanæ familiæ curam promissis; nam Reginaldus à S. Ægidio Deiparæ monitu Religionis habitum à B. Patre deuote suscepit, admirandoque deinceps virtutum splendore Ordinem illustrauit: Ex Hispanis vero insigni refulsit pietate Dominicus alter in Tolosatum hæreticorum exstipatione indefessus pugil, diuinæ prædicationis munere adeo excellens, vt ipsi Reges ad eius vocem ac nutum absque mora parerent.

Pio loc cit.

Michaël de Fabra Castellæ natus Parisios à B. Patriarcha missus, illic Ordinem instituit, primusque publicos Theologiæ auditores habuit, postea in Hispanias repedans, à Iacobo primo Aragonensi Rege amplissima Valentiæ Maioricæque regna validissimis copiis è misera Saracenorum tyrannide abducere conanti ad bellum traductus, militum animos aduersus Fidei hostes exacuit, optima regi consi-

lia

lia pro felici certaminis euentu præstitit, ipseque in aëre mirabiliter suspensus, gladium manu gestans innumeros hostium cuneos profligare visus est.

Neque minus felici exitu sanctus ipse Pater Dominicus Albigenses Hæreticos, quem nonnullis iunctum Episcopis Abbatibusque, ab Innocentio III. Pont. Max. ad confutandam Ecclesiæ hostium hæresim delegatum supra retulimus, eosdem in multis Doctorum conuentibus ac disputationibus inuicta rationum efficacia conuictos licet, attamen ingenita Hæreticorum animis pertinacia nequaquam dare manus volentes, seque victos fateri, in florentissimo Crucesignatorum exercitu versatus perditissimos ganeones per agros tumultuantes generoso Christianorum Athletarum impetu dissipatos petentioribus suarum precum, protensæque in altum Christi Cruci affixi imaginis armis penitùs confecit.

Celeberrima prorsus, æternæque posterorum insculpenda memoriæ dies illa fuit; quia Simon Cormes Monfortius tum propter regij generis claritatem, tum singularem animi magnitudinem longa armorum bellique experientia munitam Crucesignatorum militiæ nullo reluctante præfectus, atque vnanimi omnium consensu sui temporis Heros proclamatus, postquam sanctissimo Missæ sacrificio cum insolitis tenerrimæ pietatis sensibus adfuisset, implorata feruentissimis precibus diuini Numinis ope consecratum propagandæ eiusdem gloriæ negotium infinitæ arbitrio prouidentiæ totum, vti par erat, commisisset, ad conserendas cum hostibus manus tam hilari vultu sese disposuit, vt certam omnino victoriam suis promittere commilitonibus videretur.

Scipio Dupleix in hist. Franc. To. 2 pag. 204. & seq. Guil. Nangius. P. Æmil. Polydo. &c.

Cumque Dux quidam inter cæteros magis conspicuus, consilij, vt ipse sentiebat, imprudentis temeritatem demonstraturus Comitem rogasset, vt milites suos numeratet, ipse lætus, & alacer confestim subiecit, non numero militum, sed generoso pugnantium animo, imperterritaque fortitudine exercitum constare; quo laudabili sane responso, optimo veluti augurio animati Comitis socij, tanto, tamque ardenti

impetu hostiles copias inuaserunt, vt ne quidem contra Christianos Leones stare, eosque fixis in loco gressibus expectare ausi, sed ruptis agminum cuneis, disiectisque ordinibus turpissimam arripere fugam conati sint, qua probrosæ vitæ reliquias in futurum sibi integras vellent: Sed inuicta Catholicorum virtus nequissimos perduelles saluos & incolumes euadere nequaquam permisit: Quamobrem resumptis animi corporisque viribus præsentem vlteriùs victoriam prosecuturi, quod reliquum fuit vigoris, totum illud in confodiendis fugacium Hæreticorum quisquiliis iteratis conatibus insumpserunt; viginti cæsorum millia in campo cecidisse referunt Chronistæ, quos inter infelix Aragonum Rex inuentus singulari Catholicos miseram ipsius animæ iacturam sortemque dolentes mœrore affecit.

Viginti millia Albigens. in prælio cæsa.

Mira profecto victoria si exiguum victorum immortalibus onustorum palmis numerum attendas, sed prodigio simili in eo potissimùm, quod centum millia hostium vnum solum cataphractum, & octo gregarios de tam exiguo numero milites delere potuerunt: Præstantissimi Comitis supremi exercitus Præfecti animum, peritiam, indefessos conatus, exquisitamque prudentiam tam præclaro facinori ad felicem exitum perducendo plurimùm contulisse nemo vir prudens vnquam negauerit.

Verum efficacissimas S. Dominici adhortationes, (qui in prima exercitus fronte, anterioribusue militum incedens ordinibus, venerandam Christi Domini Cruci affixi trabem manu præferebat, quam brachiis manibusque sursum protensis, tanquam salutare futurum cunctis vexillum defixis in cœlum oculis attollebat, dum Monfortius Comes infensissimos Crucis hostes solemni internecione deleret, alter veluti Moyses effectus dum Iosue Amaleçitas gladio perimeret) ardentissimas, inquam, S. Dominici preces igneaque diuini amoris verba, quæ accensæ velut faculæ ex sacro ipsius pectoris fornace erumpebant, ad tam inauditam à Diuini Numinis clementiâ victoriam mirum quantum profuisse

S. Domin. precibus obtenta victoria.

fuisse, quis inter Catholicos Apostolicis vel leuiter tinctus disciplinis in dubium reuocarit? *multum enim valet deprecatio Iusti assidua*, tantaque apud diuinam clementiam, iuxta Christi ipsius promissum valet auctoritate, vt omnia pro libito impetret, deque diuina quodammodo Omnipotentia triumphans, Deum ipsum suæmet voluntati obsequentem, suique imperij Tributarium faciat.

Ipso Exalt. S. Crucis die Simon Comes Montfort. cum suis Albigen. deuicit.

Hanc porro famosissimam de Orthodoxæ Fidei perduellibus partam victoriam ipso Sanctæ Crucis Exaltationis peruigilio contigisse referunt Annalistæ; Et merito quidem diuina sic ordinauit prouidentia, quasi huic præcipue diei ipsam reseruare voluerit in eorum gratiam, qui pro veræ Fidei defensione contra mendaces Hæreticorum argutias, turpiaque mendacia sese salutifero Crucis signo armauerant: Neque vero tanti prodigij posterorum oculis manibusue palpanda deesse voluit monumenta; Extant etiamnum Tolosæ in Sancti Romani, Sanctique Dominici alumnorum Monasterio, vbi eadem Christi è ferali trabe pendentis effigies conspicienda fidelibus proponitur, cuius arcana virtute S. Patriarcha æternis dignum fastis prodigium edidit, quodque magis admirandum videtur, adhuc in salutaris illius arboris brachiis, truncoque cernuntur impressa sagittarum vestigia, frustaque, quibus fœdissimi illi Iconomachi, nostri Caluinistarum temporis prodromi Christum pendentem transfodere nisi fuerant, sed irrito plane conatu, cum peculiari diuinæ prouidentiæ nutu, ne vnicum quidem telum in sacrosancti Christi Corporis effigiem incurrerit, ipsumque sanctum Dominicum in vlla corporis parte tetigerit.

Miraculosa Christi Cruci affixi effigies in Monast. S. Domin. Tolosæ asseruatur.

Adhibitos à nonnullis conatus haud ignoro; quibus perillustris huiusce miraculi gloriam historiarum inscriptam paginis, piaque traditione fundatam quouis modo supprimerent, quem ob finem quosdam valde suspectos actus produxere, qui S. Dominicum in quorumdam conuentu Episcoporum tunc temporis fuisse testantur,

Hiſpaniarumque Principes & ciuitates ipſis parebant] Ipſe, inquam Benedictus vbi primùm ad ſummum Sacerdotium electus eſt, miſſis nuntiis & litteris virum Dei Vincentium ad ſe Auenione nobiliſſima Galliæ ciuitate cõmorantem accerſiri iuſſit, cum profunda tanti viri doctrina, illuſtriſue ſanctimonia ipſi probe nota foret, & ſecum habere voluit, ſibique à Confeſſionibus elegit, Apoſtolicique Magiſtrum Palatij inſtituit: Itaque Vincentius ne Pontificis iuſſis non obtemperare videretur, quamuis terreni curiam principis ſequi moleſtum ipſi ſummopere eſſet, tamen ſingula ſibi impoſita diligenter eſt executus.

Et quoniam ea ætate tres ſummi Sacerdotes Chriſtianæ Eccleſiæ præſidebãt, & quiſque eorum ſe ritè creatum aſſeuerabat, ob quod maximum Chriſtianos inter populos ſchiſma ortum, fuerunt ſane ea tempeſtate multi, qui in eam curam ſummopere incubuerunt, vt Eccleſiam ad vnionem reducerent; Sed quia non ita, vt decuit, rem aggreſſi ſunt, quod volebant perficere nequiuerunt: Quare à multis tam Eccleſiarum Prælatis, quam terrarum principibus res omnis B. Vincentij fidei commiſſa eſt, tanquam homini qui verax prudenſque & eſſet, & haberetur, nec terrenæ gloriam dignitatis quæreret, propter quæ vnuſquiſque neminem inter mortales reperiri poſſe arbitrabatur, qui tantum negotium vel diligentiùs, vel prudentiùs, vel meliùs perficeret.

Bened. XIII. Auenion. Ioan. XXIII. Bonon. & Gregor. XII. Romæ Sedentes.

Itaque Vir Dei Benedictum inprimis Pontificem adiit, eique ſuaſit, vt vniuerſos Prælatos, & cum eis cũctos Theologos, ac vtriuſque iuris Conſultos, quorum Auinione magna multitudo erat, ad ſe accerſiri iuberet, & in conſultationem adhiberi præciperet, quid ei eſſet in tanta Eccleſiæ fluctuatione faciendum: præterea conſuluit, vt in ſumma potius inopia vitam ageret, quàm quod propter terrenam dignitatem ſuam inter populos Chriſtianos diſcordia foueretur: Propter hæc & multa alia, quæ omiſſa facimus, tandem eidem Benedicto ſuaſit, ſi opus eſſet, pro pace Eccleſiæ Summo Pontificatui renunciaret.

At Vincentius paulopoſt reuocatis ex morbo viribus,

volenſq; exequi quæ Chriſtus ipſi in viſione iuſſerat, inprimis P.M.adire decreuit, cui ſanctũ ſuum è Curia exeundi, populiſque Euangelium prædicandi aperiret propoſitum, eiuſque licentia res ipſa facta, maiorem habere auctoritatem videretur; Sed Pontifex id ægre ferens multas vias etiam honorarias inuenit, Eccleſias nempe duorum Epiſcopatuum, ipſiuſque Pilei Cardinalitij dignitatem obtulit, quibus Vincentius apud ipſum detineretur; quas Sanctus Iuſtis admittere noluit,manifeſtatoque animi ſui propoſito ab eo euangelizandi licentiam, auctoritatemque poſtulauit, qua obtenta, miſſus inſuper ab eo tanquam ſpecialis A. S. Legatus fuit, qui peccatores à vitiis abduceret, & ad pœnitentiam reuocaret.

Et quamuis in iuuenili ætate multis in locis verbum Dei prædicauerit, tamẽ dum quadrageſimũ ageret annum,peregrinationis eius tempus cœpit,ac doctrinæ continuum illud ac mirabile exercitum, quod vſque ad vitæ finem ſine intermiſſione continuauit: In Gallia autem Occitanam inprimis regionem,Prouinciam,Delphinatum,Sabaudiam,Franciam,Burgundiam, Nortmanniam,Britanniam, Biturniam, Aluerniam, Flãdriam,Albiam,Octauiam,Vaſconiam,Campaniam, Picardiam, peragrauit: Efficaciam ſermonis eius oſtendit, tum Chriſtianorum hominum vtriuſque ſexus, diuerſorumque ſtatuum pœnitentia, tum maxime multorum millium Iudæorum, Saracenorumque conuerſio, nam ex Chriſtianis hominibus, qui perditi atque obſtinati in manifeſto ab omnibus habebantur, ſupra centum millia ad pœnitentiam reduxit: Rarum omnino erat, vt ipſo prædicante, auditores ad lacrymandum non prouocarentur:Cum vero de futuro Iudicio,aut de Chriſti Paſſione,vel de pœnis inferorũ loqueretur,tam ipſe,quam populi adſtantes ſemper in tantum fletum prorumpebant, quod neceſſarium erat,vt per multum temporis fileret, donec à lachrymis ceſſaretur.

S. Vinc. Fer. in viſione S. Coletam orantem videre meruit.

Porro inter multas reuelationes,quas ſanctus iſte diuinitùs habuit,hanc noſtro præcipue fauentem inſtituto referre placet,qua S.Coletã ſtrictioris præſcriptæ à S. Clara S.Franciſci Monialibus obſeruantiæ temporum iniuria diſſolutæ,

ac

ac ferè penitùs collapſæ glorioſam reſtauratricem in ſpiritu videre meruit, genua humiliter flectentem, Deumque pro miſerrimæ plebis facinoribus feruentiùs exorantem: Cui ille ſic reſpodere videbatur; *Quid me vis facere filia? Ego quotidianis illorum iniuriis & contumeliis afficior; Quotidie illi me lacerant, & diſcerpunt contemnentes præcepta mea, meque blaſphemantes & abnegantes*; Propter hanc viſionem idem vir ſanctus atque illuſtris Doctor ex Hiſpaniis in Gallias venit, vt ipſam Coletam inuiſeret; cumque inter ſe colloquerentur, multis à Deo cæli delitiis conſolationibuſue perfuſi, acrioribus in dies ſtimulis ad diuinum amorem ſeſe inflammari ſenſerunt.

Denique poſt luſtratas regiones illas, quas ſupra expreſſimus, eam demùm Galliæ partem ingreſſus eſt, quæ noſtro æuo Britannia dicitur, ibique toto biennio continenter doctrinã ſalutis longe lateq; diffudit; Cumque monitus à Fratribus vt in Hiſpanias reuerteretur, & iam ætate grauis in patrio potius, quam peregrino ſolo moreretur, importuniſque eorum precibus flexus, Venetam de nocte vrbem deſerere pararet, ſeque iam aliquot paſſuũ millia confeciſſe arbitraretur, die illuceſcente ad ipſius vrbis portas ſe conſtitutum reperit: Tum vero ad ſocios conuerſus, *Redeamus*, inquit, *Fratres mei in vrbem, nihil enim iſt huc ſibi vult aliud, niſi ſic viſum eſſe Deo, vt in hac regione defungar*; Paucis poſt diebus conuocatis inprimis Fratribus ſui obitus diem indicauit, tum Eccleſiaſticis ſub mortẽ Sacramentis rite munitus, incredibili poſtremam patientia tolerando ægritudinem, cum Chriſti paſſionem, ſeptemq; pſalmos, quos pœnitẽtiales vocant, ſibi recitari præcepiſſet, donec & corporis viribus, & linguæ officio eſſet deſtitutus; ad extremũ lecta & abſoluta Litania, mox totus quadã iucũditate, atq; hilaritate perfuſus, ſublatis in cœlũ manibus, oculiſq; migrauit ad Dominum.

O te felicem, Gallia, tanti patris doctrina excultam, ſudoribus fœcundatam, laboribus ditatam, continuis quadraginta annorum concionibus, eradicatis deſerti tui vitiorum omnium dumis, vepretiſque in terreſtrẽ virtutum paradiſum conuerſam! ô te miſeram tanti viri præſentia orbatam!

imo Te Te beatam vere potes prædicare, pretiosissimis sacri ipsius corporis exuuiis honoratam, & iam tanti inter Beatorum cœli agmina triumphantis patrocinio aduocati munitam! Sed quid pro tantis in te collatis ab Hispano cæteroqui Sancto beneficiis rependes? Quæ grati tui in ipsius honorem, cultumque animi monimenta suppeditabis? Quid mirum si à Martino V. qui eo tempore quo Sanctus ex vita abiit, Romanæ Ecclesiæ Pontifex fuit, multi Galliarum, Hispaniarumque Principes, multæ florentissimæ ciuitates, & Academiæ, multi Ecclesiarum Prælati tum per litteras, tum per Legatos petierunt, vt tam insignem virum in Sanctos referret: Et ille quidem eorum preces æquissimas esse non dubitauit, easque in opus conferre voluit; sed incidentibus quibusdam interim asperis casibus, non solum à Martino V. sed etiam eius successoribus Eugenio IV. & Nicolao V. res dilata est, & tandem à Calisto III. referente ipsi gratiam pro summo Pontificatu sibi olim prænuntiato, cum iam ante religiosa actio de Beati viri sanctitate, & admirandis rebus gestis Prædecessorum imperio instituta fuisset, in Sanctorum numerum solemni ritu repositus est, quemadmodum ipse vir Sanctus longe ante prædixerat: Nullum à Calisto diuulgatum fuisse diploma de Sanctorum honoribus Vincentio decretis, cum eius miracula tam angustis finibus contineri non possent, testatus est postea, Pius II. idemque insignem ea de re sanctionem edidit, quæ extat.

Odoric. Raynald. in Annal. Eccles. ad annum Christi 1455 n. 40.

Neque vero Gallia Raymundum item de Pennaforte Barcinone oriundum plurimum reuereri, summoque prosequi studio prætermisit, quippe qui Comitem Tolosanum, qui pacta inter ipsum & Ecclesiam stabilita violauerat, atque Episcopum, Clerumque per summum scelus ab vrbe ejecerat, eidem Ecclesiæ censuris absolutum reconciliarit, atque in Terræ Sanctæ subsidium animarit: Cæterum quo Sanctus vir cum Gallis consuetudinis nexu fuerit obstrictus, iam supra meminimus, nonnullaque alia subiicientur inferiùs.

Raymund. de Pennaforte Hispan de Gall. bene merirus.

Summam interim diuini Numinis prouidentiam admirari satis, venerarique non possum, cuius suaui nimirum

dispo

disposítione contigit, vt Tolosam, in qua Prædicatorum ordo cœpit, ideoque Dominicanæ familiæ angularis petra nominari promeruit, Angelici Thomæ Aquinatis nobilissimi Ordinis illius filij, totiusque Ecclesiæ inter primarios lapides ad sustinendam, roborandamve Dei domum fulcimenti corpus translatum fuerit; cuius quidem Angelici Doctoris, qui post suum in S. Dominici Ordinem ingressum, litterarum studiis (quibus morum puritatem semper adiunxit) diligenter intendens, Parisiis Sacræ Theologiæ Cathedra sublimatus, totum orbem diuinæ suæ sapientiæ claritate illustrauit, sacræ exuuiæ (vnicum, at non exile Galliæ è Siculo bello spolium ac trophæum) è Monasterio Fossæ nouæ Ordinis Cistercienſis, vbi, dum Lugdunum proficisceretur ad Concilium à Gregorio X. euocatus, quinquagenarius obierat, Tolosam translatæ, ibidem digna cum veneratione seruantur, vt Gallia quæ tantum Doctorem aluit, totoque orbe irradiantem suo è suggestu ceu solem è cœlo delapsum mirabunda suspexit, audiuitque stupens diuino ore arcana cœlestia referantem, scriptis non modo, quæ in suo gremio exarauit, glorioſis decorata niteat, sed pretioſis quoque pignoribus ditata, perenni apud Deum eius patrocinio muniatur: Et hæc de Dominicani instituti priuilegiis ac luminibus satis.

S. Thomæ Aquinat. Reliquiæ Tolosam Dominic. Ord. caput translatæ.

Cum ergo mutuam hanc Gallos inter ac Hispanos Patres prima Dominicanæ familiæ lumina communicationem prudens huc vsque Lector sit contemplatus, quid ex illa arguere, quidve augurari potissimum queat, nisi quod non solum in ipsis Prædicatorum Claustris, Cœnobiisque vtroque in regno propagatis, verum etiam in ambabus istis nationibus, penes quas Sanctissimus hic Ordo florere cœpit, atque semper in dies magis viget, scientiarum, aliorumque plurium bonorum incrementa hinc inde mirum in modum exculta promanarint, quæ quidem seruatæ inter vtriusque nationis Patres beneuolentiæ studia, in posteros huius instituti cultores vtriusque regni propagines transfusa, hunc S. Ecclesiæ non parui fructũ momẽti peperêre, quod illustriores quamplurimi Prædicatorum Ordinis Patres Gallias san-

ctimoniæ radiis, miræ eruditionis facundia, diuinique verbi prædicatione illuſtrarunt, vnde & viciſſim Galli ſuum vſque ad occiduas Iberorum oras præclariſſimum doctrinæ ac pietatis nomen protendêre: Quare ne ſingularum Religionum Annales hic texere videamur, Lectorem ad Dominicani ſodalitij Chronicon remittimus, quod ſane innumera ex mutua Patrum vtriuſque nationis conſuetudine vtrique populo præſtita in dies commoda abunde ſuppeditabit.

Verum quis nouos Apoſtolos labenti fere mundo ſingulari Numinis benignitate deſtinatos ſeparare audeat? vti S. Dominicus orationi vacans in Baſilica Principis Apoſtolorum, qui neque in vita neque in morte à Coapoſtolo Paulo ſeparari voluit, Franciſcum fideliſſimum, atque indiuiduum in diuino opere feliciter peragendo comitem ſibi diuinitùs aſſignari intellexit, vnde ipſum ſibi poſtmodum occurrentem benigne complexus, illa memoranda poſteris verba pronuntiauit: *Stemus ſimul, & nemo aduerſariorum præualebit*; Quare Dominicanæ familiæ iure quidem optimo ſubnectimus pauperem opibus, virtutum vero diuitem meritis Franciſci ſobolem, cuius ſane regula quantum Apoſtolicæ perfectionis ſtatum æmulata Deo acceptabilis foret, vt cunctis aperte innoteſceret; *Impreſſa ſunt ei*, ait Bonauentura, *ſtigmata Domini Ieſu digito Dei viui, tanquam Bulla ſummi Pontificis Chriſti, ad confirmationem omnimodam regulæ, & commendationem auctoris; vnde quicumque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos & miſericordia.*

Franciſcanæ familiæ merita, & laudes.

In Legend.

Quin & Altiſſimus ipſe eamdem approbare regulam dignatus eſt, cum aliquando Beato Patri ſodalitij ſui à perfectionis culmine aliquatenus deficientis ſtatum deploranti Dominus ſeſe videndum exhibuit, à quo huiuſmodi reſponſum accepit: *Ego vocaui, ſeruabo, & paſcam, & aliis excidentibus, alios ſubrogabo, ita vt ſi nati non fuerint, faciam illos naſci, & quantiſcumque fuerit impulſibus paupercula hæc concuſſa Religio, ſalua ſemper meo munere permanebit.*

Bonauent in Legend. c. 8.

Et quamuis ſanctus hic Patriarcha neutra Francorum

Ibe

Iberorum prosapia genitus fuerit, ac proinde non tam ampla, quemadmodum de Prioribus Ordinibus dictum est, qui profundas in istorum alterutro regnorum egêre radices, dicendi seges in specialem vtriusque nationis simul consociatæ gratiam offeratur, nihilominùs quandoquidem palmam illam admirabilem inter summi Pontificis pedes paulatim excrescentem, atque in arborem pulcherrimam mox eleuatam, ad vltimos noui etiam orbis fines suorum beneficio filiorum ramos protendere, ipsamque in Hispaniis potissimum ac Galliis nouis semper strictioris disciplinæ institutis excultam magis in dies efflorescere videmus, nonnulla ex alterna huius instituti sodalium vtriusque nationis filiorum consuetudine progenita ambobus regnis commoda breuiter expendamus.

Franciscum post iacta Religionis suæ fundamenta, in Hispanias aliquando concessisse, accuratiores Ordinis Annalistæ tradunt, quapropter nonnullas Galliæ vrbes, dum in Hispanias transiret, vel in Italiam rediret, perlustratas ab eo fuisse probabile videtur, cum præsertim in regnorum ac prouinciarum distributione, qua Fratres ad prædicandum Christi Euangelium destinarat, Franciam ipse sibi verbo Dei illustrandam reseruasset: Hinc fit vt Franci sparsa à Sancto Patriarcha Hispanias adeunte pretiosa cœlestis doctrinæ, altissimæque paupertatis apud eos semina agnoscere sese, ac illi proinde genti, in cuius præcipue gratiam optimus Pater illac pertransibat, accepta memori referant animo, seque plurimum obstrictos esse profiteantur.

Suot qui S. Franciscum Hispan. per Gall adiuisse asserant.

Sin autem illud à me gratis assertum arbitremini, vereque confictum, quantum Galli Iberis debeant pro insolito ac plane stupendo Sancti viri in suas regiones accessu, quæso mecum attendite: An forte vobis è mente excidit, quod in aurea Seraphicus Doctor Legenda commemorat? Sanctum nempe Parentem Antonio Lusitano dignissimo eius filio in Arelatensi Capitulo de Sacrosanctæ Crucis titulo prædicante, illic miraculose sese ipsi conspiciendum præbuisse, vnde Monaldus vidit *corporeis oculis eum in aëre subleuatum extensis velut in Crucem manibus benedicentem Fratres; insolita autem*

Legend c. 3.

fratres omnes conſolatione Spiritus repletos ſe fuiſſe ſenſerunt, &c.

Quid ad hæc rigidi dubiarum rerum cenſores? Si primum Franciſci in Gallias acceſſum dum Hiſpanias adiret, reiicitis, en alterum fateamini neceſſe eſt, Galloſque non minus pro inſolito hocce ſanctiſſimi ad ipſos viri aduentu Hiſpanis debere haud quaquam inficiari poteſtis: Enimvero Antonio Vliſipponenſi clariſſimo Hiſpaniarum Lumine apud Arelatem ciuitatem de crucis titulo, Chriſtique cruciatibus diſſerente, Franciſcus (qui aliàs ab eo loco procul tunc erat) per aërē delatus inopinato prodigio, aſpectabilem ſe paſſis ac commiſſis brachiis fratrum conuentui obtulit, *vt ſui præconis Antonij*, Bonauentura teſtante, *approbaret veritatis eloquia*: Quam perutile igitur tibi ſemper fuit, ô Gallia, mutuum cum Hiſpanis commercium! En quomodo ſpeciali prorſus diuini in te amoris priuilegio Seraphici Patris, in Luſitani filij vnice ſibi dilecti gratiam cohoneſtari præſentia meruiſti; nec vllum eſſe dubium poteſt, quin tam egregius Crucis præco optimum parentem diuini omnino eloquij ſui lenociniis Arelatem vſque pellexerit, quo te pretioſo fœcundæ ſuæ benedictionis munere donatam augeſcentibus in dies ſpiritualium bonorum progreſſibus redderet clariorem: Quoniam vero de Antonij Seraphici gloriæ Ordinis, tamque ardentis Lucernæ, à Deo ſanctæ Eccleſiæ ſplendori deſtinatæ in Gallias aduentu, ſanctiſque ipſius pro Catholica Fide exantlatis laboribus, diuinis eius meritis inferiorem ſuprà texuimus Epitomen, illuc Lectorem remittimus.

loc. cit.

Inter recentiores Franciſcani inſtituti alumnos qui in Hiſpania floruere, Paſchalis Baylon adnumeratur, cuius egregia virtus in propugnanda aduerſus Hæreticos diuini Euchariſtiæ myſterij veritate potiſſimum enituit, cuius præclarum facinus Beatum illum virum proclamandi occaſionem præbuit: Sed quale, amabo, fuit inuictiſſimi huius Hiſpani pugilis theatrum? non aliud certe niſi Gallicanæ regionis Prouinciæ, quas generoſo animi ſui robore, inuictaque aduerſus Hæreticorum acerbiſſimos in

Paſchalis Baylon Hiſpan. S. Frãc. alumnus SS. Euchariſt. in Gall. contra Hæret. propugnator.

ipſum

ipsum conatus patientia nobilitauit : quæ eleganti stylo conscripta, à nouissimo Hispani commentatore Martyrologij audire placet :

Cum Valentiæ Prouincialis R. P. F. Christophoro à capite fontium totius ordinis Minorum Generali Ministro tabulas grauissimi negotij mittere satageret, & vnus ex fratribus necessario cum fasciculo litterarum obsignato mittendus esset, maxima inter Definitores dissensio exorta est, circa fratris mittendi electionem, cognitis maxime periculis, quæ ex hæreticorum manu Gallias habitantium, catholicis iter agentibus imminebant ; sed demùm inter eos conuenit vt B. Paschalis tanquam obediētiæ addictissimus hanc legationem expleret ; ille forti animo, spiritu valido, & fide plenus nihil timens, omniaque pericula Dei & B. Virginis spe cumulatus spernens, vt obedientiæ pareret, iter aggressus pedes incedens sine sacculo & pera in Galliam intrauit, cuius interiora penetrando plurima ab Hæreticis opprobria pertulit, qui passim ipsi vitam eripuissent, nisi à Domino liberatus esset : *Anno 1592.*

B Paschal. verus obed. filius periculosam in Gall. Legat. suscipit.

Cum autem Vir Dei ad quoddam oppidum accederet, ab hæreticis est cū fustibus & armis exceptus, qui in eum tandiù lapides iniecerunt, quousque seruum Dei à suis finibus arcerent: hinc ad aliam vrbem peruenit, sed ab hæreticis impetitus & apprehensus, quorum vnus illi dixit : *Papista forte in vestro sacramento adest Deus :* Cui intrepidus respondit Paschalis: *Vere & realiter in sacramento Eucharistiæ est Deus:* Hæretici vero licet Catholico mortem Fratri statim inferre possent, à proposito deuiare posse confisi, illam distulere, ideoque ipsi aduersus Sacramenti fidem nonnulla proponere sunt argumenta conati, quibus Dei seruus facillime faciens satis, motis in eum armis, coniectisque lapidibus, licet innumeros in B. virum contorsissent, tamen nullo ictu saucius mirabiliter euasit :

Ab hæret. in Gall. male tractat. SS. Euchar. veritatem propugnat.

Ab hocce periculo Dei miseratione liberatus, in aliud grauius incidit, siquidem dum cuiusdam domum principis necessitate coactus adiret, ab eoque humiliter eleemosynam peteret, princeps furore superbus B. virum in custodiam

trudi iussit, tanquam Hispaniarum regis exploratorem, seque illi mortem post prandium daturum crudeliter minitatus est: sed Dei euenit prouidentia, quod fœmina quædam Fratris patientiam contuita, misericordia mota, virum Dei per ostium domus reclusum sine alicuius animaduersione dissoluit & relaxauit; in aliam denique ciuitatem deuenit, sed protinus vt agnitus est Catholicus, ab hæreticis circumdatus, & opprobriis extitit oneratus, qui Dei seruo vitam adimere proposuere, sed à quodam homine illæsus ex turba extractus, clausis relictus domi ianuis, primo mane data eleemosyna ab eodem liber dimissus est:

Nemo sane possit sufficienter enarrare, quot in itinere opprobria, ludibria, tormentaque ipsi ab hæreticis per Galliam illata pertulerit: Nusquam igitur alibi glorioſior, quam in Francia Paschalis extitit, Gallorum videlicet consuetudine vsus, sed hæreticorum præsertim ludibriis, verberibus, sannis, persecutionibus communicans Christi passionibus communicare meruit; in quibus licet Dei dispositione Martyrij non acceperit palmam, tamen meriti corona haudquaquam defraudatus exstitit, si quidem quantum in se fuit, obedientiâ Martyrum constantiam præ se tulit, vt in monacho quærebat Basilius Magnus primus in oriente monasticæ assertor disciplinæ: Postquam humilitatem paupertatemque mirabiliter connexuisset, pœnitentiam, orationem, meditationemque continua assiduitate fouisset, fidei ac spei virtutibus sublimi modo vacasset, eximiam coluisset pietatem, spiritualibus exercitiis B. Mariæ sine labe conceptæ obsequio, castitati, silentio, perenni cùm animi tùm corporis mortificationi adhæsisset, præuisa per eum mortis die & hora, pleuritidis infirmitate correptus in lectum incidens, & suo tempore sacramentis vallatus, spiritum Deo Dominica Pentecostes placida dormitione dimisit: 17. Maij anno Domini 1592.

In constit. monast. cap. 10.

Anno 1199. Inter cæteros Religiosorum Cœtuum Ordines, quorum Ecclesia multiplici nobilis veluti Regina deaurato in vestitu circumdata varietate à dextris sui cælestis sponsi gloriosa assistit, quadringentis ab hinc annis mirum in modum florere

visus

visus est Ordo sanctissimæ Trinitatis de redemptione Captiuorum, vt vocant, cuius filij sanctissimum ipsius Christi mancipatarum infami diabolicæ seruitutis iugo animarum vnici atque piissimi Redemptoris exemplum secuti, [qui quidem è sinu Patris descendere, carnis humanæ exuuiis vestiri, seque ipsummet pro nobis dare dignatus est, vt nos redimeret ab omni iniquitate,] Fidelium qui sub intolerabili barbaræ Agarenorum seruitutis tyrannide oppressi, dirissimoque vinculorum pondere constricti gemunt, concessis sibi aliorum fidelium munificentia facultatibus, propriisque, quantum possunt, bonorum suis vsibus destinatorum redditibus, ex ferinis infidelium luporum vnguibus eripere conantur:

Sanctissimus Ordo Capt. Redempt. mire in Gall. & Hisp. floruit, vigetque adhuc magis in dies.

Neque vero hic plurimùm laudabilis Fidelium pretio redimendorum ardor quatuor istis aut quinque nouissimis duntaxat sæculis pia Christianorum corda inuasit, incenditque; quantum enim in vera ac sincera fratrum dilectione antiqua priorum temporum Ecclesiæ facies effulserit, in sequenti à S. Cypriano epistola, amplissima veluti tabula viuis adumbrata coloribus exprimitur; cum enim multi barbarorum in Numidiam incursione Christiani captiui abducti fuissent, Cyprianus indicta de more Christianis collecta, pecuniæ summam ex liberali Fidelium donatione coactam mittendo ad ipsos Numidiæ Episcopos scripsit Epistolam, in qua post multa hæc subiicit: *Si tamen ad explorandam animi nostri charitatem, & ad examinandam pectoris nostri fidem tale aliquid acciderit, nolite cunctari nuntiare hæc litteris vestris, pro certo habentes Ecclesiam nostram, & fraternitatem isthic vniuersam, ne hæc fiant, precibus orare, si facta fuerint, libenter & largiter subsidia præstare:*

Cyprian. Epist. 60.

Cuius etiam paternæ viscera pietatis sua ætate D. Ambrosius pro redimendis captiuis sacra confringens vasa Christianissimo prorsus exemplo cunctis assumenda posteris demonstrauit; vnde Arianis pro hac æternis nepotum laudibus dignissima sacræ supellectilis profusione oblatrantibus, atque apud Imperatorem eius maiestatem ad pœnam ab

eo repetendam commoturi expoſtulantibus, iſta marmori ſculpenda verba impenetrabile velut ſcutum ſapienter oppoſuit: *Quis autem eſt tam durus, immitis, & ferreus cui diſpliceat quod homo redimatur à morte, fœmina ab impuritatibus barbarorum, quæ grauiores morte ſunt? Adoleſcentulæ vel pueruli, vel infantes ab Idolorum contagijs? &c. quam ob cauſam nos etſi non ſine ratione aliqua geſſimus, tamen ita impopulo proſecuti ſumus, vt confiteremur, multoque fuiſſe commodiùs adſtrueremus, vt animas Domino quam aurum ſeruaremus; qui enim ſine auro miſit Apoſtolos, & Eccleſias ſine auro congregauit: aurum Eccleſia habet non vt ſeruet, ſed vt eroget, & ſubueniat in neceſſitatibus*: In eamdem conuenere ſententiam D. Auguſtinus, Cæſarius Arelatenſis, & Acacius, qui Eccleſias quandoque ſacris exſpoliarunt theſauris, vt ab impiis barbarorum manibus captiuos extraherent:

Ambroſ. l. 1. officior. cap. 28.

Huic prorſus conſona doctrinæ Auguſtini verba omittere non licet, quibus bona redemptionis captiuorum, in ornatum templi, & vaſa ſacra conuerti potuiſſe obiicientibus reſpondet, ipſoſque iam deducta per vniuerſalem Eccleſiam ſententia acutiſſime perſtringit, ſuggillatque [a]: *Aurum*, inquit, *Sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur: Ornatus ſacrorum redemptio captiuorum eſt, & vere illa ſunt vaſa pretioſa quæ redimunt animas à morte, ille vere theſaurus eſt Domini, qui operatur, quod ſanguis eius operatus eſt*: Sed quis eximiam præſtantiſſimi Nolani Archipræſulis Paulini Burdegala ciuitate Galliarum oriundi quadringenteſimum circa Chriſti annum vitam degentis, in captiuorum maxime liberationem, cunctas facultates, quas poſſibat, prompta & larga manu profundentis, quodque mirabilius eſt, deficientibus aliis ſeipſum viduæ matri pro redimendo eius filio libenti animo ſeruum offerentis charitatem non ſuſpiciat? Huius porro tantæ, tamque inauditæ Præſulis in proximum Charitatis, tantique Viri laudum Gregorius Magnus præco eſſe voluit, dignamque egregiis ipſius meritis confecit Panegyrim:

[a] in Can. Aurum 12. q. 12.

lib. 1. Dialog. cap. 1.

Hi profecto inſignes vtriuſque impenſæ tum in animas tum in corpora miſericordiæ viri aureis illis paulatim creſcentis

centis Eccleſiæ ſæculis vitam agentes Euangelico fraternæ charitatis ſpiritu repleti, cum de non expleta captiuorum redemptione in extremo ſæculi iudicio reddendam ſibi rationem non ignorarent, hac de cauſa vt modo præcepta legis & charitatis pro viribus adimplerent, fratribuſque inter grauiſſimos corporis languores interdum fide titubantibus, ac de æterna animæ ſalute periclitantibus præſentem afferre opem conati ſunt, ita vt ab ipſis naſcentis Eccleſiæ primordiis, continuatoque poſtrema ad hæc vſque tempora tantæ charitatis exercitio, iniunctum ab Eccleſia fidelibus huiuſmodi pietatis officium referat Thomas Bozius, quartumque hunc fidei confirmatæ modum aſſignet:

De Captiuorũ Redẽpt. exigenda à nobis in Iudicij die ratio.

Tom. 1. de ſignis Eccleſiæ Dei. l. 6. c. 3. Signo 18.

His adde Sum. Pontif. Pij V. Sixti V. Gregorij XIII. aliorumque Deceſſorum Conſtitutiones, ex quibus maximum iſtud fraternæ charitatis opus patheticis omnino verbis commendatum fidelibus Chriſtianis aperte colligimus: Diuino igitur impulſu ſub Innocentio III. Summo Eccleſiæ Paſtore Ioannes de Mata, è Prouincia Phocenſi, Doctorque Theologus Pariſienſis, & Felix de Valois ſanctiſſimus Anachoreta Galli ambo Sanctæ Trinitatis Ordini de Captiuorum Redemptione initium dederunt, qui poſtquam apud Ceruum frigidum Meldenſis territorij ſolitariam diù vitam egiſſent, per quietem admoniti Pontificem Romanum conuenire, à quo vitæ modum acciperent, cum Innocentium adiiſſent, ſimili quoque Pontificem reuelatione diuinitùs inſtructum fuiſſe cognouerunt.

Io. de Mata & Fel. de Valois Ord. SS. Trin. Inſtitutores.

Anno 1199. Gaguin. in hiſt. Lib. 6. & ex eo Bzouius.

Quamobrem à Pontifice benigniſſime excepti ſunt; Et vero V. Kal. Febr. cum dies feſtus S. Agnetis ſecundo agitur, Innocentius rem diuinam faciens, dum SS. Euchariſtiam circumſtantibus ſe oſtenderet, Angelum Dei vidit candore multo fulgentem, cancellatis manibus duos captiuos tenentem, Chriſtianum vnum alterum Maurum, tanquam eos commutaret, ſicuti poſtmodum Innocentius in approbationis Ordinis Bulla declarauit his verbis: *Vt poſtea rationabili commutatione, & bona fide redimatur Chriſtianus pro pagano*: Huic autem Angelo Crux rubei & cærulei coloris ad pectus eminebat:

Anno 1199. 32.

Martyrol. Gallican. in Supplemẽto 21. Decemb.

[Hanc ipſam ſimilis Beato Ioanni diuinitùs viſionis gratiam contigiſſe, cum primum ſacrum Pariſiis faceret, præſente Mauricio de Soliaco Vrbico Pontifice, cum Archimandritis S. Genouefæ & Sancti Victoris, Rectoreque Vniuerſitatis, & multa Clericorum, ac ciuium turba, referunt auctores; aiuntque in ipſa viuificæ Hoſtiæ adoratione Angelum ipſi candida item veſte apparuiſſe, crucem coccineo & cæruleo colore mediatim expreſſam ipſi afferentem, decuſſatiſque manibus & tranſuerſis ſuper duorum captiuorum proſtratorum capita, illum de eorum curanda redemptione diuino ex nutu admonentem:]

Hoc viſo, & re diuina confecta Innocentius Anachoretas ad ſe vocans: *Iam*, inquit, *Filioli animaduerto Dei vos Spiritu duci, conficiam itaque vobis indumenta exemplo viſionis, quæ mihi diuina celebranti innotuit*: Igitur conſutis tunicis Ioannem Felicemque candidis veſtibus decorauit, ſuperaddita Cruce, qualem Angelus oſtendiſſet; iploſque S. Ordinis redemptionis captiuorum auctores inſtituit, hæc addens verba: *Hic eſt ordo approbatus, non à Sanctis fabricatus, ſed à ſolo Deo datus*, nouumque Ordinem Sanctiſſimæ Trinitatis de redemptione captiuorum titulo inſigniuit, colorum diuerſitatem diuinarum trium Perſonarum proprietatibus adaptando, quemadmodum in ſequentibus his myſtice, docteque verſibus apparet.

Ordinis iſtius Deus auctor Trinus & vnus,
Non Fundator homo, ſed Deus ipſe fuit:
Angelus id docuit; Triadem crux, veſtis adumbrant;
Perſonam vario quamque colore notant:
Ingenitum Candor, geniti quoque vulnera liuor,
Et Sanctum flamen, qui micat igne rubor:

Quantam Galli iſti nouæ redemptionis captiuorum familiæ Inſtitutores, eidem per varias fundandæ prouincias, multiſque ab eodem Pontifice priuilegiis, facultatibuſque auctæ, prædiis item ditatæ redditibuſque, propagandæ nauarint operam, *deſcendentes mare in nauibus facientes operationes in aquis multis, vt ſoluerent, & redimerent vinctos in mendicitate & ferro*, videre eſt in Bullario

lario Romano Laërtij Cherubini Constit. 1. inter Constitutiones Innocentij III. quæ incipit: *Operante diuinæ dispensationis clementia,&c.*

Quibus insuper aucta patrimoniis,& priuilegiis Summorum Pontificum, Imperatorũ,Regum, Principum tam sancta Religio,quamque mirum in modum anteactis temporibus per orbem diffusa creuerit, ex Ordinis eiusdẽ Chronicis manifeste constat: Vnum est quod reticere nequeo;Cum vnam ducentorum & amplius Christianorum captiuorũ redemptionẽ B.Ioannes,Petro II. Aragoniæ Rege,& Petro de Beluis nobili viro instantibus, in vrbe Hispaniæ Valentiæ peregisset, [sæpius antea Religionem illam inuisit, & ibidẽ plures sui instituti Conuentus fundauit] eique pecunia deesset,missam de B. Virgine Maria Dei Genitrice celebrauit, humilibus ab ea precibus expostulans,vt necessitati illorum pauperum captiuorũ subuenire dignaretur;finita vero missa iuxta altare tantam pecuniam, quanta ei ad dictam redemptionem peragendam deerat,inuenit: Annal.Ordinis An.1212.

Plura etiam in illis Hispaniæ regionibus Gallum hominem instituti sui Cœnobia fundasse certum est, Burgense nimirum in Castella veteri, PontiReginense in regno Nauarræ, Toletanum, Segouiense, in Aragonia Auigaunienſe, Ilerdense, Darocunse; qui tandem post multas animas sanctis prædicationibus & exemplis ad vitæ melioris conuersionem adductas, post plerosque fidelium greges de luporum vnguibus ereptos, captiuos scilicet innumeros Christianos in Africa (quo eximia feruens charitate processerat) ex infidelium potestate, & miseranda seruitute redemptos; post Ordinem denique per totam Franciam, & Hispaniam, Italiam, & Angliam feliciter dilatatum, Romam cum rediisset ad procuranda sui Christianissimi Instituti incrementa, non tam fatiscens ex assiduis laboribus, quam charitatis, quâ totus ardebat, interna flamma consumptus animam sanctissime exhalauit, condignoque tumulo honoratus est in Ecclesia Sancti Thomæ de Formis, seu de Nauicella, in qua Deus fidelium remunerator animarum per multa virtutis suæ signa Martyrol. Hispan.11. Desemb.

gna, quanta apud se gloria perfruatur, Vir Sanctus manifestauit:

Ordo B. M. de Mercede sub Iacobo Aragon. R. incœpit, valdeq; floruit.

Antiquum illum Christianorum feruorem in Fidelibus à barbarorum manibus pretio redimendis, indesinenter à Romana Ecclesia, Regibusque impensum, proximioribus hisce temporibus sub Iacobo Aragonum Rege, ab Ordinis de mercede pro captiuorum redemptione Institutoribus alacriori studio excitatum fuisse magno cum gaudio accepimus: Nec est, quod tam præclari Instituti elogia foris emẽdicata proferamus, cum expresso diuini Numinis Oraculo fuerit approbatum, atque Deiparæ iussu erectum: Iacobo nempe cognomento Debellatori Aragoniæ Regi assiduis Saracenos prœliis glorioſissime debellanti semèl in oratione defixo mirus circumfulsit splendor quasi solis in meridie resplendentis, inque ipsa luminis claritate Deipara sese ipsi visendam præbuit, eiusque zelum in promouenda contra Saracenos Catholica religione commendans, vt captiuos Christianos à Mauris iniuste detentos liberaret, subinde admonuit, quam ob rem religiosum cœtum sub titulo Deiparæ Virginis de mercede redemptionis captiuorum institueret, cuius præcipuum munus hoc esset, pretium vndequaque in captiuorum redemptionem conquirere, inque solam Christianorum liberationem erogare.

Bzouius an. 1223. 10. Bernard. de Vargas in Chron. Ordinis B. Mariæ de Merced l. 1.

Tam mirabili gratoque Sanctissimæ Virginis colloquio Aragonius Rex concitatus, mox ad huiusmodi ordinem erigendum, quanta potuit contentione, animum applicuit; cuius ardens in hac re promouenda regij totius animi studium eo celebrari præconio meretur, quo Epiphanius Ticinensis Antistes Theodorici pietatem extollebat: *In quanta remuneratione huius factum suscipis pro tot millibus oppressorum libertate tractantis: perage ergo, & felicitatis tua oblationem latus adsporta:*

Annal. Eccl. Ann. 494.

Sed quosnam potissimùm, speciali Numinis prouidentia, ad tam præclarum opus perficiendum destinatos fuisse arbitramini, quo huius nouæ sodalitatis Fratres ipsius Christi Seruatoris vestigiis inhærentes Fidelium turmas è crudeli Saracenorum potestate eriperent, quemadmodum

Redem

Redemptor ipſe humanum genus ſacratiſſimi pretio ſanguinis à Dæmonum tyrannide, infernique faucibus abduxerat? Illuſtrem ſane virum ex Gallia vnum, nec non alterũ ex Hiſpaniis oriundos: Petrus videlicet Nolaſcus natione Gallus ex Diœceſi S. Populi amplis ditatus opibus, multiſque virtutum ornamentis egregie excultus, & Raymundus de Penna forte nobile Hiſpanorum decus rem hanc feliciter promouere.

petr. Nolaſc. Gall. & Raym. de Pẽna forte Hiſp. eiuſd. Fundatores.

Iſtis penè eadem ipſa nocte, qua Aragonum Rex cœleſti fuerat recreatus viſione, atque in ſancto captiuorũ redẽptionis Chriſtianorum propoſito confirmatus, Deipara ſpectandã ſeſe exhibuit, eoſq; pariter de Ordine pro captiuorũ redemptione ab ipſis inſtituẽdo admonuit; vt vero primùm diluxit, Nolaſcus feſtine ad S. Raymũdum optimum animæ ſuæ parentem conuolauit, factum recenſuit, conſilium petiit, mediaque quibus præclarum facinus expleri poſſet, ſibi ſuggeri rogauit: Tum B. Pater eamdem ſibi viciſſim oblatam viſionem narrauit, redditiſque Deo gratiis, mox Regem Iacobum adiere, eique totam rei ſeriem expoſuere; quod vbi Rex audiuit, ingenti perfuſus gaudio, rem tot teſtibus confirmatam diuinitus agnoſcens, præſtantiſſimi Inſtituti fundamenta iacere vlla abſque mora decreuit.

Num expendis, Lector, intimam, familiaremque in hoc diuino opere, totique Chriſtianæ Reipublicæ admodum proficuo Galli cum Iberis ſocietatem Dei nutu ordinatam? ampliora quoque amantiſſimæ huius conſuetudinis inſignia modo mirari non abnues: Enimuero communi Antiſtitis, Regis, Præfectorumque Vrbis, atque Nolaſci conſilio demandata Raymundo cura fuit, vt regulam, optimamque viuendi formam, atque conſtitutiones ſuo genio deſcriptas præſcriberet: Statuta porro die, poſt habitam à Raymundo concionem, in qua populum de cœleſti facta ſibi apparitione certiorem fecit, ipſe Sanctus Pater præſente Epiſcopo, Rege, & vniuerſo fere populo, Petrum Nolaſcum ſacro noui inſtituti habitu ſolemniter induit, ipſumque Generalem Primum Ordinis moderatorem declarauit.

Cum autem poſt aliquod temporis interuallum Nolaſ-

cus à dæmone tentatus, vt quietam vitam, Deo liberiùs vacaturus, amplecteretur, ſuper hoc tanti momenti negotio cogitabũdus hæreret, re cum Raymundo communicata, fraudem dæmonis ab auxilio proximorum eum remouere volentis eſſe intellexit, & ſaluberrimis eiuſdem monitis in ſancto propoſito roboratus eſt: Vnde nemo eſt qui non videat, quomodo potiorem in promouendo huiuſmodi Inſtituto partem Raymundus expleuerit; Item qua ratione Aragonenſis Rex, benigne Nolaſci conſiliis acquieſcens, bellum contra Mauros Valentiam occupantes ſuſceperit, proſperoque exitu terminarit; Quam vberes tandem prouentus, quamque copioſa bonorum omnium congeries ex mutua inter Hiſpanos ac Gallum hominem coniunctione, ex Regula Nolaſco ab Hiſpanio viro tradita, ex ſacro Religionis habituab eo per eiuſdem manus ſuſcepto, ex præſtito ad animum ipſius in arrepti inſtituti propoſito confirmandum robore, ex piiſſimi Aragonum Regis, aliorumque Iberorum ope in tam præclaro opere ad exitum perducendo exhibita in recentem hunc Ordinem exundarint.

Quamobrem qui innumeros inde ortos in Chriſtiana Republica fructus in tot captiuorum turmis è miſera ſeruitute exemptis, provt dicti Ordinis Chronicon teſtatur, mutuæ huius Galli hominis cum Iberis amicitiæ beneficio aſcripſerit, nequaquam, meo quidem iudicio, aberrarit. Quis igitur tot & tantos Ordinum iſtorum progreſſus tùm in Hiſpaniis tùm in Galliis mirifice dilatatos, eorumque Fundatores, ac veros poſt Deum Parentes ex vtraque natione oriundos, atque eximios eiuſdem fautores, cultoreſque non admiretur? quis non maximas Diuinæ clementiæ grates referat, qua annuente, imo & fauente, effuſiſq; deſuper gratiarum imbribus adiuuante, Sum. Pontificum, aliorũq; tam Eccleſiaſticorum quam ſæcularium Principum mentes efficaciter motæ, quominus progreſſu temporis ſacrum iſtũ Ordinem, eiuſq; probatos ſectatores priuilegiis, donationibus, annuis bonorum realium prouentibus, aliiſque ſuprema dignis munificentia largitionibus cumularẽt, quorũ omnium

præſi

præsidiis nouellæ tam proficui Ecclesiæ filiis in probrosa captiuitate degentibus Instituti propagines, tantam *compeditorum*, ac pene deficientium corpore animoque fratrum, ne dicam rabida Sacramentorum, verbique diuini, solius animę pabuli fame tantum non *intertemptorum*, enectorumq; multitudinem, in pristinam animæ corporisque libertatem, spretis vitæ propriæ, quæ toties adiere, periculis, asseruere.

Neque vero absque singulari diuini Numinis prouidentia factum, quod Hispani Reges cum Gallis viris adunati, pro liberandis ab immiti barbarorum potentia Christianis Sacras institui Militias curauerint, necnon prompta Gallorum hominum opera libenter vsi fuerint, vt captiuos Fideles à Christianæ Religionis perduellium iugo liberarent: Ex hoc enim omnibus datur intelligi tam Deo gratum, tamque apud Angelos, hominesue laudabile Christianos recuperandi captiuos opus ambæ istius potentissimæ nationis proprium esse, quod sane tunc certiorem promptioremque exitum sortietur, cum vtraque gens diuturno firmæ pacis fœdere agglutinata, terminatis ac penitus rescissis domesticorum prœliorum dissidiis, vires omnes aduersus pertinacissimos Fidei hostes, sub intolerabili quorum iugo tot Christianorum millia miserrime ingemiscunt, tota animi contentione, totisque corporis viribus exacuerit.

In vestram potissimùm, ô Iberi, Gallique, redundat gloriam, in vestræ munificentiæ splendorem, eximiæque liberalitatis memoriam sempiternam pro asserenda Fratrum vestrorum ruptis eorum vinculis, libertate tot diuitiarum æraria reserare, misericordiæ viscera exanimi ac pene desperatæ in extremo humanarum miseriarum vitæque statu, melius dicam agone fratrum turmæ quantocyùs aperire, tenerrimique affectus signa demonstrare, vobis inclamante D. Ambrosio: *Summa liberalitas captiuos redimere, eripere ex hostium manibus, subtrahere neci homines, & maxime fœminas turpitudini: reddere parentibus liberos, parentes liberis, ciues patriæ restituere; præcipua est igitur liberalitas redimere captiuos, maximè & ab hoste barbaro, qui nihil deferat humanitatis*

ad miſericordiam, niſi quod auaritia reſeruauerit ad redemptionem:

O quantum Chriſtianæ Reſpublicæ Hiſpanicæ, Gallicæq; genti deuinctam ſeſe profitetur! quod ſuos videlicet filios ſub barbarorum tyrannide ad mortem vſque fatigatos maximis tandem amborum populorum ſumptibus ab inſana eorum poteſtate vindicatos, ſibique reſtitutos, ſit tenerrime ſuo complexa ſinu! ô quantum iſtorum Ordinum SS. Trinitatis, ac B. Virginis Mariæ de mercede pro captiuorum redemptione qui in vtroque regno ab Hiſpanis vnà cum Gallis fœliciter inchoati, eorumdemque laboribus mirifice dilatati, ſuos late palmites extendere, Inſtitutoribus fideles populi vno ſe ore deuinctos eſſe proclamant! Et merito quidē; Nam ſi cæteris religioſorū agminum ſodalitiis obſtricti cenſeantur, eo quod ab ipſis ſuaui doctrinæ, pietatiſq; lacte nutriantur, ab iſto ſanguinem ſuum, vitamq; ſuam ſibimet ipſis reſtitutam, atque in tuto poſitam loco agnoſcunt:

Tot igitur Fidelium vita, ô Galli, Iberorum veſtra eſt, Ad vos, ſicut prioribus ſæculis captiuorum Fidelium calamitas veſtris continuo ſuppetiis releuata memoratur, innumera iſtorum cohors, ac forte vinctorum numero haud impar, de quo Ambroſius olim aſſerebat: *Quanti vbique vanales erant toto captiui orbe, quos ſi reuoces, vnius prouinciæ numerum explere non poſſint*; Ad vos, inquam, oculos animoſque intendit, perpetuoque defixos tenens veſtrum implorat auxilium, vt benefica in ſe tot tantiſque confectos ærumnis inolitæ pietatis veſtræ viſcera in hac potiſſimum renouata inter vtramque gentem animorum concordia, dulciſſimoque tranquillæ pacis otio magis in dies experiantur:

Loc. cit.

Quæ olim in Galliis ab Epiphanio Burgundionum Regē pro ſoluendis captiuorum vinculis exorante viſa fuere, nunc ingenti lætitia perfuſi mutua veſtrum, ô Franci, cum Iberis recèns icta ſocietate iā feliciter inſtaurari conſpicimus: *Redde*, aiebat ille, *reſiduos patriæ, redde origini, redde gloriæ tuæ remitte quamuis ad alienam ditionem, qui ſe & ibi poſiti tuos eſſe cognoſcant; ſit filij tui ſponſa laxa largitas; abſolutio captiuorum offerat pacta ſua munus, quod & Chriſtus accipiat:* Rege autem

Annal. Eccl. Ann. 494.

autem tanti viri monitis confestim acquiescente, necnon Godigisilo fratre germano fraternæ deliberationis formam sequente; *Tanta istius iam liberæ multitudinis frequentia subitò adstitit, vt desolata crederes esse etiam incolis rura Gallorum; tantæ liberatorum phalanges remissæ sunt, vt videres longe lateque agminibus feruentia itinera cum laude Dei nostri redeuntium: &c. videres duci in triumphis cælestibus vulgus liberum, & pro mactandorum sanguine terram madefieri lachrymis exultantium.* Haud aliter sane tot fidelium greges sub Agarenorum infidelium que dura seruitute afflicti cum potentissimas præ cæteris nationibus vtriusque de nouo fœderati regni vires in hoc fœliciſſimo pacis fœdere coniunctas intuentur, ad vos anhelantibus votis respiciunt, totaque animi propensione adspirant, vestros se esse clara voce profitentur, insolitoque perfusi gaudio sese quamprimum vinculis soluendos, & quasi de tenebris, ipsisque mortis faucibus eripiendos confidunt:

Et cuius tandem ferreum licet, adamantinumue pectus non moueant tantæ tamque inauditæ miseriarum Iliades, quas nostris temporibus patiuntur tot Christianorum millia, quos plusquam barbara in odium fidei Turcarum immanitas premit? cuius aures non feriant tot tamque sonori compeditorum gemitus, qui sub durissima Tyranni seruitute intolerabilibus laborum omnium generibus, inhumanis verberum plagis, vulneribusque affecti, inedia, fame, innumerabilibus ærumnosæ vitæ calamitatibus obruti manantibus passim lachrymarum riuulis plangere nen cessant, funestissimamque quorumuis mortalium suis impositam humeris sortem deplorant; fratrumque Christianorum pretiosissima, nec pro toto vendi auro solita animi corporisve libertate fruentium assiduis inclamant vocibus, atque implorant, si quo tandem modo impetrari possit, auxilium:

Neque captiuorum redemptionem tot annis anteactis, à Sum. Pont. Decessoribus haud iniunctam fuisse, sic & modo tam sanctum opus silentio prætereundum obiiciatis, humanũ sane genus è diaboli seruitute ad libertatem nouissimis temporibus à Christo reuocatum, redemptumq; fuit, quod tem-

pus conuenientiſſimum fuiſſe, iuxta diuinæ determinationis rationes Deo notas Theologi omnes, & S. Thomas diſtincte in vltimis de Incarnatione articulis ac diſerte probant; Infidelium ſiquidem Ethnicorum obiectio, & quæſitum cum fatua admiratione fuit; tot annorũ ſæculis à creatione mundi decurſis, poſtremis temporibus Chriſtum ad redemptionem hominum miſſum fuiſſe; Quos egregie, ſubtiliterq; more ſuo confutat Auguſtinus, cum quo propoſitæ pariter de captiuis obiectioni reſpondere non verebor, quia forte, ſi aliquando captiuorum cauſa ſanctumque negotium ſiluit, id diuino conſilio ad hæc poſtrema tempora oportuniùs reſeruari potuiſſe, vel ob maiorem vtilitatem & fructum, ob præuiſam neceſſitatem, dum non ſolum Chriſtianorum innumerabilis multitudo, ſed & ſatis ampla regna ſub Infidelium captiuitate diſtinentur, vt Auguſtini ratione vtamur, ſed adimplere neceſſe eſt, quod ſanguis Chriſti operatus eſt: 12. q. 2. Aurum: Quod ſane iure à nobis vniuerſoque orbe ſperatur, cum iſtud tam illuſtre pro captiuorum procuranda libertate inſtitutum ab Iberis ſimul cum Gallis in Hiſpanicis cœptum regionibus, atque ab iiſdem deinceps propagatum ſummo Eccleſiæ fideliumque commodo floruerit; vnde ex hac noua vtriuſq, gentis confœderatione maiora in dies bonorum omnium incrementa merito augurari poſſimus:

Epiſt. 49. quæ eſt de quæſtionibus contra paganos, quæſt. 1.

Enimuero dum pulcherrimam Eccleſiæ Chriſti ſponſæ veſtis, de qua nos initio capitis pauca retulimus, varietatem attenta mente conſidero, infinitam quidem ſupremi opificis ſapientiam mirari ſatis non poſſum, quæ militantem Eccleſiam pretioſorum lapidum viuorum, ipſi ſummo angulari lapidi Chriſto IESV vnitorum gratiſſima diuerſitate ornatam ſtructura mirabili fundare diſpoſuit, quam vnus atque idem ſpiritus admirando plurimùm miniſterio eſt operatus; quin etiam ſicut Altiſſimus ab initio vineam ſuam talibus piis cultoribus (iuxta ſanctam promiſſionem ſuam) viſitauit, firmauit, & auxit, ſic ipſi ſemper ſuæ protectionis auxilium multipliciter impertitur:

Noſtræ tandem propioribus ætati poſtremis duobus ſæculis cæleſtis ille agricola vineam ſuam ſolito ſibi more viſi-

tans

tans virum fortem ad huiusmodi vineæ culturam adduxit, glorioſum ſcilicet Confeſſorem B. Franciſcum de Paula ſuperno cœtui merito ſociatum, qui inter cæteros Chriſti Athletas ſuis meritis & exemplis ipſam ſanctam Eccleſiam diuina cooperante gratia, multipliciter decorauit; præſentiſque temporis caliginem ſuæ lampadis fulgore mirabiliter illuſtrauit, copioſamq; vtriuſque ſexus fidelium multitudinem poſt ſe traxit, ac religioſam profeſſionis ſuæ generationem rite ſtabilitam reliquit, vt ad gentium illuminationem celebris ſui memoria tanquam rutilum ſidus in Eccleſiæ firmamento ſeruaretur:

B. Franc de Paula Eccleſiæ ſuæ Deus prouidit. Chron. Ord. *Anno* 1486. Ferdin. Pand. Hiſp.

De ſanctiſſimo Minimorum Inſtituto ab eodem S. Franciſco in ſacris Eccleſiæ areolis conſito, atque in Galliis primùm, deinde in Hiſpaniis mirum in modum propagato nonnulla quæ arctiſſimæ iſtius inter vtramque gentem coniunctionis inſignia præ ſe ferunt, commendantque, hoc nobis loco commemoranda occurrunt: De iſtis ſane Minimis Fratribus quàm appoſite diceret Auguſtinus[a]: *Appende Minimos iſtos, & gratum pondus inuenies*: vnde merito Bellarminus hanc Franciſci cum Luthero Antitheſim deſcripſit[b]: *Hoc noſtro ſæculo, illo fere tempore quo Martinus Lutherus ſua zizania ſeminare cœpit, floruit in Italia alius quidam Franciſcus auctor & parens hominum illorum religioſorum, qui in Gallia boni homines, in Italia Minimi dicuntur: Itaque eodem fere tempore homines duo contrarij inter ſe extiterunt: Lutherus docuit nihil valere ieiunium, & ciborum delectum eſſe ſuperſtitioſum: Franciſcus Ordinem inſtituit, in quo qui viuere volunt, frequenter ieiunare, & perpetuo à carnibus & lacticiniis abſtinere debent: Lutherus Cœlibatum, obedientiam, & voluntariam paupertatem, tanquam res inanes & hominum commenta deteſtatus eſt; Franciſcus res eaſdem tanquam vtiliſſima Chriſti conſilia incredibili deuotione complexus eſt: Lutherus quotquot potuit ex monaſterijs ad ſæculum vocauit; Franciſcus quotquot potuit à ſæculo pertraxit ad monaſteria: Lutherus Leonem X. Antichriſtum videri & haberi voluit; Franciſcus eidem Leoni Ordinem ſuum debita humilitate ac deuotione ſubiecit*, &c. Hæc de ſanctiſſimo Franciſci Paulani inſtituto ex Bellarmi

Sacri Minimorum Ordinis laus.

[a] Serm 3. de verbis Domini.

[b] Concione 6.

S. Franc. de Paula Luthero Deus oppoſuit.

larmino delibasse sufficiant, iam nostri cursum instituti prosequamur;

Percrebescente in dies eximiæ sancti Patris sanctimoniæ fama, signis à tam viuo Christianæ humilitatis exemplari patratis aucta, ideoque mortalium oculis ad miraculum vsque proposita, incessit Ludouicum XI. piissimum, potentissimumque Francorum Regem Franciscum videndi cupido; quapropter Ferdinando Hispano Regi litteras dedit, quibus apud eum agebat, vt Sanctus Pater in Galliam mitteretur; vt primùm igitur Ludouici litteras Ferdinandus accepit, nihil prætermisit, quo tanti Regis voluntati obsequeretur, quare mox Franciscum est adhortatus, ne tam inclyti Regis vota per se irrita esse pateretur, viam fieri ad Ordinis sui propagationem in florentissimo regno admonet; fauentem denique ac beneuolum se de cætero futurum pollicetur, vellet modo suis ac Ludouici precibus acquiescere: atqui vir beatus nulla re proposita adduci potuit, vt se Regis accommodaret mandatis, donec Ludouicus Sixtum IV. Sum. Pont. per Legatum extra ordinem exorauit, vt sua interposita auctoritate Franciscus in Gallias amandaretur:

Ludou. XI. Gall. Rex S. Franc. de Paula in Gall. aduocauit. Chron. ord. an. 1481.

Hæc sane mutuæ inter ambos Reges beneuolentiæ studia ampliori non indigent probatione, peculiariue animaduersione, alternam enim animorum necessitudinem nouis assidue auctam officiis clarissime deprædicat: Cum igitur Dei seruus, summique ipsius in terris Vicarij obsequentissimus filius, diuina item reuelatione instructus in Gallias appulisset, à Ludouico Rege perhumaniter exceptus, moxq; Ordinis sui Cœnobia construendi licentia donatus, ad S. Martini miraculorum gloria coruscos cineres venerabundus Turonum accessit, vbi Monasterio regia magnificentia ac pietate ipsi constructo, maximis signorum ac virtutum splendoribus effulgere cœpit, vnde multi suauissimo ipsius virtutum, austerissimæque viuendi rationis odore allecti, recens licet, carnique valde infensum religionis Institutum læto animo hilarique vultu amplecti non dubitarunt:

Neque in Galliis duntaxat tanti viri fama percrebuit, imo

imo foras erupit, finitimasque regiones peruagata multos in Hesperiis ditionibus probandæ huiusmodi regulæ desiderio accensos post se quamprimùm attraxit; Qua autem ratione primum Hispani Ordinem amplexi fuerint, ex Montoia accipe: Ferdinandus Pandurus nobilis Hispanus patria Miturgitanus Petri de Lucentia ad Gallum Regem Oratoris comes Britannici occasione belli, Rege apud Turones agente Beati viri familiaritatem expetiit, omnemque eius vitæ rationem miratus, tandem in eius contubernium, Ordinemque concessit: Petrus vero sanctimonia, pluribusve signis à Sancto editis captus, cum aliud non posset, suis in Hispaniam traducendis alumnis, & construendis sui instituti, si quando Deus daret, hospitiis omnem operam, fauoremque spopondit: Bernardus quoque in celebri Montis Serrati Abbatia Monachus Legati Hispaniarum nomine in Gallias missus, Parisios ad Sanctum Virum dissimulato consilio perrexit, & cum ipso de suscipiendo eius instituto priuatim egit: Expendite quæso, ô Iberi, vnde tot illustria in vestris oris deinceps condita Sancti huiusce Ordinis Cœnobia? ô quantum vobis semper proficua huiusmodi cum Gallis societas!

Chronicon Ordinis. *Ann.* 1486.

Ad hanc pariter Iberorum cum Francis societatem reuocanda est celeberrima in Mauros victoria sub Ferdinando V. potentissimo Hispaniarum Monarcha; Cum enim Malacam Ferdinandus obsideret, neque vllâ spes Regiis copiis suppeteret: S. Franciscus apud Turones in cella degens rerum diuinarum contemplationi intentus, rei, quæ gerenda erat, felicem euentum, pro quo summis Deum votis exorabat, edoctus, mox duos ex alumnis è Gallia, datis ad Ferdinandum Regem litteris, transmisit, quibus vir Sanctus Regem ne animo concideret, hortabatur, ac breui ciuitatem in eius manus deuoluendam pollicebatur, quod paulò post acceptas litteras contigit, immisso namque intra vrbem panico terrore, attoniti Mauri effugêre: quamobrem fratres illi nondum in Hispania noti, fratres de Victoria nuncupari cœperunt.

Viden Hispanicarum rerum incrementa, viden Ferdi-

nandi gloriam, felicitatemque ſanctis viris in Gallia commorantibus maxime cordi fuiſſe? Quo præclaro eximiæ charitatis, cuius peculiari Franciſcus teſſera ſuum inſigniri Ordinem voluit, argumento, filios ſuos in Francia futuros incolas totis conatibus, enixiſque ad Deum precibus feliciſſimos Iberorum prouentus, potentiſſimique eorum Regis præſertim aduerſus fidei perduelles victoriam, atque aſſiduis orationum votis flagitaturos edocere videbatur; vnde licet ſingulis Eccleſiæ membris de alterius membri ſtatu rationem aliquam habere conueniat, nihilominùs vtrique huic nationi inter ſe finitimæ, intimiſque ſemper alternæ beneuolentiæ nexibus adunatæ peculiare munus hoc eſſe iure concluditur.

Iam vero lectiſſima Hiſpaniarum germina, quæ ab Ignatio de Loyola ſingulari Iberorum ornamento Pariſiis primum ex immenſo iuuenum numero ſelecta, ſummoque ſtudio exculta, ac deinde in vniuerſo fere orbe gratiſſimum eximiæ doctrinæ ac pietatis odorem ſparſere, oculos, dicendique ſtylum ad ſeſe dulciter trahunt, ex quibus ſane vernantibus floſculis huiuſce coronidem capitis adornandam ſubnectimus; quippe haud immerito Paulus Papa III. *Agrum fertilem, qui non ſingulis annis, ſed ſingulis diebus multiplices, vbereſque fructus ad ſummi Regis laudem, & fidei incrementum verbo & exemplo producit*, Societatem ab Ignatio erectam in Diplomate nuncupauit.

Societ. Ieſu ab Ignat. Hiſp. fundatæ Encomia. Ann. 1549.

Placet hoc loco nonnulla in Ignatianæ ſobolis laudem excerpere, quæ prolixiori ſtylo proſequitur Bruno Loher Carthuſiæ Agrippinenſis alumnus in Præfatione ad Henrici Harphij operis viuenti adhuc Ignatio dicati frontem inſcripta: *Dolebamus*, inquit, *gliſcentibus initio hæreſibus non exiſtere in Eccleſia multos ſatis pietate ac eruditione præſtantes viros (quamquam plurimi certe deinceps extiterunt) qui diuino armati ſpiritu aduerſum ſpiritus hoſce tartaricos ſeſe tempeſtiue opponerent, eoſque penitùs obtererent, atque profligarent, &c. Cum ecce præter omnium opinionem, expectationemque non multo poſt tu exſtitiſti, Pater celeberrime Ignati,*

qui

qui ſpretis mundi pompis, honoribus, diuitiis, voluptatibus, ſpreta generis dignitate (Comitem enim ac ſtrenuum militem in patrio regno te fuiſſe conſtat) primò Pariſios te contuliſti litteris ſacris imbuendum; deinde adiunctis tibi aliquot eiuſdem propoſiti viris, decem numero, communi conſilio ſtatuiſtis mundum penitùs contemnere, & totos vos animabus lucrandis mancipare, &c. Vnum duntaxat ſupereſt, quod nobis melioris ſpei fiduciam ingerit, veſtræ nimirum ſodalitatis noua iſthæc, præclaraque profeſsio, & numquam ſatis laudatum vitæ inſtitutum; cum enim certis probemus experimentis fructus optimos è vobis prodire, non ambigimus ex Chriſti ſpiritu profectum eſſe, quod aggreſsi eſtis, prorſuſque nobis perſuademus fore vt per veſtros quandoque Chriſti Eccleſia in melius reformetur, maxime cum id vobis inprimis curæ ſit, vt quoad eius fieri poteſt, omnes ad veram pietatem prouehatis, &c.

Neque vero priuati alicuius, atque in hanc Ignatij prolem ſpeciali amoris æſtu propenſi duntaxat huiuſmodi verba accipias; clariſſima ſummorum Pontificum totius Eccleſiæ corpus tanquam eiuſdem vnici capitis facie repræſentantium de tam inſigni cœtu præconia attentis auribus excipe: Pius I V. in Bullâ ſua de eius alumnis pronuntiat; *Ann. 1561.* *ſicut nomen Ieſu aſſumpſerunt, ita opere, doctrinâ, exemplis, ipſum Dominum Ieſum Chriſtum imitari, eiuſque veſtigia ſequi:* Pij vero V. in eorumdem gratiam verba ſpeciali recolenda æſtimatione videntur, quibus de Societate aſſerit: *Innumerabiles eſſe fructus, quos Chriſtiano orbi Societas Ieſu attulit, & affert, quæ proprij ſanguinis prodiga, vt verbum Dei efficaciùs plantaret, Martyrio voluntario ſe ſuppoſuit, & regna ipſa ad Chriſti agnitionem perduxit:*

Sed & à Gregorio X I I I. [altero veluti eiuſdem Societatis Fundatore, quam tot magnificis Romæ, & alibi nobilitatam ædificiis, Seminariiſque ditatam mirum quantum propagauit] ſummis hæc Societas laudibus non vno ſed pluribus in locis extollitur, quas iſtis ſolummodò verbis complectimur: *Vberrimum fructum in dies afferre non ceſſant; ad omnia pericula pro vniuerſali Eccleſia ſubeunda præſto ſunt, &* In var. Conſtit. *Ann. 1571. 1584. &c.*

rebus arduis ſuſcipiendis fructuoſos operarios ſubminiſtrant: Neque minus conſpicuum Gregorij XIV. iſtud Ordinis commendationi eloquium venerare. *Societatem* IESV, inquit, *diuina prouidentia nouiſſimis temporibus excitatam, adeò cum vniuerſali Eccleſia coniunctam eſſe, vt eius commoda vel incommoda in commune totius Eccleſiæ bonum vel malum redundare neceſſe ſit, &c.*

In Conſtit. ann. 1591.

Huius quoque præſtantiſſimi fructus aſſiduam, noſtra advſque tempora, excultamque magis in dies maturitatem, (quod valde notandum eſt, cum à primæuo virtutis flore Religioſa plerumque Inſtituta ſenſim ſine ſenſu, natura in deterius prolabente, non ſine iuſto doloris ſenſu deflexiſſe videamus) omnium plauſu celebrandam Clemens VIII. huiuſmodi tenoris oraculo propoſuit: *Quanto ſtudio ac diligentia Dominicum agrum piis officiis ac ſtudiis, quibus aſſiduò vacant, colere non deſtiterint, & hoc maxime tempore non deſinant, &c.*

In Diplom. ann. 1592.

Hoc ipſum Paulus V. atteſtatus in hunc modum: *Quantum Religio Societatis* IESV *in Eccleſia ad Fidei, pietatis, & Religionis augmentum profecerit, & in dies magis proficiat, Nos ipſi ſcimus, & Chriſtiana Reſpublica nouit vniuerſa:* Egregium ſane tanti Pontificis de minima Ignatij familia, ſic enim ipſe eam compellat, Encomium; Vniuerſa ſiquidem Chriſtiana Reſpublica, nouus itidem orbis ipſius filiorum quotidie experitur in Fide vbiuis terrarum diſſeminanda, miraturque ardorem: Vnde inſignis æque ac pius Doctor Ioannes de Auila Ignatium magni Gigantis titulo inſignire non dubitauit; ipſum enim veluti giganteis paſſibus in filiis ſuis cucurriſſe, & vſque ad extremas orbis regiones Euangelij colluſtrandas aduocaſſe omnes clare intuentur; *Vere enim S. Parens gigas fuit qui à ſummo cælo egreſſus, nouus veluti Eccleſiæ ſponſus, exultauit ad currendã viã.*

Bullar. ann. 1616.

Initio Conſtitut.

Denique clariſſimi Auguſtinianæ Eremi Doctoris Ludouici Montoyæ de Ignatij ſanctimonia, inſignibuſque ipſius animi dotibus altiſſime diſſerentis elogium prætermittere nefas foret: Hic Roma, vbi cum Ignatio egerat, in Luſitaniam reuerſus, nullas ſeſe dixit pretioſiores, ſibique fructuo

ctuosiores reliquias ex sancta ciuitate retulisse, quam quod Ignatij aspectu & colloquiis frui meruisset, quodque de tanti viri sapientia hausisset, alte menti combibitum, impressumque retineret.

Atenim nimium forte cum illustri sanctimoniæ non vulgaris Gigante, per eius, suique laudum Instituti campum exspatiatam orationem, diuagatamque seueri quipiam Censores expostulabunt; sistite gradum, amabo, neque me vel latum vnguem ab instituti semita recessisse, aut tantillum aberrasse intelligetis: Nunquid vberrimam hanc doctrinæ pietatisque segetem totius Christianæ Reipublicæ emolumento partam, ab Hispano viro disseminatam, atque in Parisiaco primum conceptam, atque productam solo paulatim adoleuisse conspicimus? euoluite, quæso, fideliora Societatis monumenta, illius exordia, progressus, dilatationemque perscrutemini.

Certe, Ignatius (vti produnt eius vitæ scriptores) quem consulto Deus reseruabat, vt multorum liberorum parens existeret; ideoque cursum eius aduersis licet procellis dirigebat in portum, ad multorum conquisitionem sociorum, cum quibus è peccatorum cœno eductos hominum animos rectæ disciplinæ norma excoleret, ardentiori zelo incitatus Parisios adiuit omnium tunc Academiarum parentem, scholamque communem, & quoddam quasi totius orbis theatrum: Quo tãdem cælestibus auris impulsus, per vias hostiũ incursionibus infestas cũ saluus & incolumis penetrasset, in eam tota mente curam incubuit, vt auditores & administros curãdæ salutis animorum sibi adiungeret; nihil ei antiquius fuit, quam vt aliquos adolescentes ad hoc munus aptos, & bene moratos eiusdem propositi socios sibi adiungeret: Sed quosnam putatis ab ipso, diuino mentem afflante spiritu, ad construendam spiritualis ædificij molem segregatos? quosnam pugiles sacræ huic militiæ toti dæmonum catervæ terrorem incussuræ congregatos? viros partim Hispanos, partim Gallos cum duobus Allobrogibus ad suas partes Christo nomen, labores, vitamque daturos allexit, Itaque Petrum Fabrum Allobrogem, Franciscum Xauerium

rium Nauarrum, Iacobum Laynem Seguntinum, Alfonſum Salmeronem Toletanum, Simonem Rodriquez Luſitanum, Nicolaum Bobadillam Palentinum commode nactus eſt; ad eos acceſſere poſtea tres alij Claudius Iaius Allobrox, Ioannes Codurius Ebredunenſis, & Paſchaſius Broëttus Ambianenſis, collectiſque omnibus vniuerſi numero decem fuerunt.

Petrus quidem Faber ex oppido Allobrogum Villareto Gebennenſis Diœceſis progenitus, haud vulgaris conſuetudinis vinculo cum Franciſco Xauerio lucidiſſimo Hiſpaniarum totiuſque Orientis Sole deuinctus, in eodem contubernio litteris nauabat operam; Iſtis igitur Sanctus Pater comitem ſeſe adiunxit, ac breui Petrum ad perfectioris vitæ apicem Sacerdotio attingendum ſaluberrimis monitis ac exemplis attraxit; quod vt vidit Xauerius, mox amicum & condiſcipulum ingenij, doctrinæque fama præclarum ſalutis iter ingreſſum ſequi percupiens, Ignatio quem maxime venerabatur, propenſiori ſeſe ſtudio excolendum tradidit: vere funiculus hic triplex difficile abrumpetur: Cernas Hiſpanos duos alterumque Gallum primos Societatis lapides, baſeſque arctiſſima inter ſe animorum conſenſione ſociatos coniunctis viciſſim ſtudiis diuinæ rei promouendæ ſummopere intentos, vt hinc quantum clariſſimo huic Inſtituto mutua vtriuſque gentis communio ad potiora in dies incrementa contulerit, aperte dignoſcas.

Hoc vero ſingulari animaduerſione, ſtuporeque non vulgari digniſſimum quis ambigat? quod nempe tot Hiſpanos ea ætate diuina Lutetiam prouidentia deſtinarit, qui litterarum ſtudiis vacarent, vt certiſſimis velut ſignis, felicique augurio, quantùm nouiſſimus licet, meritis tamen, famaque nominis haud quaquam poſtremus Ordo ab Hiſpanis potiſſimùm efformatus, edituſque in lucem, labentibus poſtea ſæculis, Gallis ipſis mira tot alumnorum ſuorum eruditione, pietatiſque zelo imbutis prodeſſe deberet, nemini non cognitum, perſpectumque haberetur; Enimvero non ita multo ante Iacobus

cobus Laynes & Alfonſus Salmeron ex Hiſpania Pariſios appulerant, quorum nomina duntaxat protuliſſe, tantos viros ſummis virtutum muneribus exornatos ſatis celebraſſe putarim : Hi ſeſe coniunctis pariter Ignatio animis ſocios adiunxere, ſeque eius omnino nutibus regendos permiſêre : Nicolaus quoque Bobadilla Hiſpanus origine ex Palentina ciuitate, qui non multis abhinc diebus, perficiendorum cauſa ſtudiorum, Lutetiæ verſabatur, Simon etiam Rodericus Luſitanus, qui eidem Academiæ adlectus erat, Ignatij Societatem ac diſciplinam ambiere : Tres denique alij, quos vltimo loco ſupra recenſuimus, promptiſſimis animis familiarem cum illis ſeptem tot donorum à Deo ipſis conceſſorum lumine conſpicuis ſaluti animarum profuturam neceſſitudinem contraxere.

Mirum ſane dictu ! quanta fuerit iſtos inter ſocios animorum conſenſio, diuerſæ licet nationis homines, & Hiſpanis eo tempore Galli permixi, quo duo regna grauiſſimo inter ſe bello diſſidebant ; Vnde conſentientibus inter ſe diuerſarum nationum animis, Hiſpaniſque cum Gallis ad promouendam Dei gloriam, animarumque ſalutem concordi voluntatum ſtudio conuenientibus, non mirum ſi decem iſti Patres mira eruditione, ſanctimonia, fideique amplificandæ zelo naſcentem Ordinem, atque adeo vniuerſum fere orbem illuſtrarint: Cæterum quis neſciat prima tantæ molis fundamina à ſancto viro Pariſiis iacta fuiſſe ?

Sex illos iam Hiſpanos cum Gallis ſtrictiſſime vnitos Pariſiis, hoc eſt in Gallicani Regni Meditullio congregatos, vt nouam in Eccleſia Dei, prorſuſque admirandam contra Fidei perduelles tartareaſque dæmonum acies erigerent molem, in monte Martyrum procul ab vrbe mille circiter paſſus libet contemplari : Decimo namque octauo Kal. Septembris, quo die triumphantis in Cœlum Deiparæ Aſſumptionis memoria celebratur, ieiuniis, & voluntariis corporis afflictationibus præmiſſis, confeſſione peccatorum expiatis animis, ſumptoque pane cœleſti, in æde illa

ſubur

ſuburbana Montis Martyrum obſtrinxere ſe voto ſinguli res humanas abdicandi ad conſtitutam diem, illibatam ſeruandi caſtimoniam, & in perpetua paupertate ſeruiendi proximorum ſaluti; nominatim autem, facta ſibi à Pontifice Max. poteſtate, nauigandi Hieroſolymam, infidelium animos Deo conciliandi, & ad eius cultum adiungendi gratia; ſiue, Deo aliter annuente, Chriſti in terris Vicario ſeſe offerendi; quam perfectam ſui oblationem toto ſtudiorum tempore ſingulis annis eodem in loco, quo S. Archipræſul, inclytuſve Martyr Dionyſius cum ſociis hoſtiam ſe viuentem, ſanctam, Deoque placentem pro fidei defenſione minutus capite conſecrarat, eodemque B. Virginis in Cœlo triumphum agentis die ſingulari mentis iubilo renouare ſolebant.

In iſto monte Martyrum ſanguine ac nomine inſignito Ignatiana ſoboles quam appoſitiſſime Religionis primitias Deo obtulit, vtpote quæ glorioſos Chriſto Martyres, Cœleſtibus trophæis decorandos eſſet paritura, ac præcipue ex Hiſpaniis oriundos, qui ad Indias & Iaponiam vſque ſanguinem pro Chriſto daturi, diuinamque legis Euangelicæ doctrinam promulgaturi contendêre; ſed inter cæteros primos Ignatij ſocios Xauerij potiſſimùm inſolita effulſit pietas, ingenſque Martyrij ardor, cui deinceps per tot labores, itinera, mortiſque innumera, quæ libenti animo adiuit, diſcrimina ſeſe exponere iam tum meditabatur.

Quapropter celeberrimus mons iſte Martyrum ſanguine conſecratus, tamque illuſtris Martyrum parentis Ignatianæ Societatis, eiuſque alumnorum votiuis toties primitiis nobilitatus, penes Gallos æterna dignissimus veneratione cenſetur; Verè *Mons Dei*! quem ſeruis ſuis veluti ampliſſimum certaturis, glorioſumque pro tuenda fide agonem conſummaturis theatrum ab ipſo mundi exordio præparauit! *Mons pinguis!* Fœcundo tot Chriſtianorum Athletarum ſanguinis imbre mirum in modum impinguatus, Mons, inquam, pinguis tot Sacrarum Olearum, iſtorum nempe Societatis Ieſu primorum Patrum illic tanquam in amœno virtutũ, oliueticoque paradiſo conſitarum nouellis vndique

Montis Martyrum Lutetiæ adiacentis laus.

Pſal. 67.

flo

floreſcens: *Mons coagulatus*, mons profecto incaſcatus propter vniuerſos Eccleſiæ fideles pugilum Chriſti in ipſius vertice cæſorum doctrinæ ſuauiſſimo lacte nutriendos, mons vber ad eoſdem ſpiritualium donorum excellentia roborandos, ditandoſque! *Mons* iterum *incaſcatus*, mons totus meritò lacteus, nam ex lacte fit caſeus, *miro modo ſignificat gratiam*, inquit Auguſt. *manat quippe ex abundantia viſcerum maternorum, & miſericordia delectabili paruulis gratis infunditur.* In hunc locum.

Numquid vero decem iſti Patres vberrimo diuinæ gratiæ ſuper hunc montem lacte paſti ſunt, numquid primitias illic ſpiritus acceperunt, cum primogenita ſua, nempe cor, animam, & corpus, ipſamque voluntatem in perpetuum ſui holocauſtum obtulêre; *Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo*; Non ſolum communi atque vniuerſali, quo cætera omnia loca replet modo, cum infinita ſuæ eſſentiæ plenitudine rerum omnium ſubſtantiam intime penetret, ſed ſpeciali, qua ſolos iuſtos ſibique familiares amicos honorat præſentia, copioſis gratiæ, quæ animæ vita dicitur, & eſt, muneribus, paternæque dilectionis ignibus, quibus ſacrum illud Pneuma feſto Deiparæ Aſſumptionis die terrenis omnibus vacua Ignatij eiuſque ſociorum corda repleuit: *Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo.*

Et ſi *vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo*, inquit Chriſtus, *ibi ſum in medio eorum*, quis, niſi pietatem omnem exuerit, fideque ipſa exciderit, Deum in monte Martyrum non habitare, mendaci blaſphemoque ore pronuntiet? in quo ampliſſimus ſacrarum Virginum chorus ſub fauſtis S. Benedicti regulæ vexillis militans vnanimi ſolitariæ, quam illic vltro profitentur vitæ conſenſu, pinguiſſimo diuinæ gratiæ, copioſiſſimoque virtutum ſuarum oleo, quod in vberis illius oliueti cacumine ſibi compararunt, colliguntque in dies, redundantibus ſacris animæ corporiſue lampadibus diuini ſponſi aduentum diu noctuque vigiles expectant: *Etenim Dominus habitabit in finem*: Nihil enim aliud ardentius concupiſcere, nihil vehementius ambire videtur ſuprema Dei Maieſtas, quam eſſe cum filiis hominum, ſed iuſtis, ſed Matth. 18. v. 19.

timoratis, ſed omnia optimi parentis præcepta adimplentibus; Ipſe in puris hominum cordibus, terrenarum affectu rerum purgatis, deſideriorumque alis, ſupra æternos colles ad contemplandam Dei faciem eleuatis placidiſſime requieſcit, cum eis conuerſatur familiariter, ipſis diuinorum pandit arcana myſteriorum, illic deliciatur, & tanquã Rex in proprio throno totã interioris domus potentiarũ multitudinem regit ac moderatur, ſed in finem, quantum in ipſo eſt,

S. Auguſtin. *Non enim ipſe deſerit, niſi prius deſeratur*; Eia igitur fidelis anima pinguem iſtum montem conſcende, præpara Sponſo cor tuum, etenim dilectus habitabit in eo Sponſus in finem:

Sed dum in ſupremo montis Martyrum vertice cœleſtibus paſcimur delitiis, illicque D. Petri in Thaboriaco ſorãs emicantis Chriſti gloriæ theatro extaſim patientis adinſtar, in dulci contemplationis otio ſuſpenſi nobis bonum hic eſſe aſſerimus, interruptum orationis noſtræ filum, omiſſaque non pauca Ignatij filiorum tùm Gallorum in Hiſpaniis, tùm Hiſpanorum in Galliis præclarę geſta non aduertimus; de monte, ſi lubet, in campum deſcendamus, & ecce primus Ignatij ſocius Petrus Faber nos ſuaui ipſius recte factorum odore delibutos in Ibericas ſecum prouincias rapit, in quas feliciter appulſus, feruentiſſimoque ſalutis animarum zelo ſuccenſus Cæſarauguſtam, Medinam, Seguntum, atque Complutum percurrit, quibus in locis tantum potentiſſimis religioſæ vitæ exemplis, diuinis item ſermonibus, nec non ſacræ eloquentiæ viribus tantos effecit motus animorum, vt non ſolum flagitioſiſſimi quique è vitiorum cœno emerſerint, ſed & pij quique viri ſuæ cæteroqui ſalutis vtcumque ſtudioſi ad perfectiorem vitæ degendæ rationem deſpectis omnibus terrenæ cupiditatis impedimentis aſpirarint.

Cum autem tantus vir in Germaniam à ſancto Parente delegatus ſylueſtres ac pene ferinos Aquilonarium regionum animos facundo diuini verbi eloquio, ſuauiſſimaque morum comitate, humilique agendi ratione cicuraret, ita vt ingentes ad eum audiendum populorum concurſus fierent; Tanti ſolis frigidas illas Septentrionis plagas tam beni-

gno

gno lumine colluſtrantis, tamque ardenti charitatis æſtu inflammantis radios, volante ad extremas vſque Hiſpaniarum oras Apoſtolici huiuſce viri fama, ſummopere expetiuit Luſitania; iuſtis ipſius votis libenter annuit Ignatius, Petrumque è Germania tanti Patris diſceſſum lugente quaſi per vim extractum illuc deſtinauit, vbi non modo in dilatanda per vrbes Societate, verum etiam in promouenda penes eam gentem optima morum diſciplina glorioſe deſudauit; Neque vero myſticus Sol iſte in conficiendo impoſiti ſibi à Chriſto Euangelici muneris curriculo vllatenus quieuit; in Caſtellam poſtea ſe contulit, in qua tam benigne à Philippo Rege, & Maria coniuge, tamque humaniter exceptus, vt omnem ſui adeundi copiam ipſi ad nutum facerent, & quidquid ab ipſis expeteret, promptis animis concederent; cuius etiam probata in rebus gerendis ſingulari prudentia, integritateque, Rex prudens ad grauiſſimas cauſas vti opera non dubitauit, in quo maximam omnibus ingerere ſolebat admirationem; imo cum Madritum Caroli filias inuiſurus acceſſiſſet, Toletumque percurriſſet, viſa principibus ac proceribus diuturnior grauiſſimi hominis abſentia, ipſi autem inde reuerſo ſeuere mandatum, ne à Curia inpoſterum diſcederet.

Interim dum Faber Valliſoletani fundamenta Collegij iacturus apud Philippum verſaretur, plures ex primariis aulæ viris ac Præſulibus ad renouandam ſpiritualium exercitiorum beneficio mentem, quod paulo ante horrere quodammodò videbantur, mira dexteritate perduxit, quorum exemplis cæteri ad melioris vitæ frugem excitati, in alios repente viros magno aulæ miraculo ſimul & profectu commutati euaſêre, adeo vt ex iis non pauci aliud deinceps, ſecuriuſue ſalutis iter ingredi ſtatuerint; Plura ſunt, quæ Faber in Hiſpanicis regionibus animarum ſaluti percommoda geſſit: Hæc autem ſeligere placuit, vt primi iſtius Ignatij filij virtus ab Iberis maxime prædicata eluceſcat.

Hoc vnum obiter animaduertendũ, quod Lectoris animũ in admirationem merito rapiat, Ignatium ſcilicet natione

Hiſpanum primos ſui inſtituti ſectatores Pariſiis Galliæ centro eligere, ibique cunctos vnanimi conſenſu perfectiorem viuendi normam votorum nuncupatione Deo polliceri; mox virum ex Galliis oriundum in Hiſpanias poſthabitis Iberis commilitonibus ab eodem directum, eumque extraneum licet illic degentem ab indigenis benigniſſime exceptum, atque ab ipſiſmet Regibus ſummis ornatum muneribus, ſub quorum patrocinio, paternaque in ſe Principum fretus beneuolentia, fundandæ in iis regnis Societati intentus, publicæque vtilitatis promouendæ ſtudioſiſſimus, innumeros ab illis oris gloriæ & honoris fructus reportauit.

Quis igitur veterem Iberos inter ac Gallos conſuetudinem vtrique populo ſemper admodùm ſalutarem extitiſſe inficiari audeat? Cum noua hæc Ignatij familia, vltima hac ætate, in maximum Eccleſiæ Fideliumque exorta commodum, in mutua Sancti Patris genere Hiſpani cum Francis, Gallique primi eiuſdem Fundatoris alumni cum Hiſpanis communione ac beneuolentia profundas ac ſtabiles breui temporis interuallo radices egerit; Sin autem vnanimis huiuſmodi vtriuſque nationis conſenſus, in ipſis Societatis incunabulis, ipſoque in limine tantum eluxit, quò ſplendidiùs excreſcente vſque ad meridiem luce, atque ad ipſos extremi Orientis fines ſui luminis radios diffundente citatiſſimo curſu emicuiſſe credendum eſt.

Alph. Salmeron. Hiſp. S. Ignat. filij Laudes, & magni in Gall. pro bono animarum labores.

Hoc ipſum Alphonſus Salmeron natione Hiſpanus, patria Toletanus, Ignatij ſociorum natu minimus ſuo mirifice comprobauit exemplo, qui poſtquam in Complutenſi academia paruulus Latinam Græcamque linguam exacte didiciſſet, inde in Pariſienſem Scholam profectus Philoſophicas ac Theologicas diſciplinas diligenter excoluit, omniumque poſtremus ſeſe fidum S. Ignatio comitem adiunxit: poſtea vero ætate iam confirmatus, ac rerum cognitione auctus, vitæ ſuæ curſum feliciſſime tenuit: maximas ac celeberrimas totius Italiæ ciuitates concionibus ac ſacris lectionibus illuſtrauit; in Galliam à ſummis Pontificibus miſſus, Hæreticorum perpetuus hoſtis ipſos diſputationibus,

bus, lectionibus, ac scriptis semper exagitauit, fregitque, vnde Catholicæ fidei acerrimus vbique propugnator multos à recta salutis semita aberrantes ad securum Catholicæ fidei tramitem, optimamque Christianorum morum disciplinam traduxit.

Neque degener vnquam tanto parente filius, in promouenda Dei gloria, proximisque è periculosissimo tempestatumque procellis infami mundanæ contagionis Oceano in optatum cœli portum introducendis vllatenùs quieuit, nam præter quam quod totam ipse vitam in glorioſis pro Dei Ecclesia laboribus, puta solemnibus in superiorem, inferioremque Germaniam, Poloniam item & Galliam missionibus, necnon impositò sibi à Christi Vicario Apostolici in Hybernia Nuntij munere consumpsit, ac Tridentinæ Synodo sub Paulo III. Iulio item III. ac Pio IV. Sedis Apostolicæ nomine interfuit, in qua & orationem habuit de S. Ioanne Euangelistâ pereruditam, atque vt illorum Pontificum Theologus maxima cum eruditionis opinione, & audientium admiratione sententias dixit, quod ipse tandem per seipsum præstare non potuit, hoc glorioso deinceps exitu labentibus post se sæculis succedentium ipsius feruentis spiritus heredum, eiusdemque sectatorum instituti laboribus perficere meruit.

Enimvero de spirituali, mysticaue ipsum præcedente Societatis petra copiosos ac prorsus igneos Ignatiano è pectore scaturientes aquæ viuæ hauserat latices, cũque optimum Parentem Ignatium de Loyola ILLATVM A DEO IGNEM intelligeret, quid aliud tanti patris exemplo voluit, nisi vt per totum orbem accenderetur? Quamobrem in Gallias ab eodem destinatus multas Societatis, cui nomen dederat, ordinatas instruxit acies, Collegia nempe, domosque fauente principum consensu ac munificentia constituxit, in quibus formidabiles cunctis aëreis potestatibus sociorum turmas apte dispositit, quarũ laboribus, vigiliis, singularibus linguæ, calamique sudoribus, assiduisque precationum sagittis cum infensissimo animarum hoste consertis prœliis immortales in cœlo palmas sibi comparauit: has quippe celeberrimas

S. Ignatius de Loyola sic in Anagrammate sonat.

etiamnum prædicant victorias tria potiſſimum fundata eius ſtudio ac labore Seminaria, Billonēſe in Aruernia, Pariſinum Lutetiæ, poſtremum Virdunenſe in Lotharingia, è quibus tot tamque illuſtres diuturno ſtudiorum vſu formati Athletæ caſtra verterunt exterorum, impiiſſimos ac nequiſſimos populorum tyrannos, eruptos inferni latebris dæmones terga dare coëgerunt, totque fideliū animas Theandrico pretio emptas ſuauiſſimo ac legitimo Chriſti imperio reſtituere.

Quas igitur dignas, ô Gallia, grates tanto viro Ignatij alumno referes? Quas Hiſpanæ cæteroqui propagini amoris beneficiorumque vices rependere poteris? ſi enim centum ab hinc annis tanta eruditorum virorum multitudine floruiſti, cui inter cæteros gratiam meritò referas? niſi Alfonſo, quem Toleti in ipſa Hiſpaniarum Metropoli natū diuina tuo ſplendori augendo deſtinauit prouidentia, cumque tanta ex eius familiari in ſinu tuo congreſſu, continuiſve laboribus commoda in omnes filiorum tuorum ordines promanarint, quid reſtat, niſi vt eiuſdem Societatis, quam ad fouendam pietatem, ſcientiarumque decorem in gremio tuo erexit, filios tanti parentis virtutum ſectatores, perenniſque pro ſalute animarum laboris æmulos toto cordis affectu complecti, regia tueri potentia, frequentibus denique memoris beneuolentiæ officiis proſequi non omittas.

Ioan. Maldonat. Hiſp. Soc Ieſu Pariſiis Caluiniſm. impugnauit.

Quid de Ioanne Maldonato natione item Hiſpano clariſſimo eiuſdem Societatis alumno referam? Ecquis ingentes, quos Galliæ peperit, laborum ſuorum fructus ſatis digne explicare queat? Dum enim Collegij Pariſienſis ſcholæ primum aperirentur, ſingulari Dei conſilio, inſtinctuque Lutetiam miſſus eſt Anno 1563. ſuperſtite etiam tum Caluino, vt magnis eloquētiæ, ingenij doctrinæ, viribus exultantem & quaſi triumphantem, paucis adhuc reſiſtentibus, Caluiniſmum reprimeret: Igitur primus ille ſociorum ex illa celebri Pariſienſis Academiæ ſpecula bellicum cecinit, in campum deſcendit, in aciem prodiit, manumque cum hoſte conſeruit: Ibi Philoſophiam primum, ac deinde totos 10. Annos Theologiam profeſſus eſt magna celebritate, ingentique auditorum concurſu fructuque, vt vox ipſius ex illo

Miro audit. concurſu Philoſoph. & Theolog. docuit.

cele

celebri theatro per vniuersam Galliam quam latissime exaudiretur,& vix doctus esset quispiam Episcopus, Abbas, Concionator, Parochus, qui non ad eius scholam ventitaret, ne ipsi quidem Caluinistæ, eorumque Ministri ipsius prælectionibus abstinerent: duabus quotidie, tribusve horis antè subsellia certatim implebant, quàm ludum ille ingrederetur, ne excluderentur.

Sæpius autem in aperto, atque adeo in viis publicis docere coactus est ob multitudinem auditorum, quos nullæ Exedræ capiebant, frementibus hæreticis, obstupescentibus Catholicis: Pictauium deinde vna cum IX. sociis missus, Lectiones ibi latinas, Conciones Gallicas habuit, sed cum sedem non posset figere, compressis in disputatione Sectariis regressus est: Excurrit & in Lotharingiam, eaque occasione rursum ad Sedanum cum hæreticis congressus est: Cum ergo in iis se locis versari videret, vbi hæreses vigerent plurimum, variique errores in dies increbrescerent, priscos illos, sanctosque Patres imitatus, in id maxime docendo incubuit, vt Lutheri, Zuinglij, Caluini, aliorumque huius sæculi hæreticorum nefariam & sceleratam doctrinam conuelleret, veram & orthodoxam fidem corroboraret; in quo sane profecit plurimùm, nam ex eius schola prodierunt viri eruditi quamplurimi,& vix quisquam postea fuit in Gallia, qui cum eius auditor esse non potuisset, quæ in scholis dictauerat, sibi domi descripta non haberet.

In tanto populorum plausu variis ab hostibus calumniis appetitus,& à nonnullis Lutetiæ zelo præpostero hæresis est accersitus; verùm ab hac eum iniuria Petrus Gondius Parisiensis Episc. Greg. XIII. auctoritate publico Decreto vindicauit; Et quamuis sic eius innocentia publice satis testata foret, satius tamẽ fore putauit, si paucorũ æmulationi cederet, lucemque illã hominum fugeret,& non suo tantũ sæculo sed futuris etiã scribẽdo seruiret; quamobrẽ in Collegio Biturico abditus, totũ se ad Sacræ Scripturæ expositionẽ conuertit.

Virtus in Maldonato fuit tã eximia, vt sit potius sanctitas appellanda; magna in eo rerũ humanarũ despicientia, magna laudis & auræ popularis contemptio; humilitas & modestia

incre

incredibilis, vt tam doctus doctum ſe neſciret, tam in ore hominum poſitus, homines ſperneret; tam apud Principes, primarioſq; Præſules carus & honoratus, vt homo externus à ſereniſſimo Lotharingiæ Duce, imo ab ipſo Rege Gallorum Carolo ad conciones in domo regia adhibitus, maiorem in modum eorum aditum, conſpectumque declinaret: Tandem ipſe à Gregorio XIII. Pont. Max. è Gallia in Vrbem accerſitus, vt ad editionem græcam LXX. Interpretum operam ſuam præſtaret, non diu Romæ ſuperſtes fuit, nam abſoluta in quatuor Euangelia Commentarij lucubratione, acerrimus eum dolor inceſſit, quo in dies magis magiſque inualeſcente, tandem priorum laborum præmia à Deo conſecutus ceſſit è vita.

Te Te felicem, ô Gallia, tanti viri præſentia, Te beatam dixerim Hiſpani huius pro Fidei tuæ integritate conſeruanda egregie decertantis ſudoribus, te beatiſſimam tot litteratorum hominum Magiſtro libenter prædicarim, ſiquidem mira ipſius eruditione, raraque ingenij ſubtilitate Caluinianam hæreſim ſi non penitùs extinxiſti, ſaltem minuiſti, inſoleſcentem nimium, Catholiciſque inſultantem compreſſiſti: viuet viuet in filiorum tuorum iugi memoria tanti viri ſapientia, virtuſque ſingularis, quam ſat dignis numquam laudibus extuleris, cui vt aliqua grati animi ſignificatione aliquo modo reſpondere poſſis, tantum in parente filium ſemper veneraberis, tamque rebus tuis commodiſue intentum Societatis IESV alumnum, in colendis ac memori beneuolentia complectendis tanti viri ſanctitatis heredibus, ſucceſſoribuſque ea, qua par eſt, reuerentia proſequeris.

De nonnullis aliis inſignibus Societatis patribus ex Hiſpania oriundis, qui Gallias doctrina fideique zelo illuſtrarunt ſupra meminimus; Plures alios deinceps illuc deſtinatos referre nimis longum eſſet: Glorietur interim Gallia tres primos Societatis præpoſitos Generales ex Hiſpania genitos in ſuo nonnumquam ſinu excepiſſe: de S. Ignatio, ac Iacobo Laynes pauca quædam ſuperiùs à nobis delibata ſunt: Franciſcum vero Borgiam præclariſſimum inclytæ

tæ Hiſpaniarum familiæ decus, tertio poſt Ignatium loco ſuffectum in Gallias Pij V. Pont. Max. iuſſu vna cum Cardinale Alexandrino profectum apud omnes in comperto eſt: Et hæc interim de Ignatij Societate quoad noſtrum inſtitutum dicta ſufficiant, vt ex mutuo vtriuſque nationis commercio in naſcentis Ordinis exordio feliciter inchoato, potiora in dies eiuſdem incrementa, ad ambarum nationum, totiuſque fere orbis emolumentum inde promanata clarius percipiamus:

Denique ſpectandum nobis ſeſe præbet alter ex Hiſpania florẽtiſſimus ordo, cuius reformationem S. Tereſiæ Hiſpaniarum non modo inter fœminas, ſed & inter viros præcipua gloria diuino excitata monito primùm promouit: de qua ita Gregorius XV. in Bulla Canonizationis: *Opus aggreſſa eſt maxime quidem & cuicumque difficillimum, ſed Eccleſiæ Chriſti per quã vtile, ac proficuum, reformationem enim exorſa eſt Ordinis Carmelitani, illudque non ſolum in mulieribus, ſed & in viris egregie præſtitit, nec modo omnibus humanis deſtituta auxiliis, ſed aduerſantibus plerumque ac contradicentibus Principibus, & poteſtatibus ſæculi; quæ tamen Domino opus ſuum confirmante, radices miſerunt, incrementum ſuſceperunt, & demùm in domo Dei vberes prouentus fructificauerunt*:

Mollium igitur ac humiliũ plantarum, quæ ſub tantæ matris magiſterio ſtrictioris obſeruantiæ diſciplina in Hiſpanicis oris effloreſcebant, præclara virtus, admirandaque pietas Gallorum mentes adeo allexit, vt Petrus Cardinalis Berullus Hiſpanias adierit, (cum adhuc in minoribus eſſet cõſtitutus) atque Tereſianas Sanctimoniales duas ipſius S. Tereſiæ Collegas Annam à Iesv, & Annam à S. Bartholomæo, nec non Elizabetham ab Angelis, Beatricem à Conceptione, & Leonoram à S. Bernardo Hiſpanici ſoli propagines, magna difficultatum mole ſuperata in Galliam adduxerit: In eo itinere procellis in mari iactatus ſoluſq; in rupem eiectus diuina ope liberatus tandẽ portum tenuit; Lutetiæque Carmeli Virginũ monaſterij ſequenti anno iacta ſunt fundamãta, tã proſpero ſtrictioris licet obſeruãtiæ ſucceſſu, vt ex hoc tanquã fœcundiſſimo fõte quadraginta alia Cœnobia ante ipſius obitũ pro-

dierint, quæ per Gallias ſparſa mirum virtutis odorem circumquaque diffuderunt:

Gloriemini igitur auguſtiſſima Galliarũ Hiſpaniarumque regna tot clariſſimis Religioſorum Cœtuum Familiis illuſtrata, quarum veſtræ pulcherrima diuerſitate regiones diſtinctæ ſingulis quibuſque ſæculis mirùm quantùm floruêre, & florebunt magis in dies, modo beatos illos Sanctorum Conciues, Deique domeſticos ea, qua par eſt, veneratione ſtudioque proſequamini: Et certe *Caſtra Dei ſunt hæc*; quæ Diuinum Numen in populorum ſecuritatem, & munitiſſimam contra aëreas poteſtates defenſionem ordinauit; Nunquid ſacra tot Religioſorum agmina, tot Chriſtianæ militiæ phalanges ſub Chriſti in magni illius quondam Ioſue Hebræi populi Ducis perſona adumbrati vexillis Hierichontinos, id eſt inſanæ confuſionis ciuibus refertos ſpiritualium tubarum nempe orationum ſonoro clangore muros expugnant? Nunquid fortiſſimi item Gedeonis, eiuſque trecentorum militum exemplo teſtas diuino charitatis lumine, ignéque plenas in manibus portantes, Madianitarum, id eſt dæmonum, noſtræ ruinam animæ ſemper meditantium, dexteræ Dei gladio muniti innumeras cohortes in fugam vertunt, vbi ſonora precum tuba ſonare cœperint? Ecquid in poſterum ſub tot & tantis Cuſtodibus timeatis? Hi nimirum pro veſtra incolumitate diu noctuque vigilant, & tanquam fortes Pacifici Salomonis, vtriuſque ſcilicet veſtri Regis lectum ambiunt, perennesque propter timores nocturnos agunt excubias; Neque vero tantam Seruorum Dei multitudinem, diuinis obſequiis conſecratam, inanem veluti ignauorum turbam, ac Reipublicæ inutile pondus vobis oneri eſſe, vti rudis atque ignara plebs murmurare ſolet, arbitremini; nam præter quàm quod altarium miniſtros, ex diuinæ legis præſcripto, de altari etiam viuere conuenit, nemini mirum videri debet, ſi qui vobis ſpiritualia, nempe feruentiſſimas ad Deum preces, ſana in rebus arduis conſilia, totque ſpiritualis vitæ adiumẽta ſeminant, diſperguntque temporalia veſtra ſuſtentandis corporibus metant; Nullum præterea tum animi, tum corporis laborem omittunt,

Ioſue 6.

Iudicum 7.

tunt, quominus perfecta sacrarum scientiarum cognitione, pertinaces hæreticos argutis rationum momentis conuictos ad meliorem frugem reuocent, Christianos in diuinis exercitationibus tepescentes, mira exemplorum efficacia, igneisque vocis hortationibus ad maiorem Dei amorem inflamment, tot miserorum greges in peccatorum cœno ac puluere sordescentes quacumque tandem ratione purgatos, ac luctuoso vitiorum ergastulo tandem eductos, vera ac solida filiorum Dei donent libertate, qua nihil pretiosius, nihil optabilius, nihil denique excellentius in hac mortali vita possidere quis possit: Hos igitur Tutelares vtriusque regni Angelos, perpetuosque bonorum omnium fontes, ac strenuos conseruatores fouere, tueri, modisque omnibus iuuare, studio complecti, debitaque, vt amantissimos Dei seruos decet, veneratione prosequi non desinatis, quo sanctissimis ipsorum precibus stabilitam nuper inter vos pacem veræ felicitatis matrem tutam atque incolumem diù conseruare possitis.

Feruentiſſimus in Hiſpania erga ſacras Sanctorum Galliæ exuuias, atque in Francia erga Hiſpanorum Beatorum Reliquias cultus.

CAPVT OCTAVVM.

SAtis ſuperque de pluribus ex Hiſpania oriundis Præſulibus, cæteriſque pietate inſignibus viris ac Religioſorum Cœtuum luminibus diuerſas Galliarum prouincias miræ eruditionis, ſanctimoniæque fulgore colluſtrantibus, necnon de clariſſimis Francica ortis propagine hominibus penes Iberos rem Chriſtianam, Eccleſiaſticamque diſciplinam ſtrenue promouentibus fuſiori ſtylo diſſeruimus; vnde mutua amborum Regnorum in fide ac pietate incrementa ex alterna vtriuſque gentis conſuetudine potiſſimum emanata ingenti mentis oblectatione contemplati ſumus: *Sed quia Sanctorum hominum poteſtatem non vnà cum ipſis demortuis humus ſepeliuit*, vt recte aiebat Baſilius Seleucienſis, hinc fit vt per ſuorum corporum exuuias, quas viri ſanctitate conſpicui ſeu Galli in Hiſpaniis, ſeu Iberi in Francia poſt glorioſum agonem Chriſtiana morte coronatum reliquêre, vtrique nationi plurima præſtare non deſinant emolumenta, ex quo mutua inter ambos populos ſocietatis in huiuſmodi Sanctorum communione maxime fundata mirum in modum excreuit:

Orat. 38.

Nec eſt quod hîc à recto fidei tramite Segreges, atque impij Nouatores ob legitimam Sanctarum Reliquiarum veneration nobis obganniant, nitanturque modis quibus poſſunt, vt populis perſuadeant, nos pro Deo viuente mortuos homines, pro ſummo & ſempiterno ſpiritu oſſa & cineres, ligna & lapides colere; nam præterquàmquod vetus eſt calumnia

lumnia Iudæorum, Samaritanorum, Ethnicorum, aliorumque infidelium, qui dudum Christianos onerabant, & ex cuius persuasione Martyrum corpora flammis absumere, fluctibusque demergere curabant, ne, vt aiebant, à Christianis collecta eorum ossa cultu diuinitatis obseruarentur, sicut in Coronis Prudentij [a] passim legitur, & in Actis passionis S. Polycarpi apud [b] Eusebium; atque agonibus quos idem recenset Martyrum Lugdunensium ac Viennensium, quorum corpora flammis persecutores tradidere, & quicquid à rogo superesse potuit, in Rhodanum [c], ne tantilla ex illis portiuncula Christiani potirentur, cœco furore proiecêre;

[a] Hymn. 5. & 7 &c.
[b] Hist. Eccl. l. 4. c. 15.
[c] Idem l. 5. c. 1. & l. 8. cap. 6.

Hanc, inquam, deplorabilem hac errantium in re insaniam ex Scripturis, Patribus, & ratione Theologica, ex ritus item huius Christiani coæua Religioni Euangelicæ antiquitate, ex gentis vtriusque perpetuo, susceptoque cum Christiano cultu inuiolabili more, ex Regum Christianissimorum, Catholicorumque perpeti in Sanctorum pignora veneratione, vtriusque tandem regni intima, patentique etiam tot magnificis & vbique conspicuis monimentis contestatione reprimere ac penitùs conuincere possemus; nihilominùs cum proprius hîc non sit concertationis locus, solum S. Ambrosij replicare operæ pretium censeo insigne, atque ad rem præsentem aptissimum documentum, expressum sermone eius 92, qui inscriptus est de SS. Nazario & Celso, qui Gebennensi ciuitati nunc tanti beneficij ingratæ primum pridem fidei lumen inuexerunt: *Magni periculi res est*, inquit, *si post prophetarum oracula, post Apostolorum testimonia, post Martyrum vulnera veterum fidem quasi nouellam discutere præsumas, & post tam manifestos duces disputatione contendas; veneremur ergo in sanctorum Martyrum gloria fidem nostram:* Quæ enim de fide Christiana in vniuersum monet, ea ad Catholicam doctrinam de sanctorum in suis Reliquiis veneratione non incongrue referimus;

Sole clarius ac euidentius est Deum sanctos suos mirificasse, cunctis non modo ad gloriam supernam ac æternam puris eorum spiritibus, sed corporibus etiam quæ exuerunt,

ctorum Reliquiis nunc dicere aggrediamur: Cum Raymundus Toletanæ Sedis antistes ad Concilium apud Remos celebrandum Eugenij Sum. Pont. temporibus cum aliis multis Episcopis in Gallias concessisset, Parisiis ad S. Dionysij Ecclesiam orandi gratia diuertit; in ea vero celeberrima æde sepulchrum inuenit, quod apud gentem nostram magnæ venerationi habetur, in quo ex eius inscriptione B. Eugenij Toletani Archiepiscopi corpus humatum esse intellexit; (iam alibi Eugenium Parisios aduenisse, vt Dionysium optimum magistrum inuiseret, ibique vita functum annotauimus) Ex tunc Beatissimi Eugenij Reliquias ad suam transferre sedem Toletum animo concepit, idque Regi ac proceribus in Hispanias reuersus significauit. *Anno 1148. Surius 15. Nouemb.*

Post aliquos annos Ludouico Galliarum Rege Toleti commorante, D. Eugenij Primi Toletani Archiepiscopi mentio incidit; quare Hispani summis votis à Rege expetiêre, vt sacra pignora ad eos transmitterentur: Graue id Francis videbatur, impetratum tamen vt pars mitteretur, quod Ludouicus in patriam reuersus cumulate præstitit, eius Cœnobij Abbate ad socerum legato cum dextro Martyris brachio; Alfonsus igitur ac filij Reges, proceres, populus, ac Deo sacrati viri Toletum appropinquanti obuiam cum superpelliciis processere, Imperatoreque, & vtroque filio succollantibus techa ad Templum maximum delata, atque in sacrum illata ærarium fuit. *Anno 1155. Marian. l. 11. cap. 3.*

Porro Philippus II. Hispaniarum atque Indiarum Monarcha cum Toletanam vrbem singularibus gratiam priuilegiis, muneribusque cumulare percuperet, necnon eiusdem Primatem totis viribus honorare, eiusque venerationem augere satageret, vt eadem Toletana Ecclesia totius sacri corporis pignoribus locupletaretur, summis votis exoptauit; quamobrem Carolum IX. Christianissimum Galliæ Regem, litteris sæpiùs ad suum Oratorem repetitis enixe rogauit, vt S. Eugenij exuuias sibi concedere dignaretur: Annuit Christianissimus, ac Reinato Baillet suo Consil'ario, ac Parlamentariæ Parisiensis Curiæ Præsidi, vt ex San Dionysiano Monasterio corpus extraheret, prouinciam dedit: *Anno 1556.*

Delibe

Delibemus paululum, ſi lubet, Caroli verba intimam ipſius erga Hiſpanum Monarcham neceſſitudinem, beneuolentiamque exprimentia: *Cum chariſſimus & dilectiſſimus nobis, optimuſque frater Hiſpaniarum Rex Catholicus per ſuum Legatum qui apud nos eſt, litteris ſignificaſſet, quanto ſtudio teneretur corporis S. Eugenij recuperandi, quod in æde D. Dionyſij quieſcit, vt in Toletana Eccleſia collocaretur, cuius ſupradictus S. Eugenius & Patronus & Archiepiſcopus olim fuit: Vellemus autem illi non ſolum in hac re, verum etiam alijs in rebus concedere, & gratificari, quemadmodum vera amicitia requirit, & fœdus quod inter nos intercedit: ob has rationes & cauſas nos ſupradictas reliquias illi ſumus polliciti; Committimus igitur, & iubemus tibi*, &c.

Martyrol. Hiſp. 18. Nouemb.

Petitum vero fuit ab Hiſpano Oratore, vt quamprimùm S. Quintini caput Gallicanæ Eccleſiæ reſtitui curaret: Anno igitur milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto Catholicus Rex, filius Princeps, & duo fratres, Rodulphus & Erneſtus nepotes lectica ſuper humeros impoſita, ſacram ſarcinam per longum iter detulêre; quouſque alij proceres illam aſſumentes in Cathedrali Baſilica collocarunt: Animaduerte mecum, Lector, quanta huiuſce Tranſlationis occaſione, mutuæ inter ambos Reges conſuetudinis, amicitiæque ſtudia refulſerint, adeo vt Antonius de Sanſaco tunc Burdegalenſis Antiſtes, qui ſanctiſſimarum Martyris exuuiarum conceſſioni interfuit, in ſuis litteris ita teſtatum reliquerit: *Corpus B. Eugenij antedicto tradere iuſſit D. Petro Manrique Preſbytero & Canonico Toletano, vt illud ad dictum Hiſpaniarum Regem perferret, arctiſſimæ inter eos beneuolentiæ, affinitatis amantiſſimæ, ſacroſanctiq; etiam fœderis initi chariſſimum pignus, & certiſſimum indicium:* Poteratne vnquam gratiſſima auguſtiſſimos inter Principes conſuetudo, intimaque beneuolentia accommodatiori ad noſtrum inſtitutum ſtylo deſcribi?

Gloriantur merito Galli, quod inclyti Martyris & Leuitæ Vincentij exuuiis ſint inſigniti; Audaldum enim quendam referunt Sacerdotem Aquitanum, & monachum aſceterij Conkittæ ſacratiſſimum glorioſi huius Athletæ corpus extra

vrbem

vrbem Valentiæ in Hiſpania ſub ædiculæ à Sarracenis dirutæ ruderibus iacens repertum iuſſu & reuelatione diuina in Galliam Aquitanicam feliciter aduexiſſe, quod multis coruſcantibus ſignis & prodigiis, quibus claudi erecti, dæmoniaci erepti, infirmi plerique ſunt ſanati, primum in Eccleſia ipſi Martyri ſacra extra muros Carcaſſonenſes poſitum eſt; deinde Toloſam ob crudelem Danorum perſecutionem delatum, ſuſcipiente multo cum pietatis obſequio Elicazare Epiſcopo, aſſiſtente clero, & populo confluente, quibus Martyris vultus pro munere magnifice illuxit: poſtmodum ad pagum Albienſem, qui Caſtrum dicitur, reuectum, in Cœnobitica ipſius Martyris Eccleſia collocatum eſt, vbi pretioſæ adeo gemmæ perennis ſplendor rutilans, & ingens templo decus, & alumnis Religioſæ domus ſanctam lætitiam, & deuotis clientibus Beati Tutelaris multiplicem opitulationem præſtitit, ſicut Aimoinus Monachus pridem luculenta deſcriptione narrauit, quam de Tranſlatione S. Vincentij prænotatam direxit ad Bernonem Abbatem Cœnobij Caſtrenſis (tum in Præſulatu Albienſi) Monachoſque Benedictinos ibi ſub eo degentes.

Verùm quia recentiſſimus Hiſpani Hagiologij illuſtrator ex Valentia non Hiſpani, ſed Agennenſis Vincentij Martyris reliquias ab Eudaldo ſiue Audaldo Monacho Caſtrum in Aquitania tranſlatas pluribus argumentis probare contendit, ex hoc potiſſimùm Hellecæ carmine ad Vincentium Agennenſem. Martyrol. Hiſpan. 15. Septemb.

Poſt cineres te Præſul amans quoque Murila vectat,
Ipſe Valentinus ad ſua tecta vigil.
Tandem te ad patrios reuocat voluentibus annis
Audaldus gaudens iuſſus & ipſe lares.

Hanc ob cauſam nos omiſſis iis quæ dubia ſunt, ad certiora, Gregorij Turonenſis auctoritatem ſecuti, orationem conuertimus: Cum Childebertus Francorum Rex Cæſarauguſtanam ciuitatem circumdando obſideret, (vt Crotildis ſororis ab Amalarico male habitæ vindicaret iniuriã, vt ſuprà dictum eſt) populus qui ibidem obſeſſus tenebatur, indutus cilicio, aſperſis cinere capitibus in tanta humilitate ad Deum Hiſt. Franc. l. 36. cap. 28. Cap. 2.

conuerſus eſt, vt cum tunica Beatiſſimi Vincentij Martyris muros ciuitatis pſallendo circumirent : Rex certior factus de populi pietate, non de maleficio, vt arbitrabatur, vocauit ruſticum vt adiret Epiſcopum ciuitatis, à quo petiuit, vt ei reliquias B. Vincentij daret, at ille dedit ei ſtolam eiuſdem Sancti.]

Quam glorioſe felicibus hiſce onuſtus ſpoliis Childebertus in Franciam remeauit, longè profectò glorioſior quam ſi ampliſſima quædam de hoſtibus trophæa reportaſſet, quæ ad ſæcularem vanamque duntaxat apud homines pompam deſeruire ſolent, & nulla egentibus commoda, nullas laborantibus ſuppetias, nullam ægris ſalutem, nullum de vita periclitantibus ſubſidium conferre poſſunt; pretioſa vero Sancti Leuitæ Vincentij faſcia diuinæ virtutis impreſſione munita gemmeis Imperatorum torquibus ac paludamentis, regiaque purpura egenis quibuſdam, vt ita dicam, elementis omni virtute deſtitutis infinitis partibus ſuperior, (Apoſtolica veluti quondam ſtrophia morbidis impoſita, perfectam confeſtim reſtituebant ſanitatem) omnis generis morbos curat, magnaque humanas ſuper vires prodigia operatur.

Martyrol. Gall. 18. Martij. Etenim ſi ſolo Guntramni Regis veſtimenti fimbriæ contactu puer à febre quartana liberatus fuit; Si Leobinus puellam, quam Dæmon exagitabat, vi pariter fimbriæ veſtis quam illa attrectauit, meritis eius confiſa, liberam ac ſanam dimiſit : ſi S. Memmius Catalaunenſium Apoſtolus accepta fimbriæ veſtis S. Petri particula, mortui ſocij Domitiani cadauer, fuſa ad Chriſtum oratione, & fimbriam ipſius Apoſtoli applicatione reanimauit, defunctumque ad vitam, ſoſpitatemque integram reuocauit, quantæ demùm virtutis, & quàm efficacis potentiæ S. Leuitæ ſtolam fuiſſe arbitremur, quam præſentem veluti perpetuamque S. Martyris in Gallos amoris, iugiſque ſubſidij teſſeram piiſſimus Rex oſtentare poterat?

15. Sept.

5. Aug.

Enimverò Chriſtianiſſimus Rex ſacrum illud pignus collo appendens meritò gloriari poterat, quemadmodum famoſus olim Cœnobiarcharum parens Antonius palmari

Ere

Eremitarum principis Pauli tunica veſtitus ita ſe beatum prædicabat, vt nonniſi ſolemnibus maiorum anni Feſtorum diebus veſtem adeo pretioſam, ſacriſque Angeli carne veſtiti membris ſanctificatam ſumeret, eamque ſuperbis quibuſque Regum ac Principum ornamentis anteponeret. S. Athan. in vita S. Anc.

Sin autem pluribus Sanctorum ex Hiſpaniis corporum pignoribus Gallicana ſe ditatam prædicat Eccleſia, non minus Iberi ſuas ædes Sacras Gallorum Sanctorum exuuiis nobilitare exambierunt; Sidonij, inter alios plures, Apollinaris præclariſſimi Aruernorum Præſulis, ſummique Eccleſiæ Gallicanæ decoris præcipuam reliquiarum partem penes ſe aſſeruari Iberi gloriantur, quam Braccaram Galloecíæ Metropolim tranſlatam fuiſſe affirmant, vti ex antiquorum, recentiorumve teſtimonio patet, necnon ex miraculis, quæ quotidie paſſim Sacrarum Reliquiarum contactu incolæ experiuntur; cui conſonat vetus carmen. Martyrol. Hiſpan. 23. Aug.

Braccaris emiſit Sacras Aruerna Sidoni
Præſulis exuuias, quas veneratur amans.
Tranſtulit illa Pius Caſtinus pignora Præſul,
Ipſe per Aruernos dum venit vltrò Lares:

Hinc colliges quis fuerit, qui ſacra pignora detulit, Caſtinus ſcilicet Epiſcopus Braccarenſis, qui in Epiſcopatu vixit ab anno 494. ad ann. Dñi 524. vt ex Iuliano Tolet. conſtat.

Quam vtile vero fuerit hunc Hiſpanum Antiſtitem in Gallias aduenisſe quis non videt? Cum tanti Præſulis Reliquiis inde tranſlatis Hiſpanias ditauerit? Hæ nimirum veræ & propriæ ciuitatum diuitiæ Sacra piorum ſcilicet virorum Lipſana cenſendæ ſunt, ſi enim vetus illa Troia decennali Græcorum obſidione, ſuoque excidio apud Mantuanũ Poëtam celeberrima, ſe ſuo Palladio tot annis religioſe conſeruato munitam, immortalem, nec vllis quorumuis hoſtium conatibus expugnandam arbitrata eſt, illãque ſola fabuloſæ Mineruæ imaginis iactura Externorum inſultibus ruinæque obnoxiam idem Poëta commentus eſt, quanto figuræ ipſa res figurata, mendacio, fictionique veritas ipſa antecellit, tanto pietate, ſanctitatiſque fama inſigniũ virorum corpora in pretioſis recondita ſcriniis, ſũmaq; populorũ veneratione In Chron. Anno 494. n. 258.

aſſeruata fictitio illi Palladio anteponenda videntur, quæ quidem Cœli annuente clementia, ciuitatum ac prouinciarum, Regnorumque tutiſſima propugnacula extitêre, quod ex Sanctorum Faſtis paſſim colligitur, eoſque voluenti quamprimùm tanto occurrunt numero, vt pertinaciſſimi quique ſacrorum pignorum aduerſarij tam inaudita prodigiorum nouitate ad oculum conuicti cum Pſalmiſta cogantur exclamare: *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis.*

Quid de ſanctiſſimo Galliarum Rege Ludouico huius nominis IX. referam? qui ſanctæ Primati Toletanæ Eccleſiæ ita addictus fuit, vt illam quamplurimis, quas ſecum è Conſtantinopoli aduehendas in Galliam curauit, Reliquiis nobilitarit, vt ex Epiſtola ad Capitulum Toletanum à tanto Rege directa liquet, quam Blaſius Ortiſius Canonicus Toletanus, & eiuſdem Diœceſis Vicarius Generalis refert, quamque hic ſubiicere placet.

In Templ. Tolet. c. 25. fol. 63. & Martyrol. Hiſp. 25. Auguſt.

LVDOVICVS *Dei gratia Francorum Rex Dilectis ſuis in Chriſto Canonicis, & vniuerſo Clero Eccleſiæ Toletanæ ſalutem, & dilectionem: Eccleſiam veſtram volentes xenio pretioſi muneris inſignire, per dilectum noſtrum Ioannem Archiepiſcopum Toletanum, & ad preces ipſius de venerandis & eximiis ſanctuariis noſtris, quæ de theſauro Imperij Conſtantinopolitani ſuſcepimus, pretioſas vobis particulas deſtinamus; videlicet de ligno Crucis Domini; vnam de ſpinis ſacroſanctæ ſpineæ Coronæ eiuſdem Domini; de lacte glorioſæ Virginis B. Mariæ; de Domini tunica purpurea, qua indutus fuit; de Linteo quo præcinxit ſe Dominus, quando lauit & exterſit pedes diſcipulorum ſuorum; de Syndone qua corpus ipſius ſepultum iacuit in ſepulchro; de pannis infantiæ Saluatoris: Veſtram itaque dilectionem rogamus, & requirimus in Domino, vt prædictas ſacras Reliquias cum debito recipiatis, & cuſtodiatis honore; necnon in Miſsis & orationibus veſtris perennem noſtri memoriam habeatis: Actum apud Stampas anno Domini 1248. menſe maio.*

Attende, quæſo, in piiſſimo Galliæ Rege intimam optimi velut parentis in Iberos propenſionem, qua Toletanam Eccleſiam cæterarum omnium Primatem pretioſiſſimo ſacrorum pignorum theſauro locupletauit, quidni

&

& ipſe Hiſpanis, è quorum regali proſapia in optima & ſancta Matre vitam traxerat, illuſtriora, quibus potiebatur, pignora, larga plane, regiaque munificentia rependeret? Etenim ſi Peripateticorum Principis iudicio numquam ſatis dignas parentibus gratias referre poſſimus, hoc ſolum nomine, quod vitam nobis poſt Deum dederint, qua tandem ratione collatum ſibi ab Hiſpania beneficium compenſare Sanctus Princeps poterat, quo Iberis vltronea regiam ipſi puellam in matrem voluntate dimiſerant, quæ non ſolum communi lucis vſura ipſum, Deo ſic ordinante, donarat, ſed ſanctis optimæ educationis inſtitutis iterum Chriſto partum, diuinoque totum obſequio addictum, duabus feliciter vicibus, vti ſancta olim Monica Auguſtinum pepererat; Et ſi iuxta eiuſdem Philoſophi mentem, diſcipuli condignis naquaquam grati animi officiis Præceptorum ſuorum laboribus reſpondere poſſunt, qua tandem regali munificentia S. Ludouicus Hiſpanos cohoneſtare poterat, qui ſuo in Galliarum commodum fœlicitatemque propenſiſſimo ſtudio Heroïnam tot virtutibus ornatam, tantaque prudentia conſpicuam, ſapientiſſimamque Regum Pædagogam, Gubernatricemque futuram ſubminiſtrarant.

Gloriatur item Catalonia S. Sigiſmundi Burgundionum Regis ac Martyris pignora apud Tesbiadem oppidum in tractu Barcinonenſi depoſita ſeruare; quin etiam eiuſdem, dum adhuc viueret, præſentia illuſtratam ſeſe deprædicat: Et vero Sigiſmundus patre Gunebaldo Burgundionum Rege ortus, à S. Auito Viennenſi Epiſcopo educatus, ab infantia in Dei timore inſtructus & amore, ſupra ætatem ad omne virtutum ſpecimen aſſidua doctrinæ frequentia conſcendit: Iam meliori ætate maturus ita in Dei obſequio flagrabat, vt quo loco Deum vehementiùs perquireret, & illi profundiùs inſeruiret, relictis parentibus, opibus, & regno inueſtigare proponeret: Hoc autem animi deſiderio, Deo inſpirante, vt caduci regni pondus pro æterni commutaret fruitione, patriam reliquit, Narbonam deuenit, & empta Cruce Cataloniam Hiſpaniæ prouinciam

Martyrol. Hiſp. 1. Maij

S. Sigiſmundi Regis origo. Educatio.

Patriam relinquit.

perlustrare constituens, ad Cinnam oppidum in Pyrenæis accessit, vbi ab aliquorum hominum relatu accepit quantis Montesigniani montes ad oppidum Ozano Monachorum cœtibus incolebantur.

In Hispaniam venit.

Hoc audito Vir Dei ad Viccensem vrbem protinùs lætus descendit, vt seruos Dei, quorum desiderio flagrabat, inquireret: Ibidem à Clerico, à quo primum peccatorum absolutionem promeruit, de itinere ad montium cacumina edoctus, vbi Eremitas habitare cognouerat, multiplici consolatione leuatus, montium syluas incepit horridas peragrare, & magno iam tempore transacto Eremitam vnum inuenit, à quo denuò imbutus solamine, & vitæ viam gnouit, & locum vbi tugurium erigeret, deprehendit; discedente vero Eremita Sigismundus ædiculam extruxit exiguam, qua à temporum rigoribus coopertus, vitam solitariam perageret: Illic Deo viuens per biennium herbis tantum contentus transegit, vbi propriis manibus aliam construxit Crucem, quæ vnà cum altera Narbonæ empta adhuc in eius Ecclesia conseruatur: Cum autem S. Princeps Sigismundus ex tugurio Montis-signi, quo vitam eremiticam agebat cum patre Gundebaldo in Burgundiam ire constituit, in Oratorio vbi pœnitentiam egerat, prope oppidum Villadrau duas Cruces suas reliquit; sed temporum reuolutione locus ille obliuioni traditus, & vix eius vestigia vetustas reliquerat.

Eremita fit.

Reliquit duas Cruces in Oratorio.

Ast Dei prouidentiâ, ne tãti principis apud Nostros secessus obliteraretur memoria, euenit dũ pastor quidam, qui boues cuiusdam agricolæ, cui nomen Gad, per illius montis cacumina depascebat, taurum in spelæo, quo olim S. Princeps occludebatur, quotidie à cæteris saparatum intrare, & totos illorum montium & vallium circulos mugitibus adimplere cognouit: tantæ nouitatis successum demirans Boarius, cum Taurum de spelunca continuis eiicere ictibus contendisset, nec tale quid consequi valeret, ad Rectorem oppidi de Villadrau accedens, illi totius rei euentum confusus nouitate recensuit: Rector ad locum pergens, & propriis oculis taurum genu flexum depositaferocitate conspectans, vrbem

Taurus quotidie illas adorat.

Viccen

Viccensem adiuit, & Episcopo totius prodigij negotium à se visum breui periodo propalauit.

Episc. Viccensis miraculo instructus illas inuenit.

Cum Præsul extemplò Capituli & Cleri interueniente consilio, solemnem processionem indixisset, cum illa ad locum consignatũ accedẽs, taurum adhuc flexis genibus persistentẽ inuenit: Tunc oratione ad Deum facta, locũ in quo taurus genua flectebat effodere iubens, protinùs præfatæ S. Sigismundi Cruces intra rudera pulueris apparuêre, quibus per Episcopum extractis, & in altum eleuatis, extemplò taurus discessit, & ad gregẽ concessit: Tum Episcopus adoratis Crucibus, illas in Ecclesia de Villadrau, solẽni pompa, & populorũ, qui aderãt, deuotis lachrymis collocauit; quas cũ die sequenti in loco depositionis non inuenisset, altera die Parochus iterum in speluncam ascendit, & illis ibi repertis, in domum agricolæ cui nomen Puig repositis, ad propria recessit.

In Ecclesia collocat, sed non persistunt.

Porrò Dei ministerio S. Cruces ad antiquum Oratorium reuersæ, etiamsi ad oppidũ Coldestano allatæ iterũ fuissent; haud quaquam alibi permãserũt, donec hisce miraculis cognitis, & probatis, Episcopus S. Sigismundo in eodem loco Ecclesiã exstruere constituit: quam vt perfecit, S. Cruces cũ insignioribus Lipsanis S. Principis & Martyris, quæ ex Gallia acceperat, in ara maiori honorifice collocauit, quarum interuẽtu plurima Deus hominibus beneficia impartitur: Opera enim Dei toto orbi manifesta per se loquuntur, quotque ad Martyrũ memorias edita sunt mirabilia, tot diuinæ virtutis & veritatis oracula sunt, quibus sanctorum, *quorũ mors suo in conspectu pretiosa est*, quorum *capillos numerauit*, quorũ *custodit ossa*, quorum clarificat cineres, & declarat merita Deus ipse gratissimam sibi esse honoficationem indicat: Deo autem loquente, hominem non decet in aduersum murmurare, impiumque est illum contra Conditoris sui placita obstrepere, factaq; illius reprehẽdere, aut cum clara adeò sunt perfracte inficiari; iniquum denique est munificæ eius bonitatis, quæ fideles seruos tanta largitate remunerat, donis inuiderere; sed his omissis ad alia stylum conuertamus.

Templum erigit, in quo eas reponit.

Venerandum S. Valerij Treuirensis Episcopi corpus post XV. sæcula tempore Maximiliani II. Imp. & Mariæ

eius

Martyrol. Hiſpan. 29. Ianu.

eius vxoris, Caroli V. Imp. filiæ, ex ſubterraneo Cœnobij S. Matthiæ Treuirorum extractum, & in capſa cypreſſina, auro & gemmis circumlita repoſitum, & in præfatæ Imperatricis Oratorio collocatum fuiſſe Hiſpanica referunt monimenta; Imperatore dein Sponſo extincto, in Hiſpaniam illam repedaſſe exquiſitis Sanctorum theſauris onuſtam eadem teſtantur; inter quæ hoc S. Valerij venerabile corpus, quod ſecum in regali Cœnobio Excalceatarũ S. Claræ Monialium Matritenſi, cum ſacculum illius induit inſtituti, & ſæculum felici vocatione protriuit, cum cæteris ſacris inuexit pignoribus, vbi adhuc in Religioſi illius Sacrario Monaſterij adſeruatur & colitur, ſolemnique officio celebratur.

Idem 14. Maij & 9 Auguſti.

Annus Trãſlationis S. Eudaldi Presbyt. & Martyr.

Apud Riuipollenſe in Catalonia Cœnobium celebris eſt feſtiuitas Tranſlationis Sacrorum pignorum B. Eudaldi Presbyteri & Martyris prope vrbem Aquenſem in Gallia paſſi: Anno ſiquidem ſeruatoris Domini 978. Idiſolus Abbas illud ad ſuum Monaſterium reduxit, vbi per iſtius Beati merita Deus quotidie plurima ægrotis auxilia impertitur. Inter quæ memoria dignum illud cenſetur, quo eiuſdem Cœnobij famulus à Dæmone correptus, Sancti Martyris reliquiarum attactu miraculoſe ſanatus importuni hoſpitis fæuitiam effugit.

Famulus Cœnobij S. Eudaldi à dæmone corripitur & liberatur.

Punitur perfurus.

Hic temere dicere cœpit, quod oſſa quæ in ara B. V. Mariæ, nomine S. Eudaldi populo exponebantur, nec alicuius erant Sancti, nec deberent ibidem honorari, ne forte alicuius hominis malefactoris fuiſſent; quo dicto ſtatim dæmones ſunt ingreſſi in corpus famuli, quẽ ſeueriſſime vexabant; At vero ad S. Eudaldi reliquias illatus, iidẽ maligni ſpiritus confeſſi ſunt S. Martyris beatitudinem, & verũ illius corpus ibidem conſiſtere: vnde & orationibus Fratrum famulus à Dæmonum moleſtia ſanus exurgit: quemdam vero alium, qui S. Eudaldi nomen falſo iuramẽto interpoſuerat, ſic Deus inopinate puniuit, vt illico exanimis in terrã collapſus occũberet.

S. Martyr apparet Abbati & Monachis.

Poſtquam autem venerabile S Eudaldi Martyris corpus in prædictum S. Benedicti Cœnobium tranſlatum fuit, euenit, quod S. Martyr Abbati aliiſque Monachis in ſomnis apparuit, eos exhortans quatenus illi Capellam ſeu Baſilicam

pecu

peculiarem erigerent, & ad illam ex eo loco, vbi eius pignora requieſcebant, transferrent; Tunc habito inter Monachos conſilio,& præcedente deliberatione, actum fuit & vnanimiter decretum, quod S. Martyris corpus ad locum, in quo Baſilica erigenda eſſet, deduceretur,& ſi ipſum ibidem collocatum recentiora patraret miracula, tunc eius firmam voluntatem de nouo erigẽdo templo cognoſcerent, crederentque: Igitur ſacra pignora ad locum delata magnifico proceſſionis apparatu, vix ſitum tetigêre, cum Deo diſponente frequens miraculorum inſtantia viſebatur; Nam quædam fœmina, quæ vix propter febrium continuarum grauedinem ſacras exuuias inſequi valebat, confeſtim in ipſo itinere S. Martyris precibus ſanata eſt;

De altera Tranſlatione tractatur.

Miracula recens edita virtute ſacrarum Martyris Reliquiarum.

Eadem vero ægritudine aliæ duæ fœminæ laborantes concurſum in proceſſione deuote ſequebantur, quarum Deus pietatem intuitus, S. Martyris precibus liberæ in domum reuerſæ ſunt: Quidam vero adoleſcens pedibus & tibiis emortuis ad ferculum Reliquiarum adductus, cum illud tetigiſſet, extemplo ſanus deambulauit, & credidit: quin imo & alius paralyticus manu deoſculans thecam, in qua S. Martyris exuuiæ recondebantur, protinus ſanitatem recepit: Quibus miraculis ad oculum conſpectis, omnis populus continuo neceſſaria ad ædificium colligere cœpit, cuius fabrica ſic creuit, vt die 9. Aug. anno Chriſti 1004. ſacra Lipſana ad nouam baſilicam tranſlata ibidem honorifice collocarentur; quæ ſic venerantur oppidani, vt quotannis in eius anniuerſario Natalis die vndecumque integri populi circumiacentes, deuotionis & voti cauſa, ad feſtiuitatis, huiuſmodi celebrationem confluant:

Tranſlatio earum ſecunda celebratur.

Feſtiuiſſima Oſcenſes Celtiberiæ populi S. Orentij Anſcitani in Gallia Epiſcopi & Conf. Tranſlationem veneratione proſecuntur, cuius memoria adhuc ſuperſtitibus in tanto pretio eſt, quod huius diei & ſequentium ſolemnia, vt quid magnificum cum explicare deſiderant, in paræmiam abirent; quodque ad noſtrum conferre non modicum videtur argumentum illud eſt, quod maiorem tantæ olemnitatis pompam regiæ humanitatis affectu Chriſtianiſ-

ſimus Galliarum Rex Henricus IV. Oſcenſes tunc fuit proſecutus, dum ſæpius Archiepiſcopo Auſcenſi, Priori, & Fratribus monaſterij Sancti Orentij, atque vrbis Auxitanæ Conſulibus per ſuas regias litteras præcepit, vt illis Reliquiarum S. Otentij Præſulis partem impertirentur: Similiter deputati Oſcenſes in gratiarum actionem conceſſionis Reliquiarum dicti S. Orentij Auſcitaniæ Pontificis, itidem quaſdam reliquias SS. Orentij & Patientiæ parentum S. Orentij eiuſdem Auxitanæ ciuitati promiſere; cuius pretioſæ remunerationis licentiam Ciuitas Oſcenſis à Philippo III. Rege Catholico, & à Paulo V. Pont. Max. facultatem impetrauit: vide mutuam, Lector, hic obiter vtriuſque gentis communionem alterna ſacrorum pignorum traditione firmatam, quam meliùs & elegantiùs deſcriptam in Tranſlationis Actis apud Hiſpanum Martyrologium fideliter exaratis reperies. Ibid.

Multa Poëtæ Celtiberi tam Hiſpano quam Latino ſermone, in huius Sanctæ Tranſlationis lætitiam, & Anamneſim carmina compoſuere; en tibi ſequentia damus:

Auſcius vt vidit precibus pia vota parentis
Coniungi, miſerans hos dedit ore ſonos.
Oſca ſoror, triſtes quas voluis pectore curas
Diſcute, pro curis gaudia ſume tuis.
Abſentis reuocare cupis bona mater Orenti
Vel cineres, partem quod licet ecce damus.
Excipit hanc genitrix gaudens, pro pignore grates
Dignas ſe tanto reddere poſſe negat.
Vrbs generoſa, inquit, præſenti laude paraſti
Immortale tibi, perpetuumque decus.
Iam tua conceſſi memorandi gloria doni
Omnis in ore frequens poſteritatis erit:
Hiſtoricique tuas laudes Annalibus addent,
Qui patriæ condent facta legenda ſuæ:
Namque piæ nobis tribuiſti lipſana mentis,
Lipſana magnificis anteferenda bonis:

Martyrol. Hiſp. 21. Iulij. Sed quam appoſite noſtro fauet inſtituto quod de SS. Martyribus Victore, Alexandro, ſociiſq; ſub Commodo in Maſſilia

silia passis perhibetur, cum videlicet eorũ corpora iussu Præfecti in pelago proiecta, Angelis ministrantibus, ad oppositum littus Cantabricum enatantia deuecta sunt, & à Christianis ad Flauiobrigam sepulta: quod vetustum confirmat Epigramma, carminibus. M.S. Auli Habi insertum hac serie:

Pignora sacra tua emisit Massilia Victor
Hesperiæ plagis, quæ Cantabra terra recepit:
Hisque diu fruitur, sed tandem tempore Gothus
Sequenti partem Recaredus reddidit vltro
Quâ tantis frueris Massilia prouida signis.

Cuius Epigrammatis auctoritate suffulti, Flauij Dextri sensum penetrantes, clarissimum virum dixisse credimus, quod corpora SS. Victoris & sociorum Martyrum Massilienssium apud Flauiobrigam Cantabriæ, Angelo ducente deuenisse, & ibidem tumulata fuisse honorifice culta, & sic locus legendus erit: *Flauiobrigæ in Hispaniæ* (sepeliuntur & coluntur) *S. Victor & socij eius, qui varia exercitiamenta passi, necati sunt:* Nec his contradicunt Acta, quin potius Epigrammatario fauent, cum in ipsis dicatur apud Equilinum agentem de SS. Corporum successu: *Corpora vero SS. Martyrum iussu Cæsaris in pelago proiecta, Angelis ministrantibus ad oppositum littus enatantia deducta sunt, & à Christianis sepulta*: Sed quale oppositum littus nisi Hispanum? nam si ad eamdem Massiliæ littoris oram pignora sacra reuerterentur, exprimerent Acta, sed hoc non faciunt, imo oppositum littus consignant, igitur SS. Martyrum *Lipsana Hispaniæ littora susceperè*:

in Chronico an. 185.

in Catalog. SS. l. 6. c. 122.

Porro cum Hispanica Cantabrica eorum sacris diu pignoribus frueretur, & Massilia suorum Diuorum exuuiarum partem aliquam habere proposuisset, illam à Flauio Recaredo Gothorum Rege felicibus obtinuit auspiciis; quorum sacrorum corporum reliquias honorifico Sarcophago inclusas Massilia debita deuotione veneratur; nam ad eius sepulchrum tanta diuinæ bonitatis virtus elucet, vt sæpiùs ad eum accedentes infirmi à languoribus curati discedant, & plures Energumeni multum se collidentes, & Martyrem inclamantes, eiectis dæmonibus liberentur: Non enim Dei seruorum, qui dum viuerent sacris eius imperiis addictissimi, ne latum qui-

dem vnguem à suprema ipsius voluntate vnquam recessêre, præsentiam vllatenùs tolerare possunt famosi illi ab ipso mundi exordio diuinis rebelles nutibus è cælo in tartarum deiecti Apostatæ, Sanctorumque non modicam apud Deum auctoritatem reformidant, qua nouas suæ in tot hominum animas & corpora tyrannidis pœnas dare coguntur :

Numer. 6. Enimuero sicut Dagon Philistinorum Deus in prophano eorum templo *Solus truncus remansit in loco suo:* vel vt legunt 70. *scapula Dagon relicta fuit*, hoc est solum dorsum Dagon ; impurus, inquam, spiritus habitans illud mouensque Idolum, ad suum flagella dorsum præparabat ; sciens enim Arcæ inimicos, qualem se esse non negabat, acriter à Deo flagellandos, iuxta illud : *Percute dorsa inimicorum eius* : Et propterea gratis seu ingratis, propria conscientia conuictus, suum accipiendis dorsum flagellis offerebat, & sic dæmones ante arcam Dei flagellabantur, ita etiam ante aras, & vrnas Sanctorum Martyrum flagellantur, vt aureus inter Græcos Pater testatur : *Sanctorum*, inquit, *ossa dæmones sistunt, ac torquent, cum nullus videatur, nullus immineat dæmonis lateribus, audiuntur tamen clamores, dilacerationes, flagella, tormenta, dæmone non ferente admirandam illam virtutem, & qui corpora gestarunt, incorporeas superant potestates; puluis, ossa, cineres inuisibiles illas affligunt naturas:*

Deuteron. 33. 11.

Hom. 26 in 2. ad Corint. in fine.

Dæmon Reliquiarum cultus semper hostis fuit. Quin & ab antiqua præteritorum temporum memoria adeo capitali odio Sanctorum in sacris eorum Reliquiis cultum venerationemque tenebrarum princeps insectatus est, vt cum reuerentiam illam ipsis semper religiosè exhibitam à Christianorum animis excutere neutiquam potuerit, multis sit semper conatus modis Reliquiarum veneneration em suum opus esse cunctis persuadere mortalibus, eo fine videlicet, vt imperita quæque & abiecta plebs Reliquias colendo, opus sibi à Dæmone suggestum operari formidans, ab illo cultu abstineret, & sic sacrarum huiusmodi cæremoniarum obseruatio, quæ diù in Ecclesia viguit, penitùs excideret :

Hac falsa callidus hostis persuasione iampridem Vigilantium contra D. Hieronymum armauit, eoque temeritatis

tis induxit, vt contra ſanctiſſimum Doctorem Reliquiarum venerationem, quandam Idololatriæ ſpeciem eſſe contenderet: Hac pernicioſa noſtræ ætatis hæreticos aſtutia commentoque ad Reliquias è ſepulchris, ſacriſque Lipſanis eruendas, impie per agros ſpargendas, igne conſumendas, aut fluminibus immergendas concitauit, quaſi nullum omnino gratius, Deoque acceptius ſacrificium eſſe poſſet, quàm ſi eorum oſſa cineresque veſano prophanati furore in auras ſpargerentur, quæ diuinum Numen ſuæ primùm gratiæ dono ſanctificata in pura integerrimæ fidei vaſa ſibi aſſumpſerat:

Sed excandeſcat dæmon, murmurent & obganniant quantum velint ipſius aſſeclæ, nam ſicut ab ipſis fidei primordiis ſibi debitam Sanctorum Reliquiæ in Eccleſia venerationem ſortitæ ſunt, ita Deo fauente laudabilis iſte ritus inpoſterum ſingulari Fidelium ſtudio excultus perſeuerabit: In cuius aſſerti confirmationem non abs re erit pulcherrimum quod Cæſarius refert, exemplum hic ſubiicere, quo quiuis aperte intelliget, quantum dæmoni ſacrarum cultus Reliquiarum diſpliceat[a]: *Cum magna Reliquiarum copia, multaque Sanctorũ corpora in Colonienſem S. Goſwuini Abbatiam tranſlata fuiſſent, vbi eiuſdem S. Aſceterij incolæ ſacra oſſa tenui puluere, ac munda purgare aqua cœperũt, intolerabilis ex ipſis egredi fœtor viſus eſt; quod cum Abbati inſolitum quid, neſandaq; inferni præſtigiatoris ad deterrẽdos ab eorum honore fideles ars eſſe videretur, aſſumptis ſacris veſtibus, exorciſmorum vi dæmonem adigere cœpit, vt ſi quã iſthic fraudem eſſet machinatus, extemplo abiret, peſsimumq; odorem leuaret; vix prolata exorciſmi verba, cum videntibus cunctis adſtantibus è medio reliquiarum ſpecies quædam Equi capitis formam præferens exiliuit, peſsimuſque fœtor in tam ſuauẽ continuo mutatus eſt odorem, vt ſacrorum Chriſti Seruorum Reliquiarum veritatem patefecerit, illoſque iam æterna in cælis apud Deum fœlicitate gaudere patentibus ad oculum ſignis demonſtrarit:*

[a] In Dialogis.

Quid de Baudelio Martyre, Nemauſenſique Diacono proferam? qui cum quadam die ſuper S. Euurſij caput Eccleſiam conſecrantis lucem cœlitus effuſam, & Domini eum benedicentis manum vidiſſet, ad Martyrium quaſi di-

Martyrol. Hiſp. 10. Maij.

uina inspiratione animatus est : audiens namque Gothorum rabiem in Galliis perstrepere, Nemausum continuo accessit, & frequentem gentilium turbam sacrificantium, Idola prophano ritu adorantium intuitus, eos acerbe nimis arguere orsus est; sed ab eis detentus, diris suppliciis affectus, fustibusque cæsus, & in equuleo suspensus, cum in fide immobilis inter omnia tormenta persisteret, nouissime bipenni capite percussus est, de cuius corpore lac pro sanguine manauit, & multos ægros eodem perfusos statim sanauit; quin & beata decollationis eius hora Angelorum suauiter psallentium voces auditæ sunt: corpus autem à fidelibus in eadem vrbe tumulatum, & Ecclesia desuper ædificata est, de cuius tumulo laurus exorta longo tempore perdurauit, cuius foliis tacti languidi curabantur, dæmonesque ex obsessis corporibus curabantur; Eius Reliquiarum pars in Hispaniam delata, primo Rodam prope indigetes, post Toletum, demum in Arca sancta Ouetum peruenere, vbi inter cætera Sanctorum Lipsana in camera sancta honorifice seruantur.

S. Baudelius apud Nemaus. passus ibique capite plexus.

Martyrol. Hisp. 21. Iunij.

De S. Palladio Ebredunensi Episcopo in Hispano Martyrologio annotatum legitur, sacra huius S. Præsulis pignora à Benedictino quodam monacho à Galliis extracta, & apud Camprodonense S. Petri cœnobium Gerundæ in Hispania Tarraconensi fuisse deposita; cum enim monachus ad prædictum cœnobium cum reliquiis accederet, nequaquam alio pergere quiuit, qua diuina dispositione conuictus, sacra Lipsana illic relinquere coactus est, quæ in argentea capsa custodita venerabili solemnitate coluntur, & quotãnis populo in eius festiuitatis die monstrantur: Verum anno Domini 1470. cum Galli milites Camprodoni oppidum valida manu obsiderent, eo expugnato, capsam cum sacro corpore expilarunt, illamque in vrbem Perpinianum tunc Gallis parentem perduxere: post aliquot exinde annos Summo annuente Pontifice, pluribusue miraculis diuino Numine rem ipsam confirmante, sacræ Reliquiæ Camprodono redditæ sunt; in cuius Translationis itinere licet pluuia ingens agros omnes inuaderet, nusquam supra capsam

ſam gutta licet minima cadere viſa eſt ; imo accedente corpore, & Cataloniam intrante, oppidorum tympana, & cymbala vicinorum per ſe ipſa pulſabantur ; Et ita S. Palladij corpus ſuo Camprodunenſi S. Petri monaſterio reſtitutum fuit :

Hic nonnullos obmurmurantes audio, quod fruſtrà importunis hiſce narrationibus immorer, quid enim, aiunt, iſta ad inſtitutum ? Sin autem Teofridi Abbatis placitum attenta mente reuoluant, quo aſſerit *Reliquias ſingulis prouinciarum & ciuitatum populis dediſſe Deum in ſolatium, vt dum importunis vrgentur incurſibus hoſtium viſibilium & inuiſibilium, per harum defendantur meritum* : Haud incongrue huiuſmodi Reliquiarum ſeriem huic appoſitam loco concludent :

Enimuero ſacra hæc Sanctorum hominum pignora, qui ex Francia ortum duxere, Hiſpanicis illis prouinciis ac ciuitatibus, penes quas condita ſunt, plurima contuliſſe adiumẽta quis non videat? Cum, mediantibus eximiis iſtorum meritis, Iberi multis omnino vicibus à tartareorum hoſtium inſidiis, vel ab infenſis hominum armis liberati, in optatæ tranquillitatis otio vitã egerint: quare ex hac mutua vtriuſque nationis communicatione etiam poſt clariſſimorum hominum mortem haud interrupta magnam bonorum omnium congeriem in amborum ditiones regnorum promanaſſe iure quidem optimo mirabimur :

Inter cæteros qui Cordubæ, Diocletiano & Maximiano in Chriſtianos ſæuiẽtibus, glorioſe pro Chriſto decertarũt, Aciſilus & Victoria annumerantur, ad teſtandam quorum gloriam roſæ purpureæ iuxta eorum tumulum diuinitùs ortæ narrantur: Horum autem Athletarum corpora à Carolo Magno ex Hiſpania in Galliam illata Toloſæ ab eodem in auguſtiſſima Sancti Saturnini Eccleſia (quam pleriſque Apoſtolorum ac Martyrum pretioſis ditauit exuuiis) qua par eſt reuerentia, condita aſſeruantur :

Placet hic nonnulla de S. Vrbici Reliquiis recenſere : Hic natione Gallus, patria Burdigalenſis, cum matre ſua Aſteria nomine, quæ Chriſtianiſſima erat, & litteris Græcis atque Latinis

Latinis erudita in Gallæciam captiuus est delatus, vt tanquam lapis pretiosus in superna Hierusalem collocandus, tunsionibus & pressuris à teneris annis expoliretur: Post aliquod tempus, Dei beneficio, matre in Galliam remeante, puer Vrbicius in captiuitate relictus est: qui tamen Dominis suis non propter timorem, sed propter conscientiam sic subditus erat, & in omnibus fidem bonam ostendens, & sic hilariter seruiebat, vt non tam captiuus quàm ingenuus videretur: Mater vero eius ieiuniis & orationibus vacans, liberationem filio impetrauit, qui agnoscens libertatis auctorem Deum, intercessione SS. Iusti & Pastoris Martyrum Complutensium, illico in mentem venit Complutum adire, sacra perquirere pignora, & inuenta in Galliam adsportare;

Liberatio.

Hinc Dei seruus Complutum pergens, & reuelatione præcedente corpora Sanctorum ex spelunca extrahens Burdigalam peragrat, vbi sacras exuuias secreta animaduersione recondidit; qui in maternam domum reuersus, non solatio matris ab eadem est retentus, sed habitu monachali à S. Martino monacho suscepto, seruitio Christi qui illum liberauerat, & cui se deuouerat, est protinùs mancipatus. Sed vt cognatorum & amicorum impedimenta vitaret, patriam deserere constituit, & acceptis secum sacris Sanctorum Martyrum glebis in Aragoniam venit, & in Valle Nocita, non procul ab Vrbe Osca pedem figens, & Eremitorium ibidem in quadam vastissima eremo construens, illud suæ habitationi domicilium elegit: hic Sanctus Vir solus mirabilisque eremita in ieiuniis, vigiliis, orationibus, ac horis canonicis, quas quotidie, & si solus solemniter celebrabat, & aliis exercitiis spiritualibus conuersatus, vltra quinquaginta annos transegisse perhibetur, donec plenus sanctitate & dierum, cum fere esset centum annorum, glorioſus confessor virginitatis lilio decoratus migrauit ad Dominum; qui sicut adhuc viuens, ita & post mortem multis claruit miraculis; Sanctum eius corpus inter sacra SS. Iusti & Pastoris Lipsana tumulatum, vt suo testamento iusserat, ibidem requieſcit, ad cuius sepulturam, & nunc vsque singularia beneficia, & præcipue pluuiam

Monachatus in Gallia.

Eremita in Hispania.

Moritur.

Ad eius sepulchrum multa fiunt miracula.

uiam ſalutarem temporibus ſuis congruentem cum Aragonenſibus, tum maxime illius territorij accolis, vbi ſanctum corpus quieſcit, eius meritis & precibus miſericors Dominus conferre dignatur.

Addit Gallicani Hagiologij illuſtrator ſacrorum pignorum partem in Hiſpaniam Vrbico Monacho cum ſacris exuuiis reuertente, in Gallia in vicem hoſpitalitatis fuiſſe relictam: Quamobrem horum illuſtrium Chriſti Martyrum pignoribus tituliſue Narbonenſis Eccleſia in hunc vſque diem illuſtrata coruſcat, In qua etiam quotannis vndecimo Kal. Martij ſecunda illorum Martyrum Tranſlatio anno ſalutis 1335. ſolemniter peracta recolitur, quando procedente toto clero, & vniuerſo Narbonenſi populo concinente, de veteri Eccleſia ad nouam Metropolitanam Baſilicam delata, in eaque vbi hactenus ſeruantur, digniſſime repoſita ſunt.

Poſtquam Totila Gothorum Rex Arianus S. Laureani Hiſpalenſis Epiſcopi & Martyris caput ſuo iuſſu reſectum ab impiis lictoribus accepiſſet, illud Theudio dimiſit, qui magna deuotionis veneratione illud Hiſpalenſi obtulit Eccleſiæ, ex qua die vrbis fames & epidemia ceſſauit, & terra cœleſti pluuia inebriari cœpit: ad cuius capitis Hiſpalim delati, illicque honorifice ſuſcepti Tranſlationem confirmandam, eiuſque ſalubres probatos effectus audi Epigrammatis fragmentum ex M.S. Codice carminum. Martyrol. Hiſp. 4. Iul. Quo loco caput allatum.

Conditur hac capſa caput ſine corpore Lauri
Præſulis eximij, Hiſpalis alma, tui.
Impius ergo ſacros ditauit capite muros
Rex Totilla tuos, Pontificiſque tui.
Corporis exuuias tenet alma Biturica, quaſque
Euſebius Præſul in ſua templa vehit.

Addunt probati auctores quod Theudius Hiſpaniæ Rex cognitis B. Laureani miraculis, relicto Arianiſmo fidem ſuſcepit Catholicam, & magnificum B. Martyris inuocationi templum conſtruxit: quod & fatetur ſacrorum Faſtorum Gallicus auctor his verbis: [Quod cum emiſſarij iniquitatis vidiſſent, metu perterriti ad fidem, pœnitentiamque con- Vaſſæus; Marinæus Siculus, & Quintana Duennas. Martyrol. Gallic. to. 1. 4. Iulij.

uerſi, & baptiſmatis vnda expiati, caput ipſum Martyris colligentes Hiſpalim magno honore detulerunt, Regique quæ facta fuerant referarunt; qui ſceleris admiſſi compunctus, atque ad pietatis ſtudia conuerſus, B. Athletam præcipuo affectu deuotionis coluit, memoriamque eius excitato inſigni templo clarificans, ſe, regnumque ſuum in ipſius peculiarem commiſit clientelam: Huius templi fabrica penitus Sarracenorum imperio corruit: Hodie in maiori Metropolitana Baſilica capella S. Martyris nomini inſignis dicata conſpicitur.

Martyrol. Hiſp. 13. Nouembr.

De SS. Ferecinta ac Leocadia VV. ac MM. quarum corpora in Galliis primùm recondita, ac deinde in patrium Hiſpaniæ ſolum relata fuere ita cecinit Hiſpanici Martyrologij commentator.

En Ferecinta tibi Toletum ſancta renaſcens,
Cuius vt & Martyr ad tua tecta redit.
Suſcipe Chriſticolam quam Gallia ſeruat, & ardet,
Cuius & ipſa tuos purpura tinxit agros.
Tu quoque Leucadiæ traxiſti pignora ciuis,
Necnon Eugenij Præſulis ipſa tui.
Vt quid non Ferecintæ ſacrum in myſticis vltro
Præbebis cultum, cum ſit & illa tua?
Ergo age regia ſemper, & vrbs tot inclyta Diuis,
Hanc reducem meritò ſuſcipe ſæpe pia.

Quamuis autem prædictus auctor S. Ferecintæ anamneſin his recolat verbis: *Pictauij in Gallia depoſitio S. Ferecintæ Virg. & Martyris Toletanæ in Hiſpania, quæ cum lucem Fidei cum aliis virginibus amplecteretur, vt ſponſo cæleſti caſtitatem, & eius doctrinæ firmitatem ſeruaret, à mundi illecebris, & ſæculi erroribus recluſa ſeceſſit, donec eueniente Diocletiani Imp. furore, ad martyrij palmam acceſſit.*

Quamuis, inquam, ſcriptoris illius iudicio poſt ſanctam in Gallia vitam, ibidem duplicem virginitatis & Martyrij coronam reportare meruerit, doctiſſimus tamen & accuratiſſimus Martyrologij Galliæ Sanctorum illuſtrator de eadem hoc verborum tenore nihil certi definire audet: *Vtrum*, inquit, *S. Ferecinta etſi multa paſſa à Daciano, ſupremum diem*

Martyrol. Gallic. To. 2. pag. 1251.

clau

clauserit apud Toletum, vnde eius reliquiæ postea sub Saracenorum persecutione fuerint translatæ in Galliam Aquitanicam, ac tandem eo Pictauiensis Diœcesis loco, vbi capsa eius etiamnum, quamuis vacua ostenditur, & ipsa colitur anniuersario Natali & titularis honore; vel ipsa postquam à prædicto tyranno dira pertulit, inde pulsa, & facta extorris in Galliam sponte sua venerit, eoque loco vt in tranquilla statione post tempestatem resederit, ac obierit demùm, vbi etiamnùm fulget eius memoria venerabilis, nihil definio, sed Censoris cuiusque sensati iudicio perspicaci discutiendum remitto: Noua ac pene omnis incapax cogitationis videbitur Toletanis eruditioribus isthæc huius sanctissimæ Virginis Martyrisque commemorationis relatio, cum vix vllus sit scriptor Toletanus, imò Hispanus tàm vetustus quàm recentior, qui huius Diuæ meminerit: Quæ autem modò de ipsa retulimus, ex Martyrologio Pictauiensi eruta præfatus author euulgauit:

S. Ludouici Tolosani Episc. parentes & origo.

Sed nos iam ad se rapit S. Ludouicus Episc. Tolos. & C. qui ex regali prosapia Francorũ, Hispanorum, atq; Hungarorum Regum progenitus, & in Cataloniam adolescẽs ductus cum duobus fratribus, pro Caroli Regis parentis liberatione obses datus sub instructione Fratrum Minorum, infra septennium in studiis ita profecit, vt non solum de scientiis, & Sacra Scriptura disserere, sed & Verbũ Dei prædicare valeret; In oratione sedulus mentem ad Deum eleuatam tenebat, singulari pietate sacrosanctum Missæ sacrificium celebrabat, adeo castitatis amans, vt nisi forsan cum matre & sororibus solus cum sola nullo vnquam tempore loqueretur; sobrietate cibi & potus corpus suum castigabat assidue, catenisque ferreis, ac rudi pro camisia stramine, cordaque pro cingulo ipsam carnem in seruitutem redigebat.

Fit Episc. Tolos. post solutum. de ingressu in Minorum Ordinem Votum.

Summo etiam æternorum desiderio terrena cuncta cõculcare studuit; vir namq; virtutum positus in sublimi iuri primogenituræ renuntiauit & regno, spreta regalis solij pompa, pro corruptibili regno æternum ac plenum delitiis regnum mercatus, vnde se voto Minorum Ordini consecrauit, quo per Bonifacium Papam soluto, ab eodem Episc. Tolosanus creatus pauperem dicti Ordinis habitum, miramque vitæ auste-

auſteritatem retinuit, nam ſuos pene omnes reditus, paucis ad moderatas & rationabiles pro familia expenſas retentis, in pauperes effudit, paupertatiſque amore vili habitu, ac ſubobſcuro colore in tapetiis, cortinis, & lecti coopertoriis vſus eſt: Pontificale etiam munus cum fidelis Chriſti ſerui diligentia exercuit.

Pie moritur.

Demùm curſu vitæ conſummato, Sacramentis tenero mentis affectu perceptis, genibus in lecto flexis, vt potuit Crucem deoſculatus, glorioſam reſolutus in mortem, ad Deum in gaudio contemplandum facie reuelata, Cœlum ingredi meruit: cuius corpus Maſſiliæ ſepultum fuit apud FF. Minores; tot & tantis in vita & morte miraculis Beatus vir effulſit, vt Ioannes XXII. eum in numero Sanctorum Pontificum VII. Id. April. ſcripſerit: Eius ſacra pignora poſtmodum VI. Id. Nou. anni ſequentis in locum decentiorem tranſlata fuêre, donec Anno 1423. die Sabati 13. Kal. Dec. Alphonſus Aragoniæ Rex huius nominis V. cognomento prudens expugnata vrbe Maſſilia, & per milites incenſa, S. Ludouici Sacras Exuuias accepit, Hiſpaniam detulit, & in Cathedrali Valentinæ vrbis Eccleſia honorifice collocauit, vbi adhuc hodie magna ciuium veneratione coluntur.

Canonizatur à Ioanne XXII.

Eius ſacri corporis in Hiſpaniam Tranſlatio.

Et quamuis hæc Tranſlatio à Gallis Scriptoribus reticeatur, audi Antonium Panormitam in vita Alfonſi Regis lib. 2. cap. 4. à quo Ioannes Santes in ſpeculo boni principis tit. 8. num. 5. fol. 55. dicens cum de Regis pietate, & Religione in Deum verba faceret; *Sed & id longe admirabilius, quod opulentiſſima vrbe Maſſilienſi vi potitus, nihil inde, præter D. Aloyſij corpus deportauerit, indignum ſane diiudicans tam venerabiles reliquias in vrbe deuicta, direpta, & incenſa remanere debere.*

[a] Gaſp. Scolan. Hiſt. Valent. to. 1. l. 4. c. 8. Zuriſa Annal. Aragon. to. 3. an. 1423 c. 22. fol. 136. Io. Mariet. c. 84. P. Roa hiſt. Malacit. c. 16. Solorzan. in Sacrar. Valent. fo. 158.

[a] De huius Tranſlationis veritate multi alij fide digni conueniunt: Circa annum quo hæc Maſſiliæ expugnatio à Rege confecta fuit, facit ſatis Hieronymus Zurita ad annum 1423. cap. 22. vbi totius belli euentus rem geſtam enarrat; Dauid item Chytræus his verbis [b]: *In itinere Maſſiliam, quæ ad Andegauenſis Prouinciam pertinebat, ex Stœchadibus Inſulis*

[b] In Chronologia rerum geſtarum Alfonſ. Ann. 1424.

oppo

eppugnatam cepit & diruit; vrbe capta, pro more suo Alphonsus matronalis decoris haud oblitus, earum fœminarum quæ in templa confugerant, iniuria parci iussit, easque spectatæ integritatis viris, ne à militibus probro afficerentur, seruandas tradidit; quæ cum ad eum pro conseruata pudicitia magnam auri, atque gemmarum vim, quam secum detulerant, misissent, vltro libertatem, & ea omnia sese iis dare dixit, potestatemque fecit, vti ad suos mitterent, qui eas ex vrbe deducerent, iisque vt omnia quæ ab incendio conseruauerant, exportarent permisit: Cum autem in reliqua præda etiam D. Ludouici Episcopi Tolosani ex Galliæ Regum familia nati corpus in Hispanias aueheret, ac in mari asperrima tempestate iactaretur, cum Sacerdotes & nautæ ac milites vnà omnes clamarent B. Ludouici corpus tempestatis huius causam esse, ideoque Massiliam remitti debere, ipse in proposito perstitit, & aut sibi vnà cum S. Ludouico pereundum esse, aut longe ad augustiorem, ac diis acceptiorem, ciuitatem se sanctissimi corporis Reliquias conditurum esse: Cum igitur Valentiam incolumis cum exercitu peruenisset, D. Ludouici corpus, clarissimæ victoriæ vnicam mercedem, sed æternæ suæ gloriæ monumentum summa cum veneratione & gratulatione ciuium collocauit.

Alfonsi Aragon. in S. Ludouicum constans deuotio.

Eadem confirmant Antonius Panormitanus, & P. Roa, qui c. 15. asserit S. Ludouicum Episcopum Tolosanum esse ab expugnatione vrbis Malacæ in Bætica Hispaniæ, illius vrbis tutelarem patronum, eo quod eius festiuitatis die ciuitas illa Catholicis Regibus cessit, & licet tunc temporis dubitaretur, an Agapito Martyri die XVIII. Aug. an Ludouico Episcopo die XIX. eiusdem titulus & ius patronatus daretur, eo quod illo ciuitas tradita, isto triumphalis Regnum ingressus euenit, tandem conuenit tutelam Lud. esse conferendam, qui ex Regum Catholic. origine genitus S. Præsul extitit: Hinc in pluribus Hispanic. Ecclesiar. Breuiariis antiquis maxime Bæticarum officium S. Ludouico Episcopo decantatum inuenimus, in cuius primis vesperis Hymnus in B. Præsulis laudẽ reperitur, cuius tenor talis est:

Ann. 1424. L. 2. c. 4. & P. Roa c. 16.

S. Ludouicus Malacitanæ Vrbis Patronus.

Vrgente mundi vespere
Sol mundo misit hesperum,

Qui micans vt in æthere,
Lucem monſtrauit operum:
Ludouicus per omnia
Ductu diuinæ gratiæ
Vectus eſt, ab infantia
Solem ſequens iuſtitiæ.
Regali ſtirpe genitus
Contempſit primogenita,
Regno terreno penitùs
Mente carens gratuitâ.
Detentus in Heſperia
Claret per patientiam;
Nam paſſus nimis grauia,
Præfert ſemper lætitiam.
Dum patitur exilium
Datur ſolerti ſtudio;
Chriſtus eius ingenium
Suo perfudit radio.
Quo repletus deificè
Profert cunctis ſaluifica,
Vbique fans authenticè
Præco Dei mirifica.
Factus Franciſci filius
Virgo candens vt lilium,
Fit & Præſul eximius,
Collega nunc cœleſtium:

Pio ſane ac perantiquo Chriſtianorum animis inſito ſenſu diem feſtum Sancti huius Patroni Hiſpaniarum, Galliarumque ornamenti recolendæ quotannis memoriæ aſſignarunt, quo ſolemni aliqua grati ſui erga tam inſignem Benefactorem animi ſignificatione, eiuſdem beneuoli Parentis fauoribus reſponderent, memorique gratiarum pro collatis beneficiis actione Sanctum ad noua erga ſe merita prouocarent; non enim meliùs ac citiùs quis noui beneficij gratiam mereri ſolet, quam ſi de acceptis paulo ante muneribus gratias referat; vt bene monebat Romanus olim Philoſophus.

Seneca de beneficiis.

Quis

Quis igitur effrænatam Sectariorum, Nouatorumque audaciam, temeritatemque non accuſet, qui omnes Sanctorum adeoque ipſius Deiparæ feſtiuitates ſuſtulere? nimirum vt eorum ſe ſpiritu agi proderent, de quibus cum lachrymis queritur Propheta: *Dixerunt inimici tui Domine, ceſſare faciamus omnes Dei Feſtos à terra:* ſed perduellium ganeonum facta non intendo hic ad cenſuram trahere, Eccleſiæ diuino ſpiritu afflatæ potiùs eunctis pium innuere cupio ritum, quo memoriis Sanctorum honorandis dies certos, iam cum vix ipſa adoleſceret, aſſignauit, cuius antiquiſſimæ praxis intemeratos ex Oriente pariter & Occidente teſtes grauiſſimos Auctores [a] habemus; Quam in Gallicis atque Hiſpanicis Regionibus ab initio ſeruatam probant vetera, venerandaque Eccleſiarum Diptycha, Conciliorum Decreta, Regum Capitularia, Scriptorum cuiuſque ætatis luculenta teſtimonia, templorum indicant tituli, temporum ſignant diſtinctiones, & quæcumque ad antiquiſſimæ obſeruantiæ inditium ac munimen conferunt argumenta aperte probant.

Ps. 73. 8 91. 11.

[a] Hos citatos reperies in Apparat. ad Martyrol. Gallic. to. 1. c. de SS. Ieſtis.

Nos itaque dies Feſtos in Sanctorum memoriam ſic exequi ſuademus, vt pietatis regulas à Patribus traditas ſedulò obſeruemus, quarum hæc eſt celeberrima, quam S. Auguſtinus nobili dudum documento aduerſus Fauſtum Manichæum ſcribens inſinuauit, qui Natales Sanctorum dies à fidelibus piis officiis honorari ægre ferebat. *Populus Chriſtianus*, ait, *memorias Martyrum Religioſa ſolemnitate concelebrat, ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum conſocietur, & orationibus adiuuetur.*

Nec prætereundum Sancti huius Doctoris aliud inſigne monimentum, quo Martyrum feſtiuitates ideo inſtitutas fuiſſe ait, vt vera Religio innoteſceret à falſis, hoc enim ex diſcrimine habent certè Nouatores quò nonnihil doleant, cum ſuam, quam dicunt Religionem, nota falſitatis videant à Sancto Auguſtino inuri; ſicut enim Catholici hinc intelligunt ſe in vera Religione verſari, quæ Sanctorum memorias colit, à quibus dudum fundata, & ad hos vſque dies per eorum ſequaces

felici

felici traduce progata est, sic certè est quod æmuli nostri hinc colligant se confictæ à nuperis Doctoribus religioni infauste adhærere, quæ cum recordationem auctorum Christianæ pietatis proscribit, eo ipso suos sectatores non obscure prodit iisdem Christianæ Religionis Patribus Fide, lege, & moribus esse prorsus aduersos.

S. Saluius Ambiani Epic.

S. Saluij Ambianensis Episcopi religiosa apud Nostros fama nequaquam tanti viri qualemcumque memoriam silentio hic prætermitti patitur, qui de Aruernensi territorio oriundus, Chilperici Regis tempore omnibus Catholicæ Fidei reluctantibus generose restitit, [a] Vnde Valentianas veniens per illius ditionis vicos illibatas Dei ipsiusque Euangelij leges ardentissimo in proximum zelo prædicauit; sed à quodam nobili ciue ad prandium quadam die inuitatus, à perfido hospitis filio pretiosorum quorumdam vasorum in mensam illatorum nequissimo raptore apud fratrem tanquam reus furti delatus, à parente nimium credulo, & auaritiæ stimulis concitato, vt rapinæ auctor cum discipulis in angustum statim protrusus ergastulum, paulò pòst, Deo eius labores sanctumque in spargendo Fidei semine ardorem remunerante, crudeli atque iniquissima morte glorioſum agonem terminauit.

[a] Martyrol. Hisp. 11. Ianuarij. Valentiarum Apostolus.

Et quidem perditissimus ille filius Venigandus (hoc erat ei nomen) ne tanti sceleris facinus propalaretur, nocte superueniente in ipso carceris spelæo SS. Saluium, eiusque discipulum in oratione existentes per quendam ipsius latrocinij conscium & socium fœde crudeliterque iugulari, ipsorumque corpora latenter in armentorum stabulo sepeliri præcepit: Verum dum locum ipsum Taurus ingens sedulò custodiret, ne ab aliis animalibus polluerectur, nocte intermedia in duarum formam lampadum sæpe sæpiùs super Sanctorum Martyrum corpora visibili fulgore lumen coruscare cœpit, dequo quadam muliere testimonium proferente, apud omnes illius territorij vicos istius mirabilis prodigij fama peruenit.

At reuelante Domino sacri corporum thesauri locum Carolo Magno Franciæ Regi trium noctium silentio, protinus

tinùs Imperator missis Valentianas Sacerdotibus, vt sacra extraherent Lipsana imperauit, quæ inuenta, curruique apposita ad S. Vedasti templum dirigere conabantur; sed cum multa boum iuga currui iunxissent, ne passum quidem mouere potuerunt, quo vsque duobus solummodo bobus appositis, & quò abire vellent dimissis, Sanctorum pignora ad S. Martini Ecclesiam apud Valentianas feliciter deduxerunt, Ibidemque alacrioribus populi vocibus, & festiuis Clericorum laudibus honorabili sepulchro condita fuere: Tanti vero facinoris edax Vinigandi & interfectoris conscientia culpam patefecit, & omnibus iussu Caroli exoculatis pœnas luere.

Postea sacras S. Saluij glebas Rubricatam Citerioris Hispaniæ in Laletaniis sitam ciuitatem translatas fuisse gentilium illic memoria fatetur, quod veritati consonum videtur, nam in Cladellensi adhuc S. Michaëlis territorio Gerundensis Diœcesis, in magno S. Martyris Festum pretio conseruatur, non sine magna populorum frequentia, & mirabilium perpetratione: S. vero Saluius creditur occisus 3. Id. Ianuarij Anno 801. regnante in Gallia Carolo Magno, Leone III. Pont. Max. quod S. Saluij pignora apud Rubricatam translata fuerint nobis est auctor Luitprandus his verbis: *Sanctus Saluius Episcopus Ambianensis, & Martyr creditur translatus prope Barcinonem ad Monasterium quoddam prope Rubricatum vrbem, nunc Manresam dicunt.*

Huic autem Sanctissimo Præsuli & Martyri Decessorem eius S. Firminum, primumque Ambianensis ciuitatis Episcopum, totius fere Galliæ Apostolum, Martyremque glorioſum comitem non adiungere nefas foret, qui Pompeiopoli Nauarræ regia ciuitate in Vasconibus ad Pyrenæi montis radices ortus patre Firmo Senatore, matre Eugenia, iam fere ab vtero diuinæ electionis præmio honoratus est: à S. Saturnino S. Clementis discipulo, ac Tolosanæ Ecclesiæ Fundatore, cœlestis doctrinæ fluenta Pampiloniæ diffundente, salutari lauacro expiatus, primitias benedictionis suscepit, eoque augurio insignitus est, quod gloriæ Dei egre-

S. Firmini I. Ambianēſ. Ep. patria & parentes. Martyrol. Gall. a 5. Sept

gius buccinator, aſſertorque fortis aliquando exiſteret: glorioſum paulo poſt Martyrium conſummante Saturnino, ad illuſtrem S. Martyris presbyterum Firmus Senator Firminum miſit filiũ diuinis ac humanis imbuendum diſciplinis.

Tanti magiſtri dignum ſe diſcipulum Firminus exhibuit, qui ſuperna afflante aura, in eam mox euaſit doctrinæ & Sanctitatis indolem, vt cum annorum eſſet duntaxat ſeptemdecim, feſſum iam ſenio Orthodoxæ Doctorem Religionis labore prædicationis ſubleuaret, cuius officium tanta dignitate exercebat, vt duplicem Apoſtolicæ virtutis & doctrinæ ſpiritum verbo & opere potens ſe adeptum oſtenderet: Quamobrem vt fructum vberiorem maturus iam Sacræ poteſtati proferret, ab Honorato Toloſano Epiſcopo Anno ætatis 30. Presbyter, Epiſcopuſque ordinatus eſt; qui vt receptæ benedictionis gratiam excitaret, ſuadente ipſo Honeſto, à cuius diuino ore pendebat, Galliam longe lateque peregrinare conſtituit, fidei iubar, quod proferebat, in gentium ſalutem diffuſurus: Agennum igitur primum petiit, hinc pergens in Aruerniam præcipuos impiæ ſuperſtitionis ſectatores Arcadium & Romulum diuinæ eloquentiæ vi ad Chriſti iugum pertraxit; Andegauum progreſſus Auxilio Epiſcopo in infidelium conuerſione deſudanti maximum tulit auxilium; digreſſus hinc in Neuſtriam ſtrenuus animarum cultor ſecundæ Lugdunenſis populos vitæ præcepta edocuit.

Audita vero Fidelium tribulatione, quos Valerius Præſes truculenta rabie proſequebatur, Bellouacum adiit, contra eum pro lege & grege Chriſti certaturus, à quo dire habitus, flagelliſque pene vſque ad mortem cæſus in arctam cuſtodiam detruſus eſt; Valerio mortuo eiuſque ſucceſſore, pietate populi Firminus è cuſtodia eductus magna illic Religioni incrementa adiecit: Tum ad Ambianos progreſſus tria ibi fere hominum millia ad Chriſtũ conuertit, quibus Chriſtianæ pietatis prouectionibus exacerbatus Iulianus Præſes, qui Lutetiæ Pariſiorum immanis fidelium perſecutor reſidebat, per lictores Firminum ſacra impia exturbantem comprehendi fecit, à quibus in carcerem coniectus eſt.

At

At Martyris constantia ſpecus fœditate, diræque mortis, quæ imminebat, terrore labefactari haud potuit; fortior eius enituit fides, zelus magis tuendæ pietatis exarſit; nam ipſo in carcere tot prodigiis Firminus eluxit, vt mirabilium fulgore plures, quàm cum in foro viciſque prædicabat, ad agnitionem & cultum ipſius Redemptoris pertraheret: quem cum perſecutores viderent paralyticos & leproſos ſanantem, cœcos illuminantem, multaque alia in Chriſti nomine ſigna facientem, præ timore populi, qui totus fere in eum propenſus erat, eum in carcere capite truncari iubent, eiuſque corpus diſſecari, ne illud poſtea Chriſti cultores venerarentur: Cernitur etiamnum lapis ingens ad antiquam ciuitatis portam, cui carcer hærebat, pridem erectus, quem pretioſo cruore inclytus Chriſti bellator irrigauit, ſacrorumque membrorum diſſectione illuſtrauit.

Porro Fauſtinianus Senator hæc colligens Martyris in Chriſto primogenitus clàm ſuſtulit, ſuoque in cœmeterio honorifice ſepeliuit: Poſtea B. Saluius Ambianenſis Epiſcopus corpus S. Martyris cœleſti indicio repertum in ædem Cathedralem magna cum diuinæ gloriæ coruſcatione tranſtulit, vbi altari ſummo impoſitum in Lipſanotheca pretioſa continua populi deuotione colitur: In hac autem beatiſſimi corporis repoſitione multa miracula diuinitùs refulſiſſe Hiſpanici Gallicanique Hagiologij ſcriptores affirmant: caloris enim æſtus adulta iam hyeme maximus factus eſt, arbores autem frondeſcere cœperunt, quibus foliis virentibus Deo Martyrem ſuum honorante, plerique ægri ſanitatem, illorum deuota applicatione, receperunt: Pars tamen venerandorum eius pignorum iampridem ad S. Dionyſij Cœnobium delata per Dagobertum Regem illius Cœnobij fundatorem, ibidem proprio in feretro, & ſacello Religioſo cultu aſſeruatur.

Martyrol. Gall. 13. Ian. item Hiſp. eod. die.

Pars eius Reliquiarum ad S. Dionyſij Cœnobium à Dagoberto Rege portata.

Te meritò beatam ſub tanti patroni ex Hiſpaniæ finibus diuino Numine tuis commodis immiſſi auſpiciis, ſecurãque tanti Martyris patrocinio fruentem deprædicas, ô Gallia, qui enim bonorum omnium cumuli inuicti Martyris precibus meritiſque in tuum copioſe ſinũ non emanarunt, hodieque

promanant? quæ morborum genera à finibus tuis deuote imploratum non arcuit tanti protectoris auxilium? si enim dum certatim, vel ipsam vestimenti fimbriam alterius S. Firmini Vceticæ in Narbonensi Gallia Episcopi contingere infirmi cuperent, ex eius contactu sanitas effluebat, quanta ad Dei honorem sanctæque Fidei propagationem prodigia, S. Firmini martyris Reliquiarum virtute, ipsiusque lapidis pretioso eius sanguine respersi efficacia sequentibus sæculorum interuallis in lucem prodiisse procul dubio affirmare possumus, cum ad recentiorem eius sepulchri aperturam S. Saluij digniſſimi eius successoris iussu factam *odor suauissimus illico tantus excreuerit, quasi illic omnia pigmentorum, & aromatum genera contunderentur, virensque ager* (vti Translationis acta loquuntur) *diuersorum florum amœnitate adesset.*

Martyrol. Gall. 11. Oct. S. Firmini Vceticę Episcopi fimbriæ tactus ægros sanabat.

5. Ianuarij.

Superiùs Eurici Gothorum Hispaniarumque Regis in Catholicos, & maxime in Præsules feritatem deplorauimus, qua sanctos Pontifices ex Gallia in Hispanias, vt sanctum Volusianum Turonensem, & ex Hispania in Galliam vt S. Pastorem Episcopum Palentinum relegauit; & sicut ille exul apud Sarcinum in Hispania occubuit, vt inquit Turonensis, sic S. Pastor apud Aureliam in Gallia viuere desiit: sanctissima vero eius pignora in Hispaniam translata fuisse, & in eius Ecclesia reposita, & postea Sarracenorum excidio à Palentinis Christianis ad Libanienſia montana, ne in Arabum inciderent manus, allata coniicere videtur Anamnesis Sanctorum Hispaniæ auctor, aut certe à S. Turibio Palentino, & S. Pastoris Conciue ex Gallia ad ipsius Libanienſe Cœnobium adsportata veriùs suspicatur.

L. 2 c. 16. Hist. Franc.

Ad cuius coniectationis efficaciam se rapi asserit D. Episcopi Pampilonensis verbis, qui postquam de Monasterio S. Mariæ Piascæ in Libanienſi termino sito verba fecisset, prosequitur lingua materna, cuius clausula latinitate donata procedit in hunc modum: *In quodam Eremitorio huius Cœnobij S. Mariæ Piascensis iacet corpus cuiusdam S. Monachi, qui olim vitam egerat Eremiticam, quem adhuc oppidani vocant S. Pastorem; tegitur sub sepulchro in medio Eremitorij, annua-*

In Fundatione Cœnob. S. Benedict. Castellæ in Cœnob. SS. Facundi & Primitiui, §. 59. fol. 75.

tim

tim ergo omnia populorum vicinorum Concilia Litaniarum tempore illuc concurrunt, & facto sacro discedunt: Sed non Monachi corpus, sed S. Pastoris Episcopi Palentini extitisse crederem, subiicit citatus auctor, quia S. Turibius, inquit, cum Libanense Cœnobium construxit anno vt creditur 536. nonnullas sanctorum reliquias illuc attulit, inter quas cum è Roma Gallias peragrasset, cognita sanctissimi Episcopi Conciuis morte, quis dubitat sacra eius Lipsana translata ab eo, secumque ad Libanense Cœnobium inuecta, vbi cum S. Turibij & aliorum exuuiis quieuêre.

Hic autem prudens Lector huius prolixioris de sacris Reliquiarum Lipsanothecis discursus materiem vix vnquam finem habituram vna mecum animaduertet, si singula Sanctorum vtriusque nationis corpora, nobilesque exuuias, quæ tanquã pretiosa mutuæ illas inter gentes sancitæ consuetudinis pignora in vtroque regno singulari cum honore, cultuque asseruantur, in medium producere niteremur: Ex his vero, quorum meminimus, colligi facilè poterit innumerabilis prope aliarum Reliquiarum multitudo, quibus tam Iberi ex Gallia, quam Franci ex Hispania progenitis Sanctissimis viris, ac Virginibus aliisque insignibus Matronis locupletantur, vnde Baroniani operis egregius Continuator asserere non dubitauit, quod *Franci sæpe Hispanos sacris donis ornarunt, necnon & corpora integra Sanctorum concesserunt*; Quod de Iberis pariter pretiosissimis huiusmodi thesauris Gallicanam Ecclesiam locupletantibus affirmare meritò possumus. Spondan. an 1248. 6.

Habentes igitur tantam nubem testium, ô Galli, Iberique, est quod iure gloriemini, tantisque prouinciarum vestrarum Patronis gaudeatis: Hi profectò sunt qui vos in Maioribus vestris Christi agnitione cultuque imbuerunt, Religionem ab initio tradiderunt, ac deinceps per traducem doctrinæ & operationis, ac successionis Apostolicæ propagarunt; Et reuera prætermissis Apostolis, qui (iuxta saniorem prudentum opinionem) in præsentiarum Cruciarij vexilla in vestris regionibus fixere, quorumque famosissimis Compostellæ, necnon & Tolosæ ditati estis pignoribus,

quot Deus immortalis ! Sanctorum Martyrum exuuias poſſidetis, qui rem ab illis incœptam proſecuti ſanguine ſuo effuſo feliciter abſoluêre, non eo duntaxat nomine prædicandi, quod omnia pœnarum genera intrepide ſubierint, ſed quod inſuper quaſque illecebras forti haud minus animo ſpreuerint, ſuperarintque ?

Quot, amabo, ſancti Doctores, Pontifices, ac Sacerdotes veſtris in Baſilicis requieſcunt, qui difficilia quæque & ardua, vt creditum veſtræ ſalutis opus proueherent, obiêre, dum cæleſtium deſiderio rerum incenſi, & aſſiduis circa veſtrarum ſalutem animarum, conuerſionemque, excitationem inſuper Eccleſiarum, conſtitutionemque occupationibus inſiſtentes, ſanctiſſimæ Chriſti Seruatoris vitæ imitandæ, ac doctrinæ dilatandæ omni ſtudio incubuerunt, neque diebus quietem neque noctibus admiſêre, vt ſuis exemplis monitiſue populos, quibus præluce-bant, in viam pacis ac iuſtitiæ, beatæque æternitatis ſemitas perducerent ?

Qua vero in parte miraculorum conſtituemus numeroſos ſanctorum Monachorum, & Anachoretarum greges terrarum veſtrarum incolas, defenſoreſue ? quibus tota pene vita martyrium fuit, qui eas humanæ vitæ blanditias, quibus oppreſſa virtus conniuere nonnumquam ſolet, fortiter à puero repudiarunt ; homines curarum illecebris & negotiorum anfractu expediti, toti hærentes origini ſuæ Deo, quibus cibus ieiunium fuit, paupertas opulentia, maceratio carnis delitiæ, qui quod rarum & difficillimum eſt, antequam morerentur, ſponte cœperunt de viuis exire ; qui à corpore, & hoc ſenſuum commercio auocati, ad diuinarum rerum cognitionem curam omnem, ſtudiumque traduxerunt ?

Quot virgines ô Superi ! quarum candidis liliorum ſertis vtriuſque regni Eccleſiarum viridaria mirifice fulgent ac promicant, æque ſuſpiciendæ veniunt, quæ Chriſto inſolubili virginitatis voto deſponſatæ, omnem à ſe ſenſuum & cogitationum fœditatem repulerunt, morumque ingenuo candore, puritate animi, integritate carnis Angelorum

vt

vt nitorem & munditiem, sic societatem & familiaritatem assecutæ, nec blanditiis nec minis à castitatis cultu abduci potuerunt, in tolerandis suppliciis, ac ipsa morte subeunda, (si sexum spectes ac tenerrimam aliquarũ ætatem) aut aliis Martyribus fortiores, aut æquales factæ, imbecilliores certe numquam? Quot præterea Continentes ac Viduas sinu vestro foueris, ac cæteros quosuis horũ beatos assecias, qui status huius beneficio meditandis diuinis rebus facti peculiariter idonei, nempe mundanis soluti curis, quasi essent extra carnem positi, cœlestis in terra vitæ tramitem inierunt, perennique sui cordis & corporis holocausto, tanquam *rationabili hostiæ viuentis obsequio*, Deo per omnia complacere studuêre, operibus iustitiæ ac misericordiæ intenti, omnique pietatis officio insistentes. Rom. 12. 1.

Quot sancti tandem Coniugati qui fide, prole, & Sacramento casto in connubio diuinitùs locupletati iis virtutibus, quæ hac in vocatione ab Apostolo commendantur, claruerunt, castitatis & sanctimoniæ studiis, charitatisque operibus sedulò defixi, religionis zelo ac perpetuo innocentiæ affectu incensi, quibus virtutũ characterismis insigniti Laicali suo in statu Christo militantes, perfectũ sanctitatis decus emeruêre; operatique iustitiam cum cæteris beatissimis Hispaniæ Gallicanæq; Ecclesiæ alumnis atq; patronis, repromissiones diuinas sunt adepti; quibus vt in cœlo immortalem acceperũt gloriam, sic & in terris perpetuum nominis splendorem & meritorum, quin & pignorum, cinerum scilicet & ossium, quæ in sepulchris, vt Propheta prædixit, germinauerunt, perennem clarificationem: quid autem sacra illa corpora, quid cineres, & quid ossa vobis clamant, nisi vt eorum exemplo, Christi vestigia secuti pacem, mutuamque inter fratres dilectionem quam idem omnium Dominus & magister suis pro discipulatus sui tessera, vnicamque testamento à se condito hæreditatem carissimis legauit filiis, omni conatu studioque sectemini. Ibid. v. 9. & seqq. Esai. 66. 14.

Percipite, quæso, attentis auribus non meas sed illorum voces, sic enim aiunt: Nos, cum dira persecutorum rabies in Galliis sæuiebat, ad vos tanquam ad tutissimum

ô Hiſpani aſylum confugiebamus ; Nos pariter, ô Galli, ſubiiciunt Iberi , turbulentis gentilitiæ feritatis ac ſæuitiæ procellis è patria extorres , atque apud vos in exilium amandati, perhumano excepti hoſpitio in veſtro ſinu, tranquillitate , dulcique otio potiti , mentis quietem corporiſque læti guſtabamus , vnde & veſanus ipſe barbarorum furor , immitiſque gladius nos inuicem tenaciùs connectere videbatur , ita vt cor vnum & anima vna effecti , mutuis fraternæ charitatis obſequiis beatam in recolendis Chriſtianæ pietatis officiis cœleſtemque vitam degere cenſeremur.

Qua autem nunc ratione debellatis ac penitus proſtratis Chriſtianæ Religionis hoſtibus , eneruatis inuicta Crucis virtute Tyrannorum viribus , ſopitiſque perſecutionum Eccleſiæ tempeſtatibus , & ad nihilum redacta ipſius aduerſariorum poteſtate , intra vrbium veſtrarum ſepta vix modo tuti , atque vix vllus in tam vaſto Iberiæ , Galliæque Prouinciarum ambitu nobis relictus quieſcendi locus ; quid ? Num ſingulari iam Numinis gratia effrænatus ille calamitoſi ſuperioris ſæculi prorſus reſedit furor , quo concitata inſanorum veſania Nouatorum eò vſque dementatæ proceſſit audaciæ, vt poſtremis his temporibus Galliæ vniuerſa pene Sacraria venerandis Beatorum pignoribus euacuarint, & quæ maiorum pietate tanta reuerentia tot ſæculis fuerant ad tutelam patriæ feliciter conſeruata , tam pretioſa ſpolia tragicis direpta modis penitùs diſſipauerint ; Iuſtiſſimaque ſupremi vindicis ſententia iampridem illa quæ infernus euomuerat impietatis monſtra , in orcum retruſit.

Et tamen etiamnum quies noſtra inteſtinis abrumpitur diſcordiis, ad vos ſecure tranſmeandi facultas denegatur, ô Galli , & nobis viciſſim queruntur Galli libera ad vos tranſeundi ſemita intercluditur ô Iberi ! Quid hoc ? Quantum mutatus primæuo aurei illius quondam ſæculi tempore vigens ordo rerum , in quo ambæ ſibi conterminæ nationes mutuum ſibi calamitoſo ciuilium , ſacrarumque rerum ſtatu præſidium ſubminiſtrabant, conuolanteſque hinc inde

in

in aduersis fratres mœstos ac pene exanimes amantissimo sinu fouebant, tuebanturque, & nunc, tartareo discordiarum parente teterrimi in singulorum animis odij zizania seminante, vtriusque nationis populi à se penitùs auersi nonnisi mutuam animæ corporisque ruinam meditari, continuisue bellorum ac dissidiorum tumultibus moliri videntur! imò iam certa propemodum melioris rerum status affulget fiducia, en iam noster ad cœlum vsque peruenit clamor, si quidem nostris propediem arridebit votis, & cum magis desperata longiusue amandata censeretur optatæ serenitas pacis, en repentino benefici Numinis flatu lenis aura reducis ab exilio pacis spirare cœpit, ita vt dissidentes mortalium animi supremo Dei corda regentis, & quando, & quomodo, & quo vult mouentis, impulsu, diuinoque imperio in contraria leui temporis momento studia penitùs immutati depositis armis, clausoque Iani templo, gratissimas in pacifico Summi Dei Pacis nomine gaudentis sanctuario sancitæ recèns confœderationis primitias obtulêre.

Cæterum ex illa laudabili inter vtramque gentem sacrorum pignorum communicatione strictissimum mutuæ inter eosdem populos confœderationis nexum expendere licet; *Propter defunctorum enim virtutem*, teste Chrysostomo, *Domini bonitas viuentium miseretur:* Quare si propter defunctorum Gallorum sanctitate illustrium merita, quorum sacræ exuuiæ apud Hispanias coluntur, plurima Iberi à diuina bonitate, Francique pariter ob concessas ipsis Sanctorum Hispanorum Reliquias commoda, beneficiaque recepêre, vtramque profecto gentem sibi vicissim multis obstrictam nominibus censeri nemine refragante possumus affirmare. Hom. 42. in Genesim.

Ad celeberrimum D. Iacobi maioris Zebedæi filij Apostolorum Protomartyris, S. Ioannis Theologi fratris, Christi discipuli, Hispaniarumque Apostoli, necnon singularis Patroni ac Tutelaris Compostellanum templum modo conuertamus orationem, cuius diffusa per totum orbem fama innumeris vndique populorum greges ad celebrandam tan-

ti Apoſtoli exuuiarum tot prodigiis illic coruſcãtium memoriam, debitoque honore proſequendam tantis abhinc ſæculis allexit, nunc etiam magis ac magis impellit, quominus ſanctam ad illud vnicum totius Hiſpaniæ aſylum peregrinationem tantis Summorum Pontificum Indulgentiis ditatam ſuperatis itinerum difficultatibus, moleſtiiſue læti atque alacres ſuſcipiant; ad noſtrum præcipue inſtitutum ex ingenti totius orbis ad ſacrum locum concurſu Francos ſeligere par eſt, qui venerandum Apoſtoli ſepulchrum vniuerſo patens orbi miraculorum promptuarium frequentes adiuêre, præcipuaque reuerentia colere ac venerari conſueuêre.

Io. Mariana l. 7. c. 10.

Vbi ſanctiſſimi Apoſtoli ſepulchrum Hiſpanis innoteſcere cœpit, quod circa annum à parturiente virgine octingenteſimum à Theodomiro Irienſi Antiſtite mirandis luminibus ſupra Apoſtolicorum pignorum locum coruſcantibus ad ſedulam pretioſiſſimi theſauri inquiſitionẽ excitato repertum fuit, mox Gallia cæteras inter prouincias, vtpote Iberis proxima, ad tantæ rei, inſigniumque miraculorum Beatiſſimi Apoſtoli meritis illic à Deo patratorum famam confluxit: Porrò Carolus Magnus ab Alfonſo Caſto tunc Hiſpaniis dominante rogatus, Summum Pontificem Leonem huius nominis III. deprecatus eſt, vt Præſul Irienſis Compoſtellam migraret, illicque cathedram, loci cohoneſtandi cauſa, figeret; quod & alibi adnotauimus.

Quin & Carolus mira in Sanctorum ac Reliquiarũ veneratione propenſione zeloque plurimùm commendandus (ſi nonnullis haud inferioris notæ ſcriptoribus fidem adhibere velimus) Hiſpanias adiit, vt quæ fama de nuper inuento D. Iacobi corpore prædicabat, præſens oculis luſtraret, (maiorem viæ partem, veſtem ſetis horrẽtem geſtauit) quò cum appuliſſet, Apoſtolicam Baſilicam ſacra Chriſti Domini Fratris pignora pie veneraturus intrauit, vbi Religioſum Apoſtoli Mnemoſynon, ex ara Columnaque conſtans (quas eiuſdẽ Sancti diſcipuli erexere, vt ſuper aram Apoſtolicum corpus imponerent, ara ſuper columnam poſita, vt inibi ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium peragerent) deuote oſculatus

Martyrol. Gall. 28. Ian.

ſua

ſuaui precum odore perfudit, riteq; perſolutis Deo, cariſſimoq; ipſius Apoſtolo votorum ſuorum muneribus digna tanto principe munificentia ſepulchrum ornari mandauit, illudque nefandis idolorum ſpurcitijs offuſum hodierno honori reſtituit.

Eumdem quæſo Ioan. Marianam de Hieroſolymitano Rege ex Francia originem habente Compoſtellã adeunte diſſerentem audiamus. Ioannes Brena homo Gallus Hieroſolymitanus Rex, perditis ptopemodum in Syria rebus colligendi auxilij ſpe in Italiam nauigauit, vbi Violantem filiam Friderico II. Imp. vxorem dedit: Ex eo quoniam vir Siciliæ iura dabat, vxorq; hæres patris erat, Sicuſi Reges Hieroſolymitani regni titulum vſurpare cœperunt: His nuptiis celebratis Barcinonem venit, vbi benigne à Iacobo Aragoniæ Rege acceptus, atq; habitus aliquamdiù in Caſtellam penetrauit voti reus Compoſtellani templi inuiſendi: Veniẽtem Rex Ferdinandus non minori lætitiæ ſignificatione coluit: Berengariam præterea ſororem hoſpiti & aduenæ regi ex ſacra peregrinatione redeũti, cõnubio iunxit: Raymundum quoq; Prouinciæ comitẽ cum baculo & pera Compoſtellam omnibus ignotum adiuiſſe ex eodem Mariana accepimus.

Bolland. 28. Ianuar. t. 2. c. 16.

Anno 1232.

De Sancto Morando S. Hugonis Cluniacenſis Ætheriarchæ diſcipulo eiuſdẽ Cœnobij Chronicon fidem facit, quod ex Germania Cluniacum ob claram Religionis famam ad Beatum Abbatem ſe contulit, eius orationum ſuffragia petiturus, cuius ſalutaribus colloquiis, fratrumque religione inſpecta ſic eſt liquefactus, vt ſe futurum monachum promitteret, ſi peregrinatione, quam in Hiſpaniam adornabat, peracta, Dominus ſibi concederet pacifice redire: Soſpes igitur ad Cluniacum reuerſus, monachum ibi profeſſus eſt.

Martyrol. Gall. 3. Iunij.

Præterea S. Theobaldum Eremitam Caſtro Pruuino in Senonũ finibus ex priſca Francorũ nobilitate ortũ in Gallicanis legimus Faſtis clandeſtina ſeceſſione primùm quemdam Anachoretam in Sequanæ inſula Chriſto famulantẽ adiiſſe, tum in Germaniã, quo facilius latitaret, vna cum milite voti ſui cõſorte profectũ, ibique multo tẽpore volũtariã paupertatẽ Chriſti amore ac imitatione coluiſſe, multoq; ſibi labore

Ibid. 1. Iulij.

& vilibus officiis victum quæritaſſe ; ex quibus ſudoribus collecto tenuiſſimo deuotæ peregrinationis ſubſidio voti cauſa ad ſepulchrum S. Iacobi in Hiſpaniam profectus eſt.

Ex eiuſdem ſupplemento 25. Iulij.

Iacobus inſuper Gaſtolius ortu Graſſenſis, profeſſione Monachus Lerinenſis poſt luſtratum, adoratumque Sanctum Domini ſepulchrum, viſaque SS. Apoſtolorum Petri & Pauli limina, poſt viſitatum inde S. Iacobi in Galicia ſepulchrum, intra Lerinenſe Monaſterium ſe recluſit, cumque per multos annos ab eſu carnium abſtinuiſſet, etiam infirmus, & omni tempore quintam Feriam ſolo pane & aqua contentus ieiunaſſet, atque in vita & morte non modicam ſanctitatis ſpeciem prætuliſſet, quinta etiam Feria poſt abſolutum in choro cum fratribus matutinarum horarum officium regreſſus in cellam placida morte quieuit.

Idem 10. Feb. & 5. Iulij.

Denique S. Guilelmus Eremita, atque inſignis Chriſti Confeſſor, quintus olim Aquitaniæ Dux & Pictauiæ Comes, Godefridi Ducis itidem & Comitis filius, qui ſuo ſæculo peccati & gratiæ prodigia actorum viciſſitudine in ſe ingentia exhibuit, fauſta enim fuere eius initia, progreſſus infauſti, ac vltima conuerſatio feliciſſima, morſque coram Deo pretioſa ac beata fuit; cum autem Deo miſerante, ſanctique Bernardi ipſi diuinam iram interminantis, Chriſtumque in tremenda hoſtia exiſtentem repente ipſi proferentis monitis perditæ vitæ ſuæ, quam nemo neſcit, præteritæque ſcelerum fæcis profluuium in gratiæ & ſanctitatis pelagus tranſformare decreuiſſet, abiecto penitùs ſæculi amore faſtuque, tegendi religioſi, quod conceperat, deſiderij cauſa, poſtquam domui diſpoſuiſſet, peregrinationem ad S. Iacobum iniit exiguo comitatu, quo etiam dimiſſo, ac ſimulato obitu, quem per fideles famulos peruulgauit, cum Alberto, quem vnicum retinuit aſſeclam, Romæ clam cõſulto Eug. III. Sum. Pont. Hieroſ. petiit Chriſti cunabula & funera veneraturus.

Hiſt. Franc. ſcript to. 4.

Ipſum denique ad S. Iacobi Limina profectũ, illic moleſtia corporis infirmitateque deuictum ſãcte diem obiiſſe Francorum ſcriptores atteſtantur ; probabilior tamen ac vulgatior affirmat ſententia ipſum Hieroſolymis in ſolitudine degentem, & ſumma animi puritate, carniſque maceratione,

ne,quam nudam lorica ferrea premebat, placando Deo intentum, dehinc post nouennium erumpente sanctitatis gloria diuersa per latibula ingressum, vbique vitam ducentem Angelicam, dæmones triumphantem, superniſque fruentem solatiis, demùm in Italiam rediisse, atque apud stabulum Rhodis, Guidonis pij presbyteri consilio in locum horroris vastæque solitudinis se recepisse, vbi mapali modico, vilique tuguriolo constructo, per annum ferme & dimidium in mirabili victus asperitate superuixit, tantaque sanctitate conuersatus,vt inter feras & serpentes securus degeret, volucresque ipsius innocentiæ testes cum eo vescerentur; sic tandem absoluti feliciter stadij diuinitùs præmonitus,euocato Sacerdote diuinum viaticum ad gloriã percepit, atque vultu clarificato beatam ad Christum animam emisit.

Cæterum tanto deuotionis ac pietatis ardore Franciæ regni indigetes sacram hanc semper peregrinationem sunt prosecuti, vt Balduini Comitis Tolosani frater, Regisque Francorum consobrinus, cum è Monte-ferrato exisset, auditis quæ grassatores quidam Crucesignatorum odio in quosdam peregrinos è S.Iacobi sepulchro redeuntes hostili furore patrarant latrociniis, re sedulò comperta, diligenterque perquisitis,quas illis abstulerant rebus,sarciniſve,profelici suæ conuersionis principio, futuræque virtutis auspicio,omnia in solidum restitui præceperit.

Feruens sane Calixti II. Pont. Max.in S.Iacobi Apostoli memoriam pietas hîc post remum licet,non tamen infimum sibi vendicat locum, qui Gallica inter Burgundiones prosapia oriundus de Sancti istius Christi germani fratris miraculis egregium conscripsit libellum,quæ sparsim disiecta in vnum compilando volumen studiosè collegit, in quo plures Gallos enumerat, qui B.Apostoli opem in sua dicta Basilica miraculosè experti fuere; quos inter Francus quidam anno reparatæ salutis 1100.mortalitatem hominum quæ in Francia erat vitare desiderans,cum vxore & filiis S.Iacobũ adire disposuit, qui cum ad vrbem Pampiloniam veniisset,defuncta ibi vxore sua, hospes eius totam illius pecuniam cum iumento,quo pueri vectabantur,retinuit:Ille tamen sic penitus

Calixtus II. PP. Gall. in S. Iacobi Apost. valde Pius.

Apud Vinc. Bellouac. in Specul. Hist. l. 26. c. 33. in med.

audiens, sed respondere non valens per triduum mutus fuit, vnde socios suos de salute corporis & animæ suæ vehemẽter turbauit: Quarta autem die vigilantibus circum eum, & mortẽ eius expectãtibus grauiter suspirãs dixit: *Gratias ago Deo & S. Iacobo, quia liberatus sum*, & quærentibus quid dixisset: *Ex quo*, inquit, *decubui, volebam facere quod monebatis, sed cum hoc cogitarem, venerunt ad me dæmones ita me constringentes, vt nihil loqui possem, quod pertineret ad salutem; Et vos quidem audiebã, sed respondere non poterã, sed modo huc intrauit S. Iacobus ferens in sinistra manu sacculum mulieris, & in dextra baculũ pauperis, quos in itinere sic adiuui: burdonem habebat pro lancea, & sacculũ pro parma, & statim quasi iratus veniens, elenato baculo fugiẽtes dæmones coègit exire; Et ecce B. Iacobi gratia me liberauit, & loquelã mihi reddidit: facite ergo venire Presbyterũ, quia diutius in hac vita permanere non possum*; qui cũ morã faceret, vnum de sociis admonuit dicens: *amice noli Domino tuo amodò militare, scias enim quod veraciter est dãnatus, & mala morte in proximo moriturus*, quod postea probauit rei euẽtus: sepulto socio cũ rediissent, & illi Dño hoc dixissent, ipse se non emendãs, pro somnio verba corũ duxit; sed paulo post in bello lancea cuiusdam militis transfossus interiit.

Idem Calixtus II. Papa duorum fratrum S. Iacobo deuotorum peregrinationem refert in hunc modũ: Nuper Comes S. Ægidij Pontius nomine cum fratre suo iuit ad S. Iacobũ, quo perueniẽtes rogauerũt Ædilẽ, vt ante corpus Apostoli permitteret eis vigilare; consuetudo autem erat vt post solis occasum ianuæ eiusdẽ oratorij clauderentur vsq; mane; qui noluit; at illi tristes receserũt ad hospitia sua, & congregãtes omnes peregrinos societatis suæ parauerunt sibi luminaria, quæ tenerẽt in manibus, & cõfortati in fide venerũt ad ianuas clausas fere 200. peregrini, & orantes dixerũt alta voce: *S. Iacobe, si tibi placet peregrinatio nostra, aperi nobis oratorium tuum*: nondum verba finierãt, & ecce ianuæ cũ tanto strepitu apertæ sunt, vt putarẽt eas in minutias fractas; rupta sunt autem repagula, & seræ, & catenæ quibus obserabantur. Idem Ibid. c. 38.

Est omnino cur florẽtissima gens Iberorũ tanto Pont. Gallo sanctissimi Protectoris sui Iacobi Apostoli Translationis

histo

hiſtoriam ſcribenti, plurimorumque ipſius meritis editorum ad Dei honorem populorumque ingentia commoda miraculorum præconi æternas referant gratias, memorique eiuſdem Calixti laudes recordatione digniſque proſequantur encomiis; ſed & alios iſte miraculoſus tonitrui filius Hiſpaniarum columen famoſiſſimæ ſui corporis exuuiarum Tranſlationis ſcriptor etiamnum Gallos feliciſſimo prorſus euentu ſortitus eſt: Cum enim vetuſtiſſimus Anonymus auctor ante ſexcentos annos in Floriacenſis ſiti ad ligeris ripas in Gallia Cœnobij ſacrorum Cuſtodis S. P. Benedicti reliquiarum membranis exaratum de S. Iacobi Apoſtoli, S. Io. Euangeliſtæ fratris Tranſlatione commentarium deſcripſiſſet, ac poſteris reliquiſſet, hoc noſtro ſæculo Floriacenſis Bibliothecæ auctoris laudabili opera primum è latebris emerſit, & antiquariorum vſui expoſita; quam ad Philippum Hiſpaniarum atque Indiarum Regem Catholicum ſupplici dono miſit, cui Epiſtolarem hanc præfationem, tanti Principis gratiam gratiſſimo hocce munuſculo aucupaturus inſcribi curauit, quam hic nos referendam duximus.

Io. à Boſco Celeſtin. in Bibliot. Floriacenſis Xiſto dextro, Commentario de trãſlatione S. Iacobi Apoſtoli pa. 181.

PHILIPPO *Catholico Hiſpaniarum Regi Ioannes à Boſco Celeſtinus, pacem Dei quæ exuperat omnem ſenſum. G. Pax illa quæ inter Regiam FrancoGallici ac Nauarrei admirandi Regis Henrici IV. Maieſtatem, Tuamque, maximo Reipublicæ Chriſtianæ viget commodo (Philippe Regum potentiſſime) iconem tuam licite Xiſtis Regiæ FrancoGallicæ Bibliothecæ mihi inferre permittit: Rex quippe meus vt ſuos aſpero intuetur hoſtes oculo, ſic lemi & placido vultu contemplatur amicos, nihilque habet optatiùs, quam ſibi beneuolentia coniunctorum Regum bene frægrantem odorari famam, ac videre decorem; Cuius ego propenſioni inſeruiens, volui exigua quidem cartharum mole, at permaximo, rei æſtimatione, munere, tuam adornare florentem ætatem, & vernantem comere proſperitatem; nam cum Iberorum D. Iacobus Ioannis frater, Chriſti Apoſtolus Primarius Tutelaris exiſtat; quod acceptius, iucundiuſque tibi à quoquam hominum poterat offerri donarium, quam certam, veram, antiquam, ac eruditam de Hiſpaniarum patrono mundo inuehere relationem? multi de eo multa, vana, incerta vero pene cuncta, aut dubia ſcripſe-*

re

re. At iam nunc per me Gallia tibi omnem Hispanorum ad Christi fidē conuersionis primigeniam historiam veracem pandit, quidque de ipsius Apostoli venerandis Lipsanis credendū sit, ac existimandum, cunctis fabulis reiectis, transmittit, vt vel hoc eximio & maximo in te tuosque populares officio experiaris ipsam tuo splendori, ac illustrationi addictam, sed quandiu integrum & incorruptum clam ac palam fœderis nexum cum ea seruabis initūm: quomodo namque suis ipsa fortiter resistere consueuit aduersarijs, ita fausta, læta, honesta, & vtilia omnia impendere solita est amicis: Est quippe magna illa & fortis Danielis arbor, cuius proceritas cælum Daniel. 4. *contingit, cuius aspectus est vsque ad terminos vniuersæ terræ; cuius sunt folia pulcherrima, & fructus eius nimius, ac esca vniuersorum in ea; subter quam habitant animalia ac bestiæ, & in ramis eius conuersantur volucres cæli; denique ex qua vescitur omnis caro: floreat igitur per hunc vetustum Floriacensem Gallicum auctorem historiæ Translationis B. Iacobi Christi cognati veritas, & per totum orbem tuis faustis dilatetur auspiciis; nec floris huius, quem tuo odoratui amica iam Gallia admouet, spreueris odorem, asperneris pulchritudinem; ab inito etenim regno nullus tuæ Maiestati suauior ac elegantior oblatus est, vel poterit aliquando offerri. Vale. Lugduni Galliar. Id. Septemb. an. 1565.*

Celebris est in Gallia ad D. Martini tumulum sacrosque cineres peregrinatio, ad quam pluries Hispanos turmatim conuolasse vetera testantur illius nationis monimēta; Inter quos mirum in modum elucet Theodomiri Sueui regis (hic etiam Charricus apud auctores nuncupatus reperitur) ad vltimos Hispaniarum fines in Gallœcia regnātis erga nobilem Christi Confessorem pietas, quæ perfecta ipsius ad rectam fidem conuersione sanctissimi Præsulis ipsi opportune suffragantibus meritis à Deo, *qui neminem vult perire, sed potius omnes cupit ad veritatis agnitionem venire*, duplicato gratiarum fœnore nempe patris in animo, & filij in corpore perfecta sanitate compensata fuit; cuius fortunatæ conuersionis occasionem ex Gregorio Turonensi, qui res illius temporis scripsit, depromimus, qui ait: l. 1. miraculorū S. Martini c. 11.

Charrarici cuiusdam Regis Galliciæ filius grauiter ægrotabat, qui tale tædium incurrerat, vt solo spiritu palpitaret; Baron. anno 560. circa med.

pater autem eius fœtidæ se illi Arianæ sectæ vnà cum incolis loci illius subdiderat; sed & regio illa plus solito, quam aliæ prouinciæ, lepra sordebat: Cumq; Rex videret vrgeri filium in extremis dicit suis [Martinus ille, quem in Galliis dicunt multis virtutibus effulgere, cuius, quæso, religionis fuerit enarrate] cui aiunt; Catholicæ fidei populum pastorali cura in corpore positus gubernauit, asserens Filium cum Patre & Spiritu S. æquali substantia, vel omnipotẽtia coli debere, sed & nunc cæli sede locatus, & assiduis beneficiis non cessat plebi propriæ prouidere; qui ait, si hæc vera sũt quæ profertis, discurrant vsque ad eius templum fideles amici mei multa munera deportantes, etsi obtineant mei filij medicinam inquisita Fide Catholica, quam ille credidit, credam; pensato ergo auro, argentoque ad filij pondus ad venerabilem sepulchri locum transmisit: qui profecti oblatis muneribus exorant ad Beati tumulum pro ægroto, sed insidente adhuc in patris eius pectore secta, non continuo integram recipere meruit medicinam:

Reuersi autem nuntij narrauerunt regi se multas virtutes ad Beati tumulum vidisse, dicentes: cur non sanatus fuerit filius tuus, ignoramus; At ille intelligens non ante sanari posse filium, nisi æqualem cum Patre crederet Christum, in honorem B. Martini fabricauit Ecclesiam, miroque opere expedita proclamat: [si susciperе mereor viri iusti Reliquias, quodcumque Sacerdotes prædicauerint, credam] Hæc idcirco de Reliquiis, quod scilicet omnes qui alicui Sanctorum Ecclesiam fabricassent, sanctuaria accipere solerent, nempe veli partem, quæ sepulchro illius Sancti superposita fuisset, vt ex S. Gregorij Epistolis, & S. Leonis Magni gestis liquet: sed pergit Gregorius.

Et sic iterum suos dirigit maiori cum munere, qui venientes ad beatum locum, reliquias postulabant; cumque eis offerrentur ex consuetudine, dixerunt, non ita faciemus; sed nobis quæsumus licentia tribuatur ponendi, quæ exinde iterum assumamus, tunc partem pallij serici pensatam super beatum sepulchrum posuerunt dicentes: Si inuenimus gratiam coram expetito patrono

quæ

quæ posuimus plus in sequenti pensabunt, eruntque nobis in benedictionem posita quæsita per Fidem [Eumdem plane vsum seruari solitum super corpora Apostolorun Romæ idem auctor affirmat, quod etiam Baronius refert; fiebat enim in signum diuinæ benignitatis impartiendæ petenti, vt eadem vela maioris ponderis reciperentur, quam data fuerant, secus si contra] sed de pallio serico quid Legatis acciderit, audi:

Vigilata, inquit, vna nocte, facto mane quæ posuerant, pensitabant; in quibus tanta B. viri infusa est gratia, vt tamdiù eleuarent in sublime æream libram, quantum habere poterat quo ascenderet momentana; cumque eleuaræ fuissent Reliquiæ cum magno triumpho, audierunt voces psallentes eorum qui erant in ciuitate detrusi carcere (nonnisi enim cum psalmodia Reliquiæ transferri solebant) & admirantes suauitatem soni, interrogant custodes quid hoc esset; qui dixerunt, Reliquiæ Domini Martini in Galliciam transmittuntur, & ideo sic psallitur; tunc illi lachrymabili voce aërem implere cœperunt, summisque precibus iuuocabant S. Martinum, vt eos sua visitatione liberaret, exterritisque custodibus, & in fugam versis, diruptis retinaculorum obicibus liber populus surgit à vinculo, & sic vsque ad sancta pignora, plebe inspectante, venerunt, osculantes flendo beatas Reliquias, simulque & gratias B. Martino pro sui absolutione reddentes, quod eos dignatus fuerit sua pietate saluare:

Tunc obtentis per Sacerdotem à iudice culpis incolumes dimissi sunt; Quod videntes gestatores Reliquiarum gauisi sunt valde dicentes: nunc cognouimus, quod dignatur Beatus Antistes nobis peccatoribus propitium se præbere (fuerunt hæc eorum quæ facienda erant in Gallicia in solutione perfidiæ vinculorum signa prænuntia in catenarum fractione monstrata:) Sed prosequitur cætera Gregorius Turonensium Oraculum: Et gratias agentes, prospero prosequente patroni præsidio, nauigium vndis leuibus, temperatis flatibus, velo pen-

dulo mari tranquillo velociter ad portum Galliciæ peruenerunt:

Dē Martino peregrino.

Tum vero commonitus à Deo quidam nomine Martinus de regione longinqua, qui ibidem nunc Sacerdos Altiſſimi habetur, aduenit: ſed nec hoc credo ſine diuina fuiſſe prouidentia, quod eo die ſe commoueret de patria, quo beatæ Reliquiæ de loco leuatæ ſunt, & ſic ſimùl cum ipſis pignoribus Galliciæ portum ingreſſus ſit: (perinde ac ſi Martinus Martinum ad Sueuorum conuerſionem aſciuerit, atque perfecerit æque Martinus doctrina, quod Martinus miraculis inchoauerat, vt illud Euangelicum probaretur exemplo quod eſt à Domino dictum: in hoc veritas eſt, quod *alius eſt qui ſeminat, alius eſt qui metit*:)

Ioan. 4.

Quæ pignora, ſubdit Gregorius, cum ſumma veneratione ſuſcipientes, fidem miraculis firmant, nam filius Regis dimiſſa omni ægritudine, ſanus properat ad occurſum; Beatus autem Martinus Sacerdotalis gratiæ accepit principatum: Rex vnitatem patris & filij & Spiritus ſancti confeſſus cum omni domo ſua chriſmatus eſt; ſquallor lepræ à populo pellitur, & omnes infirmi ſaluantur, nec vnquam ibi vſque nunc ſuper aliquem lepræ morbus apparuit: talemque gratiam ibi in aduentu pignorum Beati patroni Dominus tribuit, vt virtutes, quæ ibidem illa die factæ ſunt, enarrare perlongum ſit; nam tantum in Chriſti amore populus ille promptus eſt, vt omnes Martyrium libentiſſime ſuſciperent, ſi tempus perſecutionis adeſſet: Hactenus de his Gregorius:

Lepra cum perfidia per fidem tollitur.

ſuprà cap. 6.

De clariſſimo Eccleſiæ Hiſpalenſis Præſule Laureano honorificam inter alios Antiſtites è ſedibus ſuis fugiendæ perſecutionis gratia Galliæ portum petentes mentionem fecimus, vbi confecta ipſius vitæ præclare geſtorum Epitome inſuper ſingularem eius erga S. Martinum pietatem, deuotamque ad ſacros eius cineres peregrinationem extollere non omiſimus: Nec mirum ſi tanto multis ab hinc ſæculis populorum concurſu Fideles, ipſique à fide, vt modo vidimus, alieni Magni illius Præſulis tumbam frequentarint; Cum ſaluberrimam illic omnis generis infirmitatum medicinam

cinam ac cœleſtem quandam bonorum omnium apothecam reperirent; quis enim niſi veſanæ mentis ac perfrictæ penitùs frontis diuinum Numen ſingulis Sanctis ſuis, veluti gloriæ ſuæ inſtrumentis, & regni ſui miniſtris dona ſua, gratiarumque diuerſitatem impertitum negareaudeat? adeo vt alij detur ſermo ſapientiæ, alij ſcientiæ, alij gratia ſanitatum, alij operatio virtutum; Et ſicut in Eccleſia ſancti aliquot præcellunt dono ſapientiæ, vt Aug. Hieron. Ambroſius, qui diuinis ſuis monitis & doctrinis perpetim Eccleſiam illuminant, inſtruuntue, ita alij prærogatiua fulgent operationis virtutum; in qua tamen alius eminet ſic, alius vero ſic, provt vnicuique donatum eſt à Domino: Et quidem experientia compertum eſt inter Sanctos, qui miraculis poſt adeptam diuinæ gloriæ fruitionem in Eccleſia renitent, vnum quidem ſpeciali cuidam morbo, alium vero alij mederi; alium duntaxat corporeis moleſtiis ſuccurrere, alium vero animi etiam infirmitatibus opitulari: His autem in rebus nulla eſt alia ratio quærenda, quam Dei voluntas, qui diſtribuit ſingulis ſuis amicis provt ſibi complacitum eſt.

Quantum Cluniacenſi Cœnobio Hiſpanorum Reges honoris, & commodi dotulerint, ſupra indicatum eſt: Magnifica eorumdem in Claramuallem eiuſque alumnos beneficia, Regiaſque Cœnobiorum Ordinis fundationes, dotationeſue ampliſſimas ſi non omnes, ſaltem præcipuas fuſiori ſtylo recenſuimus; vnam tamen cæteris omnibus abſque vlla controuerſia ſuperiorem, maiori proinde verborum ac ſententiarum pompa prædicandam huic loco ſua pro viribus luce deſcribendam ſuſpiciendamque ſeruauimus:

In Portugallia Alfonſus I. Rex Scalabim (Sanctarem incolæ dicunt) Sarracenorum arcem munitiſſimam Conimbricæ imminentem expugnaturus, bellum etiam, & arma præparabat: Ex edito vicini montis vertice, concepto voto promiſit ſe Monaſterium conſtructurum, cui totum id, quod oculis luſtrabat, in dotem cederet; viſitur & hodie arcus lapideus, monumentum antiquum ſponſionis, & ſub- Annal. Ciſterc Tom 2. Ann. 1147. cap. 9.

scriptione recenti, cuius hæc verba: [a] *Hic Scalabim expugnaturus Alfonsus I. Portugalliæ Rex votum Christo vouit, daturum se Ordini Cistercienſi cuncta quæ oculis cernere posset decurrentibus aquis in mare, si meritis D. Patris Bernardi fretus vrbem cepisset, &c.*

[a] Brito in Chronico Cistere l. 3. c. 18.

Instabat quintadecima dies mensis martij, & Alfonsus oppugnationem præparabat medio noctis silentio aggrediendam: S. Bernardum in somnis Regi visum, fœlicem exitum cœptis promittentem traditio est, imaginibus tum pictis, tum sculptis, atque vtrisq; antiquis, quæ Alcobatiæ visuntur confirmata, quibus Brandaonius, [b] & Brito fidem [c] adstruunt: Addit hic vlteriùs qua nocte vrbs expugnata, Sanctum orationi intentum in Claraualle, velut alterum Moysem cum suis Fratribus, quasi sollicitum, ac suspiria trahentem priùs, mox lætabundũ, demùm incœpto hymno, *Te Deum laudamus*, in gratiarum actionem prorupisse, quem postmodùm Conuentus prosequeretur: Quin & statim sermone ad fratres habito exposuisse victoriam, quam Deus Alfonso Regi contulisset, ipsorum precibus non frustra tribuendam, nempe sub hoc themate [a] *Benedictus Dominus Deus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellũ*: quasi non solis armis Lusitanis, verum ipsorum etiã precibus parta victoria, vtroſq; Deo redderet obnoxios, atq; vtroſq; de infidelibus triũphantes: Hæc Brito ex antiquis exemplaribus:

[b] L. 10. Monarch cap. 2.
[c] Vbi supra.
[a] Psal. 143.

Quis non videat hic propensissimam ac plusquam paternam Galli Prælati erga Alfonsum, totiusque Lusitanici Regni securitatem, tamque deuoti Abbatis voluntatem? qui licet corpore absens, diuinitùs tamen de periculoso Lusitanicarum rerum statu instructus, illuc confestim precibus & lachrymis beneficus pater aduolauit, Regique ad arma sese disponenti modo omnium optimo adfuit, ita vt sine ipsius mentali saltem interuentu nihil magnum isthic fieret, atque ibi etiam, vbi non erat, ingentia perpetraret: Alfonsus Rex dum victor & voti compos, & voti reus, promissa Deo & Bernardo maturat reddere, Petrum Alfonsum Fratrem ad Sanctum mittit relaturum victoriæ obtentæ gratias, oblaturum perillustre Cœnobium, & Monachos

per'

per quos habitaretur, impetraturum: Extat Epistola Regis ad Bernardum breuis, & rudis, pro illius more sæculi hoc tenore verborum:[b]

ALFONSVS Dei gratia Portugallensium Rex Venerabili Patri Bernardo Abbati Clarauallensium:

Noueritis quod per Dei misericordiam acquisiuerimus Sanctarenam, quæ erat ciuitas munitissima, & iugum super capita nostra; & credimus per bonas orationes vestras, quia nos primùm vobis commendauimus, & promisimus, quod faceremus vobis Monasterium vestri Ordinis, quod parati sumus, vt faciamus sumptibus nostris: Vos mittite ad nos Monachos, & nos, quod diximus, complemus: reliqua quomodo acciderunt, quæque euenerunt, dicet vobis familiaris noster, quem mittimus, ipsum credite; & Nos, Reginam vxorem nostram, & vnicum filium, quem nuper habeo Henricum Deo commendate: Sic pius Rex, & gratus acceptis bonis.

[b] Apud Brit. lib. 3. c. 20.

Haud satis constat, quonam anni tempore Petrus Alfonsus ad virum Dei peruenerit, vix tota hoc in Claraualle inueniendum: Quocumque fuerit, perlectis Regis litteris, atq; Legato aliàs Bernardo noto, non solum reuerenter susceptо, verum amicè, vt quem sciebat, vltra regium sanguinem, multa alia commendare; nec dubitabat à Deo sibi promissum, tandem sancte in Cistercio consummandum; eo, inquã, beneuole susceptо, Abbatiam instituendam acceptauit cum gratiarum actione, ingens haud dubie futurum Cistercij decus; & monachos selectos illuc transmisit, tali ad Alfonsum epistola rescripta,[c] in qua Sanctum scribentem audire non grauabimur:

[c] Brito l. 3. c. 20.

Christianissimo & pio Alfonso Regi Portugallorum Bernardus Clarauallis vocatus Abbas, modicum id quod est:

Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolauit vos in tribulatione vestra, & misit consolationem vobis, & genti vestræ, dum abstulit opprobrium Sarracenorum à conciuibus vestris: Ceciderunt muri Hierico, cecidit Babylon magna, destruxit Dominus munitiones inimicorum suorum, & extulit cornu

populi

populi sui; quod etiam, antequam fieret, resciuimus, reuelante
a Ioann. 3. *spiritu,* [a] *qui vbi vult spirat, absque auditione vocis; propter quod animas nostras afflximus, & tam paruitas mea, quam reliqui fratres mei coram Domino prouoluti, decertantibus manibus vestris robur & fortitudinem postulabamus, & ex eo quod iniquitates nostræ vestram non impedirent felicitatem, summe lætati sumus: Resciuimus etiam ingentem pietatem, quâ commotus votum de ædificando Cœnobio Altissimo deuouistis; quapropter mittimus hos filios, quos lacte doctrinæ ab incunabulis religionis Christo nutriuimus, quominùs nos ipsos Celsitudini vestræ commendantes, piam voti intentionem ad debitam executionem perducant; illud contendentes Monasterium, in cuius duratione & integritate, indelebile habebitis elogium regni vestri, & reddituum, diuidetur à vobis corona vestra: Seruet vos, & illustrem Reginam consortem Seruator cunctorum, & benedicat prolem vestram, vt videatis filios filiorum vestrorum gaudentes in possessionibus vestris:*

Proh quam vberes, quam glorioſi, & quam apud poſteros memorandi fructus, ex firmata Portugalliæ Regis cum Francico Abbate ſuiſque Cœnobitis ſinceræ neceſſitudinis communione, in Luſitanicas regiones fluuiali quodam impetu exundarunt! quanta bonorum copia cumulati totius regni indigenæ, & quantis malorum omnium procellis exempti! Cum fumantibus, ac ſenſim ſine ſenſu cœlum petentibus Sancti Cœnobiarchæ, ipſiuſque Fratrum ſupra montem aromatum diuino vacantium colloquio feruentium precum odoribus tam inſignem de perditis Orthodoxæ Fidei hoſtibus victoriam, triumphumque reportarunt; quippe dum pia, iugiſque ipſorum diuinum ad vſque Numen aſcendit oratio, benigna confeſtim in Luſitanos è cœlis deſcendit miſeratio; adeo feliciter ceſſit extremis iiſdem Hiſpaniarum populis ſancta & familiaris cum ſanctis è Gallia genitis hominibus etiamnùm viuentibus contracta neceſſitudo, quæ non obſcuris demonſtrat ſignis, quam vera ſit totius & numquam ſatis inculcata noſtri inſtituti ratio, qua mutuam Iberos inter & Gallos animorum conſenſionem perenni ſæculorum retro actorum ſerie innumera

vtrique

verique commoda nationi peperisse pro modulo nostro cunctis prudentibus rerum æstimatoribus persuadere conamur:

Sub finem vero anni nempe 1147. quos B. Parens Bernardus Monachos miserat Alcobacense Cœnobium fundaturos, prospere tandem ad Lusitaniam primùm, Hispaniæ vltimas oras, deinde ad Regem Alfonsum peruenêre, à quo & deuotissime suscepti, & decenti hospitio donati sunt: Tunc vero statim incepta Ecclesia parua cum officinis (Sancta Maria à Vella, hodieque dicitur) inhabitanda viris, quandiù ingens & superbum ædificium, quod Rex mente conceperat, opere exequeretur, vt iam parabat; prius ædificium quadriennio consummatum, nempe anno à Christo seruatore nato MCLII. conuincunt carmina antiquæ petræ incisa, quæ hodieque leguntur sub hoc tenore. Annal. Cisterc. eodem anno, quo supra. c. 17.

Templa duo posuit facti monumenta potentis
Alfonsus populi gloria magna sui:
Vallibus his primum struxit non grande sacellum,
Anno quem, Lector, crux tibi sancta notat:

Primo ædificio vtcumque consummato, atque Alfonso per bella distracto, quæ plurima gerebat cum infidelibus, dilatum secundum vsque ad annum MC.LXXVIII. quo tandem cœptum ingens & sumptuosum, quinque & quadraginta annis consummandum; hoc est Christi 1223. quo tandem Monachi sedes mutauerunt, & ex prioribus arctis & humilibus transiere ad amplas, quas modo occupant: Incœpti operis tempus versus indicant, quos lapidi incisos non minus legimus: † Era 1190. 11. Kal. Octob.

Indicat en digitus quo fundamenta secundi
Huius, & ingentis tempore iacta forent:
☞ *Era M C C. X V I. Idus Maij.*

Cum terra pro iaciendis fundamentis mansuræ huius Ecclesiæ effoderetur, primam sportam extractam ab Alfonso tunc glorioſiùs regnante, cum Deo per hæc ministeria famularetur, Alcobacensia monumenta produnt, quæ Brito tradit; Meruit, si non iam ætas nimium obstaret, ponere vltimum lapidem, qui primum terram suscepit effodien-

dam; conſummati ædificij annus forte anterior, vt Brito exiſtimat; ſuſceptorum Monachorum tempus alij indicant verſus, qui ita habent:

Nos trahe virgo pi
a
Nos trahe nos patri
Sic quia tranſlat
i
Nobis, noſque tib
Hic te laudamu
s.
Quo loco tranſtulimu
Auguſti menſi
s,
Eram ſi quari
Mille ducentoru
m.
Extitit annoru

Additæ templo officinæ proportionatæ, certantibus ſucceſſoribus Alfonſi quis Alcobatiam magis illuſtraret. Extat Donatio Alfonſi Luſitani S. Bernardo facta per inſtrumentum poſt annos quinque, quatuor ante B. Viri deceſſum menſibus, quam ob donantis & donati auctoritatem, tum quia Alcobatiæ ſitum apte deſcribit, non pigebit ad litteram hic deſcribere:

IN NOMINE IESV CHRISTI Amen. Quoniam quidem decet vnumquemque fidelem à ſupremo largitore de bonis ſibi collatis Dei miniſtros participes efficere, vt per eos cæleſtium bonorum particeps effici mereatur: Ego Alfonſus Portugallenſium Rex Dei miſericordia, vna cum vxore mea Dona Mahalda Regni mei conſorte, teſtamentum & cautum facimus Domino Bernardo Clarauallenſis Cœnobij Abbati, & fratribus veſtris, veſtriſque ſucceſſoribus in perpetuum promouendis de illa noſtra propria hereditate quam habemus inter illa duo oppida nominata Leiria & Obidos ſub monte Taicha territorio Vlisbonenſi, diſcurrentibus aquis in mare: Damus itaque vobis locum ipſum, qui Alcobacha nuncupatur, & teſtamen

ſtamentum & cautum de eodem vobis facimus, pro remedio animarum noſtrarum, & parentum noſtrorum, vt memoria noſtri apud idem Monaſterium habeatur ſempiterna: hoc ab integro dando concedimus, & teſtamentum & cautum firme facimus, ſicut terminis inferiùs ſcriptis diuiditur, &c. Habeatis igitur, & poßideatis locum illum, ſicut iam terminatum dignoſcitur cum introitibus, & egreßibus ſuis, cum aquis & paſcuis, & adiacentiis ſuis, cum terris cultis & incultis: cum vineis, domibus, hortis, & plantationibus, cum vniuerſis quæ ibidem ad omnium præſtamen eſſe videntur: quicquid etiam inter terminos iſtos ad regale ius pertinet, de noſtro Dominio ſit abraſum, & in veſtrum traditum, atque confirmatum iure perenni: Nam ſicut iam dictum eſt ſupra, eiuſdem loci teſtamentum & cautum ſtabile facimus ad honorem & gloriam Dei, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ Clarauallenſis Cœnobij, hac ſana mente, & integro animo tradere curauimus perpetuo poßidendam; cum tali conditione, quod ſi hunc locum per incuriam veſtram, & abſque meo conſilio, me viuente, deſertum dimiſeritis, numquam recuperaturi eſtis: Si quis vero (quod fieri non credimus) hoc noſtrum factum irrumpere, vel diminuere voluerit, in primis ſit maledictus, & auctoritate Dei patris omnipotentis, & Filij & Spiritus ſancti, & B. Petri Apoſtolorum principis excommunicatus, & à Sanctæ Eccleſiæ miniſteriis ſeparatus, & cum Iuda proditore in inferno collocatus; & inſuper pariat D. ſolidos bonæ monetæ: Facta carta: Era MC.XCI. Sexto Idus Aprilis:

Ego Alfonſus Rex & vxor mea Regina Mahalda hanc cartam propriis manibus firmiſſime roborauimus; Teſtes infraſcriptos reperies apud Annaliſtam Ciſtercienſem: Hactenus inſtrumentum Donationis. Loco citato.

Dediſſe vero Alfonſum Principem Alcobatiæ Monaſterio vltra triginta oppida, & in iis quatuor portus, ad oras maris pleno iure ſubiecta, compertum habetur, indeque tam ingentes annuos prouentus, vt præter largas & continuas eleemoſynas, præter hoſpitum curam, aliaque, quibus non modica ſumma conſumebatur, nongenti & ampliùs Monachi ali poſſent, qui diſtributi per Centurias, aut Decanias (quod de Benchor idem Ciſtercienſis Chroniſta

affirmat,) succedentibus choris perennes Deo laudes decantarent: Hæc vetus Monasterij illius traditio, cui Lusitani omnes fidem faciunt, quamuis re verà officinæ aliàs ingentes in secundo ædificio, haud tamen satis tantæ multitudini fuere:

Ecquis regalem insolitamque Alfonsi erga Bernardum, Cistercienſemque familiam, autenticis historicorum monumentis decantatam munificentiam condignis vnquam laudibus efferat? quis tanto, inquam, pioque Regi de exquisitissimo ipsius erga Angelicos Bernardi alumnos, mortalis licet adhuc, & carneæ molis pondere pressos cultu, ac mirãda prorsus veneratione non gratuletur? quid vero mirum si tot ac tantis illustrium de hostibus victoriarum triumphis à diuino Numine cohonestatus tantos spiritualium gratiarum thesauros, simul & terrenæ felicitatis aceruos congesserit? Deus quippe promouendi augendique in dies Seruorum suorum apud mortalium animos honoris percupidus, sibi ipsi proprie exhibitum coram omnium oculis demonstrat, quicquid religiosæ Christi familiarium Duliæ sectatores in ipsius gratiam inclytis illis in hac quoque decertantibus terreni stadij palæstra Confessoribus obsequij deferre conantur:

De diuinis nominib. cap 4.

Quare cum Deus infinitum sit, teste Dionysio, bonorum omnium pelagus, quod nonnisi aquarum, id est cœlestium, quibus redundat, diuitiarum effusionem appetit, liberali seruorum suorum munificentia, quæ diuinæ comparata pura egestas est, purumque nihil, vinci se, nedum æquari vnquam patitur, imo glorificantes se, seruosque sibi quàm addictissimos debita veneratione supremã ipsius prosequentes maiestatem, non modo in cœlesti Sanctorum cœtu, sed & in præsenti sæculo, dignis compensare solet muneribus, quorum dignitas immensusque valor tantis partibus terrenas omnes facultates excedit, quanto Cœlum terræ antecellit: Fuit profecto noua quidem sed laudabilis inter Alfonsum primum Lusitaniæ Regem, & Deum ipsum contẽtio; nam si Rex ille magnificus ampliſſimas possessiones, & glorioſos à Cistercienſibus colligendos sine labore census

in

in Dei honorem, æternumque grati sui ob reportatas victoriarum palmas animi monimentum prodiga velut manu effudit, alendisque Christi familiaribus abunde suppeditauit, Deus vicissim, in cuius domo, imo & in immenso cuius Diuinitatis Oceano vera gloria, verique solidarum thesauri diuitiarum sunt reconditi, carissimum sibi Regem, nullaque alia re magis, quam regali munificentia diuinæ viuam in se effigiem naturæ exprimentem, immenso bonorum omnium gurgite inundauit:

Sin autem Rex ille magnificus propensissimo suo in Clarauallenses Monachos studio commotus, si non per se, saltem per nuntios sanctissimum Abbatem Bernardum eiusque fratres adiuit, eorumque fortunatum agmen in terras dominio suo parentes euocauit; Plures exinde Monachi Cistercienſis Instituti assectæ Hispaniarum propagines in Franciam se contulere, vt Claramuallem inuiserent, perfectioremque regularis obseruantiæ normam in florentissimo illo Asceterio ediscerent, de quibus amplissimam faciunt mentionem illius Ordinis Annalistæ: Pari sæpius ratione Franci Hispanias, & præcipue Montem Serratum in Catalonia situm deuotionis causa supplices adiere, quos inter singularis enituit Franciſci Cardinalis De Ioyeuse, pietas ac religio, qui cum famosissimam illam Deiparæ Virginis honori dedicatam Ecclesiam tenerrimo pietatis sensu visitasset, eidem duo millia librarum Turonensium ad recitandas quolibet die eiusdem sanctissimæ Virginis Litanias erogauit:

Ioh. Mariet. in Hist SS. Hisp. lib. 6. c. 39. & 40. Ant. Belinghen in Kalendar. Marian fol. 268. Coluener. in Kalend. Mart. tom. 1. folio 354. Spinell. de templis Deiparæ n. 61.

Postremo hic loco mirabilem Imaginis Deiparæ Pinnæ Franciæ Inuentionem grauissimorum auctorum freti auctoritate libenter subiicimus, quam anno salutis 1434. accidisse Hispanica testantur monumenta, de qua Prædicatorum illius Rupis Conuentus libellum conscripsit, eiusque memoriam nonnulli[a] Fide digni repetunt, ex quibus hanc Actorum Ecphrasim, Epitomenque conficimus[b]: Venerabilis quidam homo nomine Simon Rolandus ex vrbe Parisiensi oriundus parentibus iam vita functis ad domum sororis Oppidæ translatus, ibidem nihil nisi in frequentia deuotionum per-

[a] Fide digni repetunt, ex quibus hanc Actorum Ecphrasim, Epitomenque conficimus[b]:

[b] Martyrol. Hisp. 18. Maij.

egit, donec Oppida ſorore, & Paulo eius marito nobili viro è viuis ſublatis, patrimonium in pauperes, & in Eccleſias diſtribuere conſtituit: quo facto annum agens quadrageſimum primum, in Monaſterio Tertij Ordinis S. Franciſci, nullo religionis habitu ſuſcepto aliquandiu vixit, ſed ſemel atque iterum per quietem diuinitùs eſt admonitus, vt in Galliciæ rupe verſus Occidentem Deiparæ imaginem ſtudioſe perquireret: quo accenſus monitu patria relicta per totam Galliam Imaginem per quinquennium quæritans, nec inueniens, in Hiſpaniam ad S. Iacobum in Compoſtella peruenire decreuit, vbi voto ſoluto, Salmanticam profectus, ibidem aliquandiù commoratus, Deiparam Virginem impenſius orabat, atque obteſtabatur, vt ſibi rupem Gallicam, vbi tandem locorum eſſet, certo aliquo indicio declararet:

Audita multo poſt carbonarij cuiuſdam ſigna, & aliorum reſponſa ſecutus, cum ad eam rupem ſyluamque peruenisſet lætabundus, poſt preces illic enixè effuſas, per ſomnium oblata eſt ei Dei Genitricis ſpecies filium geſtantis in vlnis, ac multo lumine circumfuſæ, quæ iuſſit ſuam eo loco effoſſam imaginem in ſummo montis apice collocari, ac ibidem templum erigi præcepit; itaque anno reparatæ ſalutis 1434. ætatis ſuæ 47, 19. Maij, Feria IV. quorumdam hominum ope adiutus Imaginem effodit, effoſſamque in tuguriolum quoddam ex lignis raptim, ac ſubito excitatum intulit, & repoſuit: Verum tot tamque diuina miracula illic edi continuo cœpta ſunt, vt tribus duntaxat exactis menſibus in ædiculam iuxta Deiparæ præſcriptum, in editiſſimo fontis faſtigio extructam imago ſit collocata, & tandem miraculis quotidie magis increbreſcentibus, ei Templum conſtructum eſt, & à Ioanne II. Caſtellæ Rege Ordini Prædicatorum attributum: Simon vero qui Vela cognomentum accepit Hiſpanice, ob vigilias ad S. Imaginis aram aſſiduas anno ætatis ſuæ 53. ad præmia, vt par eſt credere, immortalitatis admiſſus; cuius corpus in veneratione habitum, in maximo Sacello prope altare, vbi

repoſi

repoſita eſt ſanctiſſima Deiparæ imago, ſepultum eſt :

Hæc ſunt Acta ad huiuſmodi inuentionem ſpectantia, pro vt illa probati auctores recenſent ; & addit de hac inuentione libellus, quod ante decennium quædam puella ex oppido de Sequeros oriunda hanc ipſam inuentionem fatidica prædixerat :

Quod vero ad Rupem Gallicam attinet, in cuius vertice ſuam B. Virgo effigiem reponi mandauit, mons eſt præruptus in terminis Epiſcopatuum Ciuitatenſis, Salmanticenſis, & Caurienſis, quorum fines lambit, ſed ab vniuſcuiuſque exemptus iuriſdictione nulli paret ; hic mons à radice ad ſupercilium continuis ſaxorum verrucis ſeſe in altum extollentibus, & tyrannidis in ſpeciem eleuantibus ſcatet, ita vt ſi callem, quæ ad templum dirigit, amiſeris, vix locum vbi pedem figas inuenies : hodie dicitur Pena de Francia in Extremaduræ limitibus conſiſtens, in cuius maioris rupis vertice Templum Regale, vbi miraculoſa imago Deiparæ, quæ totius Hiſpaniæ miraculorum frequenti admiratione terminos occupat, cuius rei teſtes ſunt innumera claudorum, paralyticorum, & aliorum ægrotantium, qui à B. Virgine Matre ſanitati reſtituti ſunt, ſalutis ſpolia ; quorum catalogum ſi legere cupis, adi huius miraculoſæ imaginis præcones :

Quid reſtat, niſi vt auitam Maiorum noſtrorum in Sanctos atque ſacras eorum Reliquias, laudabiles quoque elapſis ſuſceptas ac religioſe confectas ſæculis ad venerandas ipſorum exuuias peregrinationes quanto poſſumus affectu, poſteris Maiorum pietatis æmulatoribus nitamur commendare ? Enimuero ſi Moyſes cum omnibus Iſraëlitis tanto ſtudio Ioſephi Patriarchæ Reliquias ex Ægypto, vti Sanctus ipſis ſub mortem præceperat, abſtulêre ; ſi Eliſæi Prophetæ oſſa mortuum ad vitam reuocarunt ; ſi D. Petri Apoſtolorum principis vmbra, ſi S. Pauli ſtrophium tot patrauit miracula, nunquid Reges eorumque ſubditi tot & tantis veteris ac noui Teſtamenti prodigiis ad deferendum Sanctorum cineribus debitum honorem mirum in modum incitantur, qui cum puriſſima ſancti Spiritus, dum

Exod c. 13. 4.

4. Reg. 13.

Act. 19.

dum eſſent in viuis, organa exſtiterint, ſupra aſtrorum ſplendorem in cælis radiare debent? numquid profundiſſimam erga SS. Crucis trophæum in eorum animis generant admirationem? numquid incredibilem ſuper carbunculos & adamantes ſacrarum Beatarum Dei viſione mentium exuuiarum ſuppeditant æſtimationem? Et ſi nos ad ſui imitationem rapiunt Maiorum exempla, qua pietate Clodouæus [a] S. Martini Turonenſis & S. Hilarij Pictauienſis Reliquias non eſt proſecutus? quo ſtudio eius filius Childebertus [b] S. Vincentij tunicam, SS. Crucis particulam, quædam S. Stephani oſſa, SS. quoque Ferreoli, Iuliani, Georgij, Geruaſij & Protaſij, atque Nazarij & Celſi pueri ex Hiſpaniis retulit? Quanta Deus immortalis! ſollicitudine, quanta diligentia per Gallias Dagobertus Sanctorum Reliquias colligebat, quibus Sandionyſianam ſuam nobilitaret Baſilicam? Carolus vero Magnus SS. Saluij Inculiſmenſis Epiſcopi, ac Superij eius Diaconi Reliquiis debitum procurauit honorem, quibus in ſtabulo ſepultis, tauroque impediente, ne alia iſthuc animalia accederent, micantibuſque plurimis in ſtabulo lampadibus, illa, ea, qua decebat reuerentia, in S. Martini æde collocari mandauit: Necalia niſi eiuſdem Imp. ſemper Auguſti aliorumque Franciæ Regum auctoritas, piaque magnificentia multis SS. Apoſtolorum & Martyrum corporibus Gallicanas Germanicaſque ditauit ornauitque Baſilicas:

[a] Greg. Turon. l. 30. Hiſp. Franc.
[b] Aimoin. lib. 2. c. 10.

Quis ergo Catholicis in Sanctorum cultum vel minimis ſenſibus imbutus ad luctuoſam Caluinianæ impietatis recordationem non totus exhorreſcat? Siquidem tot votorum debita Sanctorum cineribus pro fœnore auxilij perſoluta, innumeraque præſtita ad eorum charitatis commendationem, memoriæque clarificationem, piæ, iuſtæque gratitudinis monumenta, ab exitiali iſtorum, proh dolor! perditionis filiorum, & ſubtractionis phalange diruta omnino, atque deleta fuere: Hi nimirum pietatis auitæ deſertores, antiquorum dierum obliti, tam nobilibus Galliæ benefactoribus patroniſque ingrati, cum fraude Turonenſem vrbem occupaſſent, vim Beatiſſimi Martini Epiſcopi

copi & Confessoris venerandæ Basilicæ intulerunt, ausuque horrendo, effracto eius tumulo, quem diuina gloria tot virtutum coruscationibus per mille & ducentos ferme annos clarificauerat, sacratissima ipsius glorioſi Cœlitis ossa, pretioso è Lipsanodochio, quo condita tanto in honore quiescebant, impiis manibus arripientes, post illata iisdem immania ludibria, succensis flammis iniecerunt, cinereſque in auras dissiparunt: [Idem scelus in Sanctorum Germani Altissiodorensis Episcopi, & Sancti Francisci de Paula, & multorum aliorum, quos hic enumerare longum esset, perpetratum exuuias:] stupente cœlo, tremente solo, Galliâ, quæ tanto patrocinio ac solatio orbabatur, ad tantum scelus exhorrescente, lachrymisque profusis vicem suam deplorante, quòd à filijs id propudiosum dedecus ac dispendium grauissimum & irreparabile perpessa sit, quod ab infestissimis hostibus, à barbaris quantumuis truculentis, à Danis infidelibus non recepit, à dæmonibus ipsis non timuit; vt iam sit omninò quod doleat portenta monstris infernalibus funestiora, ferocioraque suis è visceribus edidisse, quæ ad id in lucem eruperunt, vt matris viscera discerperent, atque patriæ lumen extinguerent, eiusque singulare columen & vnicum euerterent, ac tollerent præsidium.

Sed iam meliora festinant adesse tempora, in quibus si non fractis penitùs, saltem magna ex parte debilitatis perduellium viribus, compressaque eorum audacia Cœlum nostris fatigatum votis in optatæ pacis otio suam tandem Sanctis suis incolis in hac etiamnùm mortali vita reuerentiam, suumque sacris eorum Reliquiis cultum duplicato fœnore compensabit, atque feruentiorem populorum ad eorum cineres concursum, famosasque peregrinationes tot spiritualium Indulgentiarum ipsis à sum. Pont. concessarum thesauris nobilitatas restituet; Nam cum vera & perfecta, qualis in Deo erga suos familiares versatur, amicitia, omnia inter amicos reddat communia, exhibitus Sanctis Dei amicis honor, in diuinæ ipsius Maiestatis gloriam redundat, qua porro lætitia infinitam Numinis clementiam putetis

afficiendam, dum nos Sanctorum ipſi cariſſimorum obſequio, ſacrarumque Reliquiarum venerationi addictos intuebitur? *Igitur*, exclamat vetus Doctor[a], *in Sanctis ſuis laudemus Dominum, qui eſt gloria & virtus Sanctorum, vt per eius miſericordiam ad eorum peruenire valeamus conſortium; In memoria iuſtorum iuſtitiæ auctorem; in meritis Sanctorum Sanctitatis magnificemus Largitorem:* quò ſanctis ipſorum precibus ac meritis imminentia Diuinæ Iuſtitiæ fulmina declinare, ſalutaremque arenti cordium ſolo diuinæ gratiæ imbrem deſuper emanantem mereri poſſimus.

[a] Theofrid. Ab. ſer. de venerat. SS.

Scien

Scientiarum omnium progressus ex mutua Gallorum & Hispanorum in Academiis communicatione per vastas vtriusque regni prouincias magno cum fructu sese diffundens.

CAPVT NONVM.

NVMQVAM meliùs effata priscorum Gentilium Theologia, quàm cum humanæ scientiæ thesauros, simul & prudentiam Mineruæ imperio subiecit, adeo vt Deam illam sapientiæ in vno, eodemque altari cum Mercurio diuinis adolerent incensis; Nam si prudentia omnibus absolutam numeris eorum de quibus ipsi mature deliberandum incumbit, cognitionem requirit, est enim Tullij iudicio *rerum bonarum ac malarum scientia*; vel iuxta D. Augustini placitum; *est rerum appetendarum, & vitandarum scientia:* Et si ad insinuandas auditorum animis cogitationes facundæ lenociniis indiget eloquentiæ, hunc profectò, quem bonarum litterarum latet cognitio, numquam supremo huius virtutis pretio potiturum, fateri compellimur. Li. 2. Rhetor. Lib. 1. de lib. arb.

Quamobrem Rothrodus Archipræsul Rothomagensis omnium Normanniæ Prælatorum nomine ad Henricum II. Angliæ Regem scripsit, quod cum experti fuissent, quantum liberalium artium cognitio ipsum ad digne & laudabiliter regendas imperij habenas iuuaret, summis eumdem precibus rogabant, quominus iisdem filium Henricum imbui curaret disciplinis, quarum auxilio vti ipsius coronæ, sic & prudentiæ succederet: *Scitis* enim, inquit, *quod totius prudentia compendium in litteris continetur; si Respublica regenda est, si prælia committenda sunt, si* Apud Petr. Blesens. Ep. 47.

caſtra metanda, ſi machinæ erigendæ, ſi renouandi aggeres, ſi propugnacula facienda, denique ſi quies libertatis, ſi iuſtitiæ cultus, ſi reuerentia legum, ſi finitimarum gentium amicitiæ ſunt firmandæ, libri hæc omnia erudiunt ad perfectum.

Meritò ſapiens hic Præſul ſcripſit in hunc modum, quantum enim Peripateticæ Philoſophiæ cognitio Alexandri, humanæ vero ſcientiæ Iulij Cæſaris iudicium perpoliuerint, experientia patefecit: Hac de cauſa ſtatim atque Franciæ Reges Chriſtianiſmum ſunt amplexi, tanto litteris ſtudio animum applicuere, vt Græciam in Franciam appuliſſe, Gallorum vero ignorantiam Græcos poſſediſſe dici potuerit: Nam ſi qui Principes vnquam litterarum ſtudioſi extitêre, Franci potiſſimum monarchæ eas coluêre, foueruntque ſemper quam qui maxime; teſtes ſunt florentiſſimæ, quas toto fundauêre regno, Academiæ, frequentia quoque Collegia, cenſuſque annui, quibus illæ celebres Athenæ ſuſtentantur.

Et certe potiſſimum Regnorum, Vrbiumque ornamentum in florentiſſimis ſcientiarum omnium Emporiis, nempe celeberrimis quibuſque Academiis ſitum eſſe nullus niſi omnino rudis, atque rationis expers ambigere poſſit; Eſt enim prorſus admirabile, quantum honeſta, nec vllo bellorum tumultu interrupta liberalium artium, necnon diuinæ ſimul & humanæ ſapientiæ ſtudia valeant ad omnem ciuitatem non illuſtrandam modò ſplendore nominis, ſed hominum quoque frequentiſſimo conuentu amplificandam.

Quamobrem doceri veriſſime arbitror, quod traditur à nonnullis, complures quidem eſſe cauſas, cur ciuitates aliæ aliis frequentiores exiſtant; Religionem ac pietatem, quâ factum eſt vt aliquando Hieroſolymæ vicies quinquies centena capitum millia cenſa ſint; Mercaturam atque opificium, quæ, quantum in eo genere poſſint, Belgicæ ciuitates nobiliſſimæ, atque inprimis Antuerpia, Amſtelodamumque, Italiæ etiam famoſiſſimæ vrbes, ac præ cæteris Venetiæ, Mediolanum, Neapolis, Genuenſiſue portus innumera

merabili hominum concursu testificantur; Commune multarum gentium Forum, quale Pontificium Romæ videtur, in quo velut in sacro populorum omnium Areopago vniuerso terrarum orbi ius dicitur: Immunitatem, libertatem, leges priuatas, atque alia ex illo genere permulta, quæ vniuscuiusque ciuitatis non muros tantum moto fine proferre, verum etiam famam possint aucta frequentia dilatare.

Hæc, inquam, recte dici puto, & causis amplificandarum vrbium accommodate; sed tamen in publicis liberalium artium Academiis ad eam rem consequendam tanta posita vis est, tantumque præsidium, vt hæc ciuitatis augendæ ratio, vel cæteris par, vel omnium potissima esse iudicetur: Quare posteaquam Galeatius ille Vicecomes illustrandi Ticini summopere cupidus, in ea vrbe quam frequentissimam esse volebat, regio plane sumptu Gymnasium liberalibus artibus excitauit, cauitque ne quisquam suæ ditionis aliò se ad comparandas disciplinas conferret; alij quoque principes, & quidem plurimi ad eamdem incensi laudem & gloriam, cum ciuitatem aliquam nobilitare voluerunt, constituto ibi doctrinarum omnium quasi mercatu, grauiter edixêre, ne quisquam è suis doctrinæ causa exterarum gentium Academias adiret.

Meritò igitur Innocentius VII. Pont. Max. de Romanæ Academiæ instauratione differens pronuntiauit: *Cum itaque litterarum studia, & bonarum artium doctrinæ præter summam ac manifestissimam vtilitatem, quam priuatim & publice afferunt, maximum ornamentum ac dignitatem illis ciuitatibus, & locis in quibus ipsa vigent, præbere videantur, & cum pace ac tranquillitate, cuius nos esse cupidissimos profitemur, maxime sint coniuncta, decreuimus, &c.* Cuius rei veritatem apprime callens Magnus Alexander imperij fines dilatandi longe omnium auidissimus, *Optimarum rerum scientia malle sese, quàm potentia præcellere asserebat:* Et iure quidem, nam teste Cassiodoro, *Accedit cæteris bonis desiderabilis eruditio, quæ naturam laudabilem eximie reddit ornatam; Ibi bellator reperit vnde animi virtute roboretur; inde princeps* Lib. 16. var.

accipit, quemadmodum populos ſub æquitate componat; nec enim aliqua in orbe poteſt eſſe fortuna, quam litterarum non augeat glorioſa doctrina.

Hinc nobilis Franciæ Regum ſtirpis vnus ex illis qui Franciſci I. litterarum ſtudiis addictiſſimi veſtigia ſectatus, litteras (quæ antea ſordidæ inter nobiles reputabantur) in aulam Franciæ reduxit; cui proinde in ore frequens illud; *Litteræ Equeſtris ordinis dignitatem confirmant; & ab ignobilitate vindicant*: Alfonſus quoque Aragonum Rex, *Malle ſeſe priuatam vitam agere, quam eruditione carere* haud ſemel profeſſus eſt, ideoque tam impenſe proborum lectioni auctorum operam dabat, vt à grauiſſimis etiam morbis lectionis aſſiduitate ſeſe liberatum ſæpe numerò affirmarit: Adeóque inter cætera, quibus potentiſſima Hiſpaniarum Galliarumque regna mirum in modum decorantur, ornamenta, ſcientiarum omnium cultum, vel ab vtraque natione, vel ab cæteris in clariſſimis earum Academiis impenſum extitiſſe apud omnes pro comperto habetur.

Panormit. de geſtis Alfonſi.

Ac primò de nobiliſſimæ Pariſienſis Academiæ, quæ Regis Francorum primogenita nuncupari filia ſolet, dignitate nobis dicendum, cuius tanta fuit olim, tantumque vſque nunc excreuit amplitudo, tantaque ipſi à noſtris ſemper Regibus communicata gloria, vt illi perſæpe ſe nihil habere in maxima, potentiſſimaque ditione illuſtrius, nihil exteri Principes cum eſſent aliquando Lutetiæ, maius ſe atque admirabilius vidiſſe, nullum denique ſupremi Paſtores propugnaculum Chriſtianitati, veræque Fidei defendendæ tutius, & perduellibus Eccleſiæ terribilius eſſe palam teſtati ſint: quam Philippus pulcher: *Fluentiſsimum fontem ſcientiæ*; ſubſecuti reges, *vnice ſibi dilectam, chariſſimamque primogenitam*; Honorius III. *Fluenta doctrinæ vſquequaque diffundentem, & vniuerſalis Eccleſiæ terram irrigantem*: Gregorius IX. *Officinam ſapientiæ*, Alexander IV. *Fœcundam eruditionis parentem*: Honorius IV. *Hortum irriguum fructiferis conſiliis.* Ioannes XXII. *Flumen Dei*: Alius *Ciuitatem litterarum omnium*, quæ veræ Principis Vniuerſitatis fuere laudes, appellarunt: Quam

Reges

Reges noſtri Carolo IV. Sigiſmundo, Carolo V. Impp. Ioanni Anglorum, Philippo I. Auſtriaco Hiſpaniarum Regibus regali olim ciuitate exceptis florentiſſimam, & numero magiſtrorum, ſcholaſticorumque, & varia diſciplinarum profeſſione, hac vna præſertim miraculi Gallici laude gloriati, videndam oſtentarunt.

Huius item illuſtris Muſæi Encomia Alexander IV. Pontif. Maxim. eleganti ſtylo deſcripſit, horum inter alia tenore verborum: *Quaſi lignum vitæ in Paradiſo Dei, & quaſi lucerna fulgoris in domo Domini, eſt in ſancta Eccleſia Pariſienſis ſtudij diſciplina: Hæc quippe veluti fœcunda eruditionis parens ad irrigandam ſterilem orbis faciem fluuios de fontibus ſapientiæ Saluatoris cum impetu foras mittens, vbique terrarum Dei lætificat ciuitatem, & in refrigerium animarum flagrantium ſiti iuſtitiæ aquas doctrinæ diuidit publice in plateis: Ibi præcipuè dat Dominus ſponſæ ſuæ os & ſapientiam, ac linguam myſticis eloquiis eruditam, cui reſiſtere nequit omnis aduerſitas improborum, &c.*

Quantum vero celeberrima huiuſmodi Academia non modo Francicam gentem, verum etiam vniuerſum pene orbem tot eruditione clariſſimos pariendo viros illuſtrarit, ex iis dignoſci facile poterit, quæ Gregorius IX. ſummus Eccleſiæ Præſul ad Sanctiſſimum Francorum Regem Ludouicum, eiuſque matrem Blancam ſcripſit, cum ex quadam orta inter Pariſienſes alumnos, ac Regios adminiſtros diſſenſione, alij Rhemos, alij Andegauum, alij Aureliam, alij in Angliam, alij in Italiam, & Hiſpaniam ſtudij cauſa profecti, diſperſique fuerint: ſic autem loquitur in Epiſtola paulo poſt initium: *Sapientia vero nutritur ſtudio litterarum, quo quaſi fluuio de loco delitiarum egreſſo non ſolum regnum Francorum irrigatur & fœcundatur poſt Spiritus ſancti gratiam, verum etiam Paradiſus Eccleſiæ generalis, cuius alueus Pariſienſis ciuitas, ex eo quod idem ſtudium Pariſius viguit, hactenus noſcitur extitiſſe: Vnde veſtra credimus intereſſe ſollicita diligentia, & ſollicitudine ſatagere diligẽti, vt ſtudiũ diebus veſtris trãſlatũ alibi à Pariſius, illuc quaſi flumẽ ad alueũ reuo*

Annal. Eccl. *Ann.* 1229. 52 53.

reuocetur, ne forſan ex tranſlatione huiuſmodi ad nihilum redigatur per plura loca diuiſum, velut fluuius diſtortus ab alueo, & in riuos diuiſus areſcit, & per hoc cælum claudi ſcripturæ, ac imbrem ſuum nubes continere contingat, & incomplutam terram vniuerſalis Eccleſiæ remanere, necnon in tenebras Solem & Lunam conuerti, ſtellas inuolui caligine huiuſmodi tenebrarum, ac ſic de prædicto regno deleri Trinitatis veſtigium prælibatum: [Nempe in tribus potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis Attributis, quæ appropriatione nominis tribus in S. Trinitate perſonis conuenire noſcuntur, quæque in Franciæ regno præ aliis regnis à priſcis retro temporibus floruiſſe initio litteræ aſſeruit.] *Quoniam in veſtram ignominiam redundaret, ſi diebus veſtris idem regnum huiuſmodi priuatum gloria redderetur, nec expediret, quod in ipſo regnantibus tanti honoris aſcriberetur amiſsio; quam ſuis ſeruare temporibus Reges inclyti ex innata ſibi clementia propenſiùs ſtuduerunt ex diuerſis mundi nationibus in ſupradicta ciuitate collectam multitudinem ad aquas ſapientiæ hauriendas benigniùs confouentes, ac prouide ſupportantes ſi quando exœdebat, &c. Nos ergo vtilitatibus prouenturis ex prædicti fluminis ad alueum reditu aſpirantes, & volentes incommoditatibus quæ poſſunt ex diſceſſu emergere, obuiare, Venerabilibus Fratribus noſtris Cenomanenſi & Siluanectenſi Epiſcopis, & Magiſtro Ioanni Archidiacono Catalaunenſi noſtris damus litteris in mandatis, vt ipſi vice noſtra inter vos ac Magiſtros & Scholares præfatos interponant ſollicite partes ſuas, ac impendant ſollicitudinem diligentem, & operam efficacem, vt Magiſtris & Scholaribus antedictis de datis damnis, & irrogatis iniuriis congrue ſatisfiat, reſtituta ipſis ſolita libertate, & à claræ memoriæ Philippo Rege Francorum conceſſa ſtudium Pariſius reuocetur: Quocirca Excellentiam veſtram rogamus attentius & monemus ac exhortamur in Domino, &c.*

Cum autem, adhibita à ſummo Pontifice diligentia, adhuc diſcordes animi nondum coire potuiſſent, ſequenti anno Gregorius maiorem operam nauauit, ne Lutetia celebri illa Academia diutiùs orbaretur, Academicoſque Doctores, ad ea diſſidia faciliùs concilianda, ex ſuis aliquos Romam

mam mittere iussit, quo in pristinum statum restitui omnia, vindicarique possent: Sequentibus tandem annis discordiarum restinxit incendium, restitutamque Parisiis Academiam amplioribus priuilegiis decorauit:

Ioannis quoque XXII. præ cæteris in instauranda Parisiensis Academiæ disciplina paternum vere studium enituit, vt alibi fusiùs annotauimus; adeo Sedi Apostolicæ nobilissimi illius Gynæcei prouentus splendor ac dignitas cordi fuit, cum ex fœcundissimo eius sinu, tanquam ex viuo & copioso fonte innumera bonorum omnium commoda doctissimorum ipsius alumnorum opera in singulos Christianæ Reipublicæ ordines deriuarentur.

Verum, vt ad nostrum propiùs institutum accedamus, insignes eruditionis laude viros Hispaniarum propagines, quos ista celebris Academia excoluit, necnon plures Iberos eximia scientiarum laude insignes qui Gallicanas ac Parisienses imprimis Scholas, docendi munere illustrarunt, recolamus: Philippus Ferdinandi Castellæ Regis filius Lutetiæ scientiis operam nauans primus occurrit: Enimuero cum Rex Parens, vt filius tunc Vallisoleti Secularis Abbas existens Orcomensi Ecclesiæ præficeretur apud Innocentium IV. Pontificem Max. per suum Oratorem contendisset, honeste excusauit Sapientissimus Archipræsul, tanquam non æquum censeret illum principem liberalibus vacantem studiis, atque in puluere litterario strenue desudantem auelli, tum etiam quia ipse nondum ætate adultus tam graui Episcopatus oneri impar ferendo erat: *Spondan. An. 1246. 10.*

Hic facile quiuis animaduertere poterit singularem animorum coniunctionem, studiorum gratia, Francos inter ac Hispanos interceßisse, adeo vt Castellani Regis filius mentem scientiarum studio exculturus Parisios concesserit: Et certe humaniorum in primis hoc esse proprium litterarum nemo est qui reuocet in dubium, vt efferatos quosque homines humanitatem doceant, cuius beneficio naturali feritate depositâ, sedatisque immodera-

tis cupiditatum æſtibus ſui ſimiles ac ratione præditos homines quamuis exteros & à communi gentilium ſuorum conſuetudine alienos fraterno propemodùm cordis affectu proſequantur; quis vero illud neſciat, quo potiſſimum dicendi Magiſtri tantopere gloriantur, eloquentiæ vi perfici, abſoluique principem hominis partem, diſſipatos ante homines fuiſſe à principio intra tecta compulſos, & congregatos; Inſtituta, legeſque ſanctiſſimas condocefactis efferatæ multitudinis animis eſſe datas.

Quin & Romanæ Princeps Eloquentiæ poſtquam multa præclara diſerto, pro more ſuo, verborum lepore in Philoſophiæ commendationem protulit, tandem ad ipſam, quam ſibi præſentem inducit, gratulatoriam conuertit orationem, ac pereleganti ſic compellat apoſtrophe: [a] *O vitæ Philoſophia dux, ô virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum: quid non modo nos, ſed omnium vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? Tu vrbes peperiſti, tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ conuocaſti; tu eos inter ſe primo domiciliis, deinde coniugiis, tum litterarum & vocum communione iunxiſti, tu inuentrix legum, tu magiſtra morum & diſciplinæ fuiſti; ad te confugimus, à te opem petimus, tibi nos totos tradimus: Eſt autem vnus dies bene & ex præceptis tuis actus operanti immortalitati anteponendus: cuius igitur potius opibus vtamur quam tuis, quæ & vitæ tranquillitatem largita nobis es, & terrorem mortis ſuſtuliſti:*

[a] V. Tuſculan quæſt.

Audis quomodo Philoſophiam pacis ac concordiæ matrem Tullius prædicet, quid ergo mirum ſi numeroſa Hiſpanorum turba ad munitiſſimam pacis arcem, Pariſinam dico Academiam omnium diſciplinarum altricem confluens, ac Philoſophiæ necnon Eloquentiæ, quas blandas animorum conciliatrices merito dixêre, ſtudiis aſſiduam nauans operam, ſtrictiſſimæ neceſſitudinis fœdera cum Gallis inire didicerit:

Sed ecce Hiſpanus alter ex vltimis Occiduorum Regnorum finibus, ex Luſitania videlicet Lutetiani fama ſtudij commotus ad locupletiſſimam exquiſitioris cuiuſque litteraturæ officinam lætus aduolat, Beatus nempe

Ægy

Ægydius insignis Prædicatorum Ordinis Confessor, cuius admirabilis profecto videtur actorum varietate dissimilium compago, ex qua perditum hominem, quantumuis scelerum vorticibus immersum à Deo Opt. Max. ad securum misericordiæ portum trahendum elicimus: [b] Hic ad confluentes Vagi & Zelæ fluminum vndas in oppido Vaozela Viseensis in Lusitania Diœcesis natus, parentesque iuxta sæculi dignitatem & genere nobilissimos, & moribus religiosissimos nactus, post Grammaticam & Philosophiam, medicinam est sectatus, in qua vsque ad nominis famam profecerat:

B. ægid. Scalabitan. Cōf. Ord. Prædic. Origo.

[b] Martyrol. Hispan. 16. Maij.

Philosophiæ & Medicinæ studijs deditus.

Verum intra pubertatem cum tres insignium Ecclesiarū Canonicatus, Prioratum item, Rectoratumque patris opera, qui tunc gratia ac fauore apud Regem pollebat, immoderataque, vti ab insano erga filios amore percitis parentibus fieri solet, terrenæ filij exaltationis libidine abreptus æstuabat, fuisset consecutus, infelix iuuenis totum se vitiis permisit, atque effrænis in voluptates ruere cœpit, cunctaq; bona prodigi in modum effundere, omnia pro sensu carnis agere nullo Dei respectu, nullo timore; Erat illi cordi medicinæ ars, haud quidem vllo bono fine, sed vt per eam vanissima curiositate absurda quædam & inconcessa rerum experimenta captaret:

Plurimis à Patre Beneficiis onustus.

Perditam vitam degit.

Parisios igitur adire decreuit, vbi tunc celeberrima variarum disciplinarum Gymnasia frequentabantur, vt eruditiorem rerum naturæ experientiam adeptus famosior euaderet: Iter ingressus dæmonem obuium humana sub specie habuit, seque illi nequam spiritus viæ comitem adiunxit, & sermonibus vltro citroque habitis, cœpit à noto sibi, sed ignotus paulatim varia quærere; vt audiuit profectionis consilium, eum à proposito Necromanticæ artis, qua sibi expeditam ad summos honores, diuitias, voluptatesque, vt impostor mentiebatur, viam facile pararet, illusionibus deterrere sategit:

Parisios ire constituit.

A dæmone detinetur & decipitur.

Ægidius insano quodam impetu curiosa experiundi arreptus, facile se à dæmone in manifestam perniciem abduci passus est: Tum ducitur amens iuuenis à diabolo in

Ad Specum Toletanum ducitur.

vastum specum prope Toletanam vrbem, vbi magicas disciplinas edidicit, traditusque iam in reprobum sensum totus à dæmone possessus nefando ritu Christi fidem abiurat, nec tantum secreti, sed & legis & fidei seu homagij nefario sacramento se diabolo addicit, chirographumque proprio cruore descriptum, & subscriptum promissi signaculum porrigit: Septennio illic tetris artibus & caliginosa scientia imbuitur, post Lutetiam profectus, breui in medicina magnos progressus fecit, & Doctoratus lauream adeptus, solutissimæ vitæ licentiam posthabita boni & æqui ratione, exercere cœpit; flagitia flagitiis addens per omnia vitiorum genera præceps ferebatur, vt incertum esset fama eruditionis, an nequitiæ infamia maior haberetur.

Post Septennium Parisios adiit.

Visione terretur.

Quadam vero die, dum adhuc Lutetiæ moraretur, & solus in Bibliotheca sua, clauso ostio, quidpiam de arte sua meditaretur, ecce oblata est ei terribilis armati viri species facti, quantum videbatur, ex lapide marmore, equo similiter marmoreo insidentis, qui lanceam manu vibrans, ac misero intentans, irato vultu, minacique voce inclamauit: *Muta, homo, vitæ tuæ statum, muta dico vitæ statum:* quibus dictis euanuit: Ægidius subito terrore concussus visa secum reputabat, & ex scelerum conscientia terrefactus, de mutando vitæ instituto cogitare cœpit, sed paulatim abeunte terrore bona illa mens resipiscendi elanguit.

Iterum cadē visione ad mutandā vitā inuitatur.

Paucis interiectis diebus adfuit iterum armatus ille consimili apparatu, sed halitu oris longe terribiliori, & citato in eum cum impetu equo, voce horrenda: *Muta*, inquit, *homo muta statum tuum, alioquin te interficio:* Ægidius exemplo Pauli totus pauore horrens celeriter respondit, *Mutabo Domine*: Quem vt ferox ille eques ista promittentem audiuit, lanceæ mucrone leuiter illius pectus circa cor pupugit, ac protinùs abscessit; Ille autem vulnus non corporis sed cordis esse aduertens, salutaremque sibi datam diuinitùs monitionem, vt reiecto illo vitæ impurissimo genere ad cor rediret: accenso post igne copioso libros omnes magicæ superstitionis combussit, clamque Lutetia discessit,

cessit, magnis itineribus in Lusitaniam contendens:

Palentiam interim deueniens vidit Fratres Prædicatores in ea vrbe nuper exortos magno labore nouum monasterium exædificare, ipsosque Religiosos absque vllo sanguinis, gradus, aut scientiæ fastu calcem subigere, lapides parare, ligna deferre, onera humeris portare, summa lætitia & alacritate: motus diuino impulsu Ægidius, optauit ex animo illis se fratribus iungere; Priorem adiit, petiuitque anxie, vt eius exciperet confessionem, cumque eatenùs actæ vitæ labes recensens, propositum aperuisset, religiosus pater lucrifaciendi eius cupidus de consensu fratrum Ægidium in societatem Prædicatorum recepit, habituque S. Religionis induit: in qua professione emissa B. Virginis ope Syngraphum dæmoni datam recepit, actisque Deiparæ gratiis mira quiete animi perfusus sacræ Theologiæ studia incredibili est adorsus auiditate, quibus vt expeditiùs vacaret, de Prælatorum licentia Lutetiam iterum se cõtulit, ibique toto tempore quo Theologiæ incubuit, sũptus ei liberalitate Sanctij Regis Portugalliæ abunde suppeditati sunt in conuentu S. Iacobi Parisiorũ.

FF. Prædicat. habitum suscipit:

Dæmon B. Virgine interpellante ipsi Syngraphum restituit.

Incredibile dictu est quantis postea à diuina bonitate gratiarum imbribus consperfus, quantisue spiritualibus in anima delitiis perfusus, frequentissimas inter extases diuina passus, & nonnunquam duobus cubitis à terra leuatus ex vehemẽti supernorum desiderio languorem maximum incurrit, per dies aliquot à lecto surgere non valens nulla alia detentus ægritudine, nisi quod dissolui & esse cum Christo cuperet: præcognita tandẽ obitus sui hora in stratum se cilicinum deponi iussit, susceptisque cum reuerentia Sacramentis mœrẽtes Fratres blandissime consolatus, omnibusque ad Dei cultum, & veræ pietatis studium commonitis valedicens manus extendit in cælum pronuntians nihil labante voce: *In manus tuas, Christe Deus, commendo Spiritum meum:* inde compositis in modum crucis collabentibus iam brachiis, sine vllo mortis sensu, quasi obdormisset, extremum vitæ spiritum edidit: anno M.CC.LXV. ipso Ascensionis Christi die:

Sæpe in oratione ecstasim passus.

Pie moritur.

Dominicus Soto egregiam litteris operam Lutetiæ Parisiorum dedit, ibique edoctus Hispaniam repetens Burgensi

Bibliotech. Hispan. to. 2. in Classe Dominicana.

in Cœnobio Prædicatorum familiæ eſt aggregatus:

D. Dominicum primos ſui Inſtituti aſſeclas ex Hiſpaniis in Gallias miſiſſe, vt ſacris imbuerentur ſcientiis, necnon D. Ignatium de Loyola, ac Franciſcum Xauerium, Alfonſum Salmeronem, Iacobum Laynes, alioſquo primarios Societatis IESV cultores Pariſiis diſciplinarum ſtudiis operam nauaſſe ſuis locis oſtendimus.

Ex eadem Societate Franciſcus Ouiedus patria Caſtellanus, & Petrus Ribadeneira Pariſios ſtudiorum cauſa à S. Ignatio miſſi ſunt: Iacobus quoque Ledeſma tanti Patris illuſtris filius natione Hiſpanus vir ingenij ac doctrinæ magnitudine nobiliſſimus in Complutenſi Academia Philoſophicas ac Theologicas ſcientias didicit, in Pariſienſi deinde expoliuit: His adiungendus Ioannes Polancus patria Burgenſis, qui Philoſophiæ Pariſiis operam dedit!

Ciaccon. Ioannes Turrecremata Cardinalis Hiſpanica clarus proſapia, qui Dei Eccleſiã mira eruditione ac auctoritate ſua ætate propugnauit, adhuc adoleſcens inter Pariſienſes alumnos mirum in modum in ſcientiis profecit: ô quantum celebris hæc Academia à doctiſſimis Iberis nobilitata fuit!

Bibliothe. Hiſpan. to 2. *Anno* 1345. Alphonſus Vargas Toletanus Ord. Eremitarum S. Auguſtini nobilitate clarus, doctrina inſignis, Pariſiis magno auditorum plauſu Philoſophiam ac Theologiam decem prope annis profeſſus eſt; dein poſt Epiſcopatum Oxomenſem Pacenſis Antiſtes electus, ac Cardinali Ægidio de Albornos conſilio vt doctor, & opera vt dux in Italiæ recuperatione magno fuit adiumento, ac tandem ad Hiſpalenſem Archiepiſcopatum tranſlatus deceſſit:

Thom. de Herrera 1358. Dionyſius de Murcia Ordinis item Eremitarum S. Aug. fuit Cathedratius primarius Theologiæ in eadem Pariſienſi Academia vbi per annos fere decem ſumma laude docuit, deceſſit Archiepiſcopus Metanenſis:

Bernardus quoque Oliuerius Valentinus eiuſdem Ordinis alumnus doctor Pariſienſis inter celebriores ſui ſæculi Theologos à Petro Rege Aragonum celebratus, à quo miſſus ad Galliarum Regem Legatus:

Berengarius Tobias Hiſpanus natione Celtiber Cæſarau-

guſta

gustanus Ordinis Carmelitarum Doctorum Parisiensium insula coronatus est, ac in eiusdem Parisinæ Ciuitatis Athenæo Stagyriticæ primum doctrinæ, deinde sacri vtriusque Scripturæ Testamenti publicus interpres fuit: Paradisus Carmelit. an. 1290. 28.

Petrus Lascellas eiusdem instituti professor natione Celtiber, patria Cæsaraugustanus Doctor Parisinus suo tempore nulli secundus Lycæi illius quondam Sacræ Paginæ interpres fuit: D. Antonium Paduanum Lusitaniæ decus apud Montem Pessulanum Theologiam docuisse, insuper Parisiis & Tolosæ Sacras interpretatum Litteras supra meminimus: Ibid. anno 1344. 95. Biblioth. Hisp. tom. 1.

Franciscus Scobarius Valentinus per annos 20. Rhetoricen Parisiis & Romæ publicè professus est, ad quem magnus fiebat concursus: Ioannes Mariana è Societate IESV Hispanus genere Philosophiam ac Theologiam summo auditorum plausu Lutetiæ Parisiorum legit: Ibid.

Iacobus Miro Valentinus patria, cum ætate florens litterisque Latinis & Græcis pereruditus ad Aristotelis explanationes in Academia Parisiensi se accingeret, in Hieronymum Domeneccum municipem suum incidit, à quo ad sacras exercitationes admissus, continuo Societati IESV sese addixit, in qua scientiis & pietate mirum modum effulsit:

Martinus Olauius patria Cantaber ex oppido Victoria eiusdem Societatis vir ingenio, iudicio, doctrina, eloquentia, disputãdi vi, argumentorum robore atque efficacia cum paucis comparãdus Parisios concessit, in qua Academia sapientiæ laude floruit, Philosophiam publice professus est, & inter Doctores Theologos primas doctrinæ omnium opinione tenuit:

Petrus Ioannes Perpinianus patria Valentinus in Academia Parisiensi cum ingenti plausu atque admiratione auditus est; Interim sufficiat hos enumerasse ex Hispaniis Doctissimos viros, qui mirum Parisiensi Academiæ splendorem contulere, vt ex paucis istis multo plures, quorum nomina Scriptoribus excidere, ad famosam scientiarum venam, fontemque numquam non in magni orbis viridarij arcolas exundantem accurrisse Lector facile coniiciat:

In magnam sane molem præsens tractatus excresceret, si

Docto

Doctores ſingulos ac viros eruditione claros ex vtroq; regno oriundos, ſi omnes Religioſarum Familiarum aſſeclas in florentiſſimis vtriuſque gentis ſcholis conuerſatos in medium proferre velimus: hæc autem tantum delibaſſe ſatis ſit, vt ex alterno iſtarum gentium commercio ac ſocietate maximum ſcientiarum prouentum penes vtramque nationem clariùs dignoſcamus:

Duos tamen inſignes potentiſſimorum duorum Regum Pædagogos omittere non poſſumus, Pontium nempe Carbonellum Hiſpanum, Ordinis Minorum dgniſſimam prolem, qui S. Ludouici Francorum Monarchæ præceptor exſtitit; Alterum vero Cerebrunum natione Gallum Alfonſi VIII. Hiſpaniarum Regis Magiſtrum: Enimuero ſi ex fructu arboris pretium nobis conſtare ſolet, qualia duo illa Hiſpaniæ ſimul & Galliæ lumina fuiſſe putanda ſunt, quorum diuinæ prorſus ſapientiæ riuulis ſollicite irrigati regales illi ſurculi, in immenſas arbores labentibus annis excreuêre, quæ ramorum paternæ ſuæ beneuolentiæ per amplas ditionis vtriuſque prouincias diffuſorum beneficio innumeros calamitoſorum greges ſuæ protectionis vmbra texêre: Et ſi Regum ſapientiſſimi iudicio, *Gloria patris Filius ſapiens*, quis eximia tantorum virorum merita condignis vnquam laudibus efferre poſſit, qui ſpirituales tantorum Regum Patres effecti, ſanctis adeo legibus, & ſalutaribus adeo præceptis eorum animos imbuêre, vt pietate, ac iuſtitia, cæteriſque regalem ornantibus purpuram virtutibus ex ſancta hauſtis educatione pretioſa orbis miracula, poſterorumque exemplaria euaſerint:

TOLOSANA ACADEMIA.

Celebris admodum fuit in Gallia Toloſana Academia, de qua ſic Innocentius IV. PP. *In ciuitate Toloſana domui Dauid factus eſt fons patens, & vena vitæ ſcientiæ ſalutaris, ad cuius aquas ſitientes confugiunt haurientes in gaudio de fontibus Saluatoris, &c. Ibi lactentes ad vbera pendent matris, ibi paruulis panis frangitur Scripturarum, ibi exercitatos habentibus ſenſus in altum retia ducit Petrus, ita vt nullus expers munere inueniatur ipſius, qui ad eamdem ſcientiam acceſſerit puro corde; vocat hic ſiquidem ancillas, artes videlicet liberales ad ſui obſequium*

Annal. Eccl. an. 1245. 76.

obsequium, ad superna mœnia ciuitatis, & idcircò ibidem floret studium in eisdem, vt per ancillas ostiarias ad veram sapientiam ostium pateat, & tanquam per viam compendij adducant ad ipsam velocius studiosos.

Inter cæteros vero ad hanc munitissimam scientiarum arcem Tolosam vocati plures præcipue Iberi adnumerantur, de quibus suis locis mentionem fecimus, constatque apud Religiosorum Annales, &c. præ aliis Ioannes Viguerius Granatensis Tolosæ Lauream accepit: Martinus quoque Alfonsi Cordubensis Augustinianæ familiæ alumnus Tolosæ summa auditorum frequentia prælegit: Martinus Nauarra primùm Tolosæ, deinde Salmanticæ docuit.

Pluribus Idem Innocentius Pont. Max. priuilegiorum insignibus nobilem hanc decorauit Academiam, adeò vt Nicolaus Papa V. Alfonsi Aragonũ precibus adductus Barcinonensem Academiam variis prærogatiuis adornari percupiens, iisdem penitùs, quibus Tolosana potiebatur, priuilegiis locupletauerit, de quo Pontificium extat diploma, in quo inter alia sic habetur: *His igitur omnibus diligenti examinatione pensatis, & etiam quia præfati Rex & consiliarij studium ipsum ac scholares, Doctores, & audiẽtes ibidem priuilegiis & prærogatiuarum honoribus fulcire intendunt, non solum ad ipsius ciuitatis, sed etiam habitatorum & incolarum circumiacentium commodum atque profectum paternis affectibus excitati, ac præfati regis & consiliariorum in hac parte deuotis supplicationibus inclinati, ad laudem Omnipotentis Dei, & Fidei propagationem, in eadem ciuitate studium generale adinstar studij Tolosani cum omnibus & singulis priuilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, indultis, præeminentiis, indulgentiis, gratiis, honoribus, dignitatibus, & officiis præfato studio Tolosano ac Doctoribus, Scholaribus, & audientibus inibi per Sedem Apostolicam, vel alias quomodolibet concessis, & concedendis auctoritate Apostolica erigimus ac statuimus, &c.* Annal. Eccl. *Ann.* 1450. 18.

Inter nobilissima Franciæ Lycæa Montis Pessulani Academia maxime effulget, de cuius laudibus ita Nicolaus Papa IV. *Cum locus Montis Pessulani celebris plurimùm & famosus optus valde pro studio, consideratis diligenter eius conditionibus* MONTIS PESSVLANI VNIVERSITAS.

dignoſcitur, nos vtilitati publicæ quamplurimum expedire credentes, vt in loco ipſo cultores ſapientiæ inſerantur, fructum deſideratum, largiente ſcientiarum Domino, in tempore producturi, auctoritate præſentium indulgemus, vt in dicto loco ſit deinceps ſtudium generale, &c. Illi autem qui in præfato loco examinati & approbati fuerint, ac docendi licentiam obtinuerint, ex tunc abſq; examinatione, vel approbatione alia regendi & docendi vbique plenam & liberam habeant facultatem, nec à quoquam valeant prohiberi, &c. Ad hoc igitur nobiliſſimum litterarum Emporium plures Hiſpani conuolarunt, inter quos claruit Dalmatius ex oppido cui S. Columbæ de fernes nomen oriundus, qui Gerunda recedens, in Montem Peſſulanum vbi tunc litterarum ſtudia florebant adiuit, ex quo virtutum profectu dein omnia relinquere decreuit, vnde Gerumdam reuerſus Dominicanæ familiæ ſuſcepit inſtitutum, in quo vitæ ſtatu ſanctiſſime vixit.

Porrò doctiſſimos viros omnique eruditionis laude inſignes, quibus ſemper Gallia abundauit, intimam cum Iberis ſcientiarum beneficio ſocietatem, commerciumq; habuiſſe manifeſtum eſt, nam vt aiebat Seneca: *Sapiens non poteſt in habitu ſuæ mentis ſtare, niſi amicos aliquos ſimiles ſui admittat, cum quibus virtutes ſuas communicet:* Quare ſuis conciuibus Galli ſapientiæ munera communicare haud quaquam contenti, vt finitimos etiam ſibi Hiſpaniæ ciues ſæpenumerò mediante ſcientiarũ cognitione amicos ac cõiunctiores redderent, ſummo ſtudio contendêre; cũ nulla re citiùs efferatos hominum animos quam ſcientiarum illiciis cicurari probe intelligerent; cumque ſit proprium rationalis animæ pabulum diuinarum humanarumquæ rerum cognitio, ecquid, amabo, iucundius, quid ad nutriendum animum accommodatius, quam mutua rerum pulcherrimarum, ipſiusque diuinæ ſimul & humanæ ſapientiæ communicatio, cuius in Pariſienſi Lycæo tanquam in proprio regnantis domicilio, occultis licet, verum magneticis, vt ita dicam, ſuccineiſque, necnon efficacibus lenociniis Hiſpani plerique allecti, quo inexplebilem diſcendi ſitim extinguerent, ad viuidos,

Epiſt. 110.

&

& limpidos scientiæ vortices è Parisiaco fonte in omnes orbis prouincias exundantes anhelanti spiritu confluxêre, hausti sque cum incredibili animorum gaudio scientiarum aquis pleni non modo amplas patrij soli regiones, sed & vicina Regina, nouique orbis tum Occidentalis, tum Orientalis plagas irrigare tentarunt.

Sed iam ad celeberrimas Hispaniarum Academias sermonem conuertamus, in quibus haud absimilem Gallorum cum Iberis in litterarum studio communicationem admirabimur: Omnium famosissima dicendi stylum, animumque ad se rapit Salmanticensis: Anno reparatæ mortalium salutis millesimo supra ducentesimum trigesimum nonum Ferdinandus Castellæ & Legionis Rex, vel (vt quibusdam placet, Alfonsus ipsius filius) Salmanticam ex Palentia traduxit Academiam, vbi ab Alfonso auo iam fuerat constituta; quod vel propter vberiorem annonæ copiam, & abundantiores alendis iuuenibus, qui ingenij excolendi gratia eò confluerent, è proximis vicis commeatus, aut ob cœlum studiosis mitius, ac benignius in vrbem Salmanticam commodiùs introduci visa est. *Ann. 1239.*

His temporibus [a] Alfonsus X. qui anno post translatam Academiam XVII. Laureatos regni fasces accepit, ingens decus attulit; si quidem parum visum est cœlesti Numini, eum esse Maximum Astrologorum, nisi & veterem Hispaniæ gloriam mirum in modum ampliaret, & leges infinitis voluminibus antea dispersas in septem sectionum libros, (quas Hispani partitas appellant) contraheret, & doctissimas Astronomiæ tabulas, & historiam, quam generalem nominant, partim ipse suo elaboraret ingenio, partim per alios conscribendas curaret. [a] Maramorus tract. de Academ. & doctis viris Hisp. part. 2. volum. 2. Hisp. Hist.

Huius cùm exemplo tùm fauore cœperunt magis protendi ac dilatari litterarum studia, quæ sic mentes hominum arcana quadam vi ac potestate occuparunt, vt parua putarentur fore arma, quorum à litteris præsidia non peterentur: Quocircà magni breui tempore extiterunt eruditorum prouentus, inter quos enituere Iulianus Gomerius & Ioannes Episcopus Gerundensis, qui natione Gothus, Salmanticensis Academ. Laus & eius alumni. Iulian. Gom. Io. Episc. Gerundensis.

& patria Luſitanus, litteris quoque Græcis & Latinis Byzantij apprime eruditus, tum diſciplina illa formatus, quæ digna eſt (vt ait Cicero) ſtudioſis ingenuarum artium, digna eruditis, digna claris viris, digna principibus, digna Regibus bacchantes ac furentes in Luſitania ea tempeſtate Arianos multis ac doctiſſimis diſputationibus coërcuit; ac propter hanc vnam cauſam Barcinonem relegatus eſt, vbi ita ſe collocauit, vt Gerundenſis Eccleſiæ principatum obtinuerit: Tum D. Antonius Olyſipponenſium gloria, cuius doctrinæ vberrimos fructus Itali etiam & Galli auidiſſime perceperunt: Raymundus quoque Barcinonenſis Theologiæ, Iuriſque Pontificij egregie doctus, qui Decretales Epiſtolas, quæ fuſæ ſparſæque fuerant, in vnum quaſi corpus aut volumen, delegata huius eximij laboris cura à Gregorio IX. artificioſe contulit: Parem huic eſt aſſecutus gloriam Garſias Hiſpalenſis doctiſſimis in eaſdem Decretales editis Commentariis; Secutus è veſtigio eſt Ioannes Torquemeda, vir ſæculorum omnium memoria dignus, qui cum his duobus, quos modo nominaui, egregium Triumuiratum conſtituere poteſt.

D. Anton. de Padua.

Raymundus Barcinonenſis.

Garſias Hiſpalenſis i. c. Io. Turrecremata Card.

Conuerterunt ad ſe deinde hominum ſtudia, vbique terrarum diffundente ſe doctrinæ fama, Verus Archiepiſcopus Hiſpalenſis, & Petrus Hiſpanus qui ab Innocentio VIII. Cardinalis creatus eſt. Tum Vincentius Ferrarius Valentinus, Paulus deinde Epiſcopus Burgenſis, & huius filius Alfonſus, qui cum Eccleſiam Burgenſem adminiſtraret, hiſtoriam de reb. in Hiſpania ab indigenis hominibus bello geſtis non inepte conſcripſit.

Verus Hiſpal. Archiep. Petrus Hiſp.

Vincentius Ferrar. Paulus & Alfonſus Burgenſes.

Sed ex tam infinita Doctorum hominum multitudine, quantam hæc ætas habuit, nemo citra controuerſiam ad Alfonſi Toſtado Epiſcopi Abulenſis laudem aſpirauit, cui ſi alio quam ſuo ſæculo viuere contigiſſet, neque Hipponæ Auguſtinum, neque Stridoni Hieronymum, nec aliũ quempiã ex illis proceribus Eccleſiæ antiquis nunc inuideremus: Excellentis vir ingenij fuit, & admirandæ memoriæ, diuinæ etiã ſapiẽtiæ & antiquitatis peritiſſimus, dignus fortaſſe qui poſt 4. Eccleſiæ Doct. cum Iſidoro & S. Thoma de quinto

Alfonſus Toſtadus Abulenſis Epiſcopus.

loco

loco certaret: Quod si purior quædam splendidiorque consuetudo loquendi suis temporibus fuisset, non dubito, quin posteriores omnes in sui admirationem esset conuersurus. Fuit hæc ætas paulo eruditior, nam posteaquam regno Hispaniarum constituto diuturnitas pacis otium confirmauit, nemo fere laudis cupidus adolescens non sibi ad perdiscendum litteras omni studio enitendum putauit.

Exortis vero iam inde à Boëtio Seuerino, cum Zeno Isauricus late rerum potiretur, Sophistarum agminibus, eorum contagio ita serpsit, diffusaque est per totam Hispaniam, vt nulli homines aut plane barbariores, aut in illis suis prodigiosis inuentis pertinaciores quam Hispani inuenirentur; vt enim primùm intellectum est quantam vim ostentationis haberet subdola & ficta quodammodo differendi oratio, tum etiam magistri ex Hispania multi illius nouæ artis subitò extiterunt, quia nusquam fertiliores segetes nasci affirmant coloni, quam in sterquiliniis.

Itaque hoc tempore, quod longissimum à Boëtio fuisse videmus, altissimas egerat radices Barbaria, & nemo quisquam ex tot hominum millibus fuit, qui immane hoc & ferale monstrum, aut domi priuatis studiis auderet conficere, aut à finibus Hispaniæ pellendum tentaret, donec tandem post multa sæcula natus est felicissimis Fatis in Bætica Anton. Nebriss. qui litteris ac disciplinis omnibus, quibus eo tempore florebat Italia tanquam ex longa siti auidissime hausti, atrox, quoad vixit, & crudele bellum cum barbaris gessit; quod si propter insitas inueteratasque mentibus hominum persuasiones conficere omninò non potuit, magna certe ex parte fregit, ac debilitauit: Hic quidem fuit magnus Hispaniæ Aristarchus, præclarus orator, magnæ & variæ lectionis, sed historiam quam de rebus gestis à Ferdinando augustissimo Rege conscripsit, tenui ac deiecto quidem stylo, parumque diligenter est prosecutus; siue quod magni viri sit (vt ait Cicero) historiam conscribere, siue quod Ferdinandi Pulgaris (quod negare non possum) in sermone Hispano eloquentissimi interpretem (vt fama est) perfunctorie egerit.

Anton Nebrissensis.

Io. Ludouicus Viues.

Æqualis Antonij fuit Ludouicus viues rarum Valentiæ decus, propterea quod & declamator egregius, & Philoſophus magni nominis, & multis in rebus eminentiſſimus eſt habitus, placuiſſetque multo magis viris eloquentiſſimis, ſi vt multa diſerte doctiſſimeque conſcripſit, ita ſermonis innata, inſitaque duritia, & vocabulis quibuſdam Græcolatinis, quæ ad ampliandam linguam Latinam excogitauit, orationis gratiam non obſcuraſſet.

Fuit ſane nobilis iſta Salmanticenſis Academia Muſarum domus, Hæc dudum Lycurgos & Solones habuit, atque etiamnum alit; elapſo quippe poſteriori ſæculo vnum habuit Fredenādum Pontianum multæ & variæ lectionis virum, quo nemo ſua vixit ætate, aut veterum auctorum litterarum peritior, aut vtriuſque linguæ callentior; hic poſt edita quamplurima optimi, acerrimique ingenij, & abſtruſioris doctrinæ monumenta, doctiſſimas item in C. Plinium obſeruationes, opus, vt infiniti laboris, ita ingentis quidem vtilitatis proxime in lucem emiſit.

Franc. Victoria inſignis Dominic. Ordin. Theologus.

Nec eſt cur ſilentio præterire debeam virum incomparabilem Franciſcum Victoriam, qui Dominicani ſplendor inſtituti, decus & ornamentum Theologiæ, exemplar antiquæ Religionis fuit: hic Theologiam vt Socrates quondam Philoſophiam è cœlo euocauit, quā non in Hiſpaniæ modò ciuitates, ſed domos etiā & animos hominum ſic inuexit, vt ſint permulti illius diſcipuli, quos propter admirabilē ſcientiam, & exquiſitam rerum copiam exteræ nationes iure debeant admirari: Huic vero tam excellenti & diuino homini parem fuiſſe arbitramur Ioannem Methymnæum Cōplutenſem nō ingenio ſolum, quo plurimùm viguit, ſed doctrina & ſubtilitate quadam diſſerendi, & reliquis etiam animi ornamentis, quæ permulta in hoc ſingulari & ſummo viro fuerunt, quem nec à ſcribendo deterruit amplitudo Victoriæ, nec huius vnius viri ſtudia, quæ per annos 20. Compluti floruerunt, potuit quiſquam ſua copia obſcurare.

Fuit enim hoc datum dono quodam prouidentiæ duabus maximis & ampliſſimis Hiſpaniæ Academiis, vt duo in eis ſummi Theologi eodem tempore verſarentur, vnde fructus

fructus doctrinæ admirabiles in omnes partes ex æquo & sine inuidia redundarent; His duobus eiusdem ætatis annumerabatur nemo tertius: Verum post Theologos Complutenses, quibus sicuti ego statuo, nihil fieri potest syderum conuersione perfectius, Philosophiæ iuxta atque Theologiæ arcem citra controuersiam tenuêre Dominicus de Soto Segobiensis, Alfonsus de Castro Camorinẽsis Franciscanus, Reuerendissim. Melchior Canus, Bartholom. Mirandensis, quibus ego Ludouicum Carauialum merito adiunxerim.

Cæterum Dominicus de Soto vnicum ingenuarũ artium columen, totius Hispaniæ consensu cæteris doctrina præstitit Doctoribus, si Thoma & Aristotele cõtentus, præclaram illam ad Rom. Epistol. Commentariis non attigisset: Alfonsus autem de Castro si vt aliena, cum hæreticis congressus fortiter & litterate nimis refutauit, ita ornatu & copiose confirmaret, ne quidem vererer cum veteris ætatis præcipuis auctoribus multis quidem doctrinæ partibus comparare: At summi viri Melchioris Cani & Bartholomæi Mirandensis omnis illa ingeniorum & singularis doctrinæ numquam satis pro meritis laudata facultas ex monumentis ipsorum non ineleganter scriptis, perspici potest; quæ & omninò absoluta est, & perfecte diserta, in eoque constituta loco, quem multi mirentur, & pauci attingant: Hos omnis eruditionis laude conspicuos Hispania in suo Salmanticensi Musæo educatos, perpolitosque amantissime fouit, publicæque vtilitati natos per varias orbis partes tanquam fœcundas nubes fertili animorum incremento præparatas disperſit.

Quantum vero illustrissimum hoc lycæum Gallorum eruditioni, doctrinæque fuerit obstrictum, ex eo aperte dignoscitur, quod Io. Mariana testatum reliquit, videlicet, Lib 11.c.21. *quod Inducíarum tempore publicum ſapientiæ Gymnaſium Regis opera, Roderici Præſulis hortatu, Palentiæ conſtitutum iuuentute litteris & humanitate informanda, quo vno ornamento Hiſpania bello implicita cæteris deſtituta erat; artium vero profeſſores ex Gallia atque Italia magnis propoſitis præmiis euocati, &c.*

Cum

Cum igitur huiusmodi Academia (vt modo diximus) Palentia Salmanticam traducta fuerit, quantum huic Galli viri eruditionis ac scientiarum laude insignes contulerint splendorem facile argumentari possumus ; adeò vt in prima huius Academiæ institutione ac progressu ex mutua Francos inter ac Iberos societate scientiarum cultus mirum in modum excreuerit.

Quo sane factum est vt ventum sit ad ea tempora, cum non tam præclarum esset latine scire, quàm turpe nescire, si quidem hæc persuasio magno ac singulari Numinis beneficio Hispanorum animos altissime tenuit, vt multi etiam viri nobiles arbitrati sint numquam se veram nobilitatem esse adepturos, quæ in virtute, admirabilique sapientiæ studio consistit, nisi plus attigissent eruditionis, quam qua prima illa puerili institutione fuissent imbuti.

CONIMBRICENSIS ACADEMIA.

Hoc prudenti & diuino consilio Ioannes III. sereniss. mus Lusitaniæ Rex in decus nobilissimæ gentis & vtilitatem studiorum, inter victrices lauros, quas ex Africa quotidie reportabat, suis temporibus Conimbricæ fecit : Hic nobili constructa Academia doctissimos vndecumque præceptores ampliss. imis conditionibus euocandos curauit, quorum illustri, præclaraque nominis fama, non Lusitanos modo intra suum regnum contineret, sed exteras, seiunctissimasque nationes, tanquam in refertissimum rerum omnium mercatum ad suauissimas epulas inuitaret.

Vnum inter plurima, quæ singulari Regis prudentia instituta sunt, veteris Scæuolæ exemplo fieri accepimus, neminem ad Ius ciuile audiendum admitti, qui non sit prius in dialectica tempore aliquo versatus : Inter quamplurimos Lusitaniæ doctos viros, qui præter cæteras artes pulcherrimas, quas sunt consecuti, hac etiam dicendi laude plurimùm sunt delectati, Hieronymus emicat Osorius, qui de Gloria & de Ciuili & Christiana Nobilitate nobilissimos libros suaui simùl & artificiosa verborum structura citra versum conscripsit ; sono & numero orationis leniter demulcet aures, vt hac vna possit singulari virtute cum Lactantio, &

Christo

Christophoro Longolio, & quouis alio Ciceroniano non iniuria certare; Aristotelica tamen quadam differendi ratione, & copia sic est vsus, vt non ad voluptatem aurium, quæ summa est in hoc auctore, sed ad iudiciorum certamen scripsisse videatur.

Sequitur è vestigio Bartholomæus Pinus Portodomæus, qui longe abest ab his ornamentis & delitiis Orationis, propter ingenium tamen & artes liberales, quibus est institutus, & illud suum commentandi genus, quo librũ Quinctiliani sane difficilem enarrauit, Philosophis & Eloquentiæ studiosis non improbandus: Quod si omnes viros doctos nominatim persequi vellem, cum iam multi in Hispania efflorueriṅt, & quotidie sese proferant & ostentent, nullum sane esset oratio mea habitura modum, nam & copia narrantem obrueret, & quod certius fore pertimesco, pudor cohiberet viuentium laudes, & honor alienæ virtutis moueret inuidiam, quæ solum pertinaci silentio sanari possunt: Sed numquam hæc religio me ab hoc conatu repellet, quin celebritate incredibilem, & gloriam Academiæ Complutensis fere immensam memoriæ posteritatis sempiterno præconio consignem:

Verùm florentissima hæc Lusitanorum Academia non modo Francorum studiis nobilitata fuit, sed & in prima sui institutione ab ipsorum eruditione, doctrinaque mirũ in se deriuari experta est splendorem: Enimuero, (vt Hispanici testantur scriptores) hocce Gymnasium Ioannis III. beneficentia excitatum, ab aliquibus Gallis Doctoribus fuit illustratũ, inter quos Nicolaus Gruchius ductu Andreæ Goueani scientiarum laude celebris præcipue adnumeratur:

Gallos vero à Lusitanis pariter nonnumquam litteris imbutos fuisse pro comperto habetur, ac de Iurisconsultis ita Hispanicæ Bibliothecæ nouissimus Illustrator: *Antonius Goueanus Lusitanus tres fere annos in iuris ciuilis studio operam dedit Æmilio Ferretto Auenione profitenti: Tolosæ mox tanta in studio assiduitate, tantaque vsus est contentione, vt maiore non posset: Cadurci ius annos aliquot Magno concursu docuit, & Valentiæ Delphinatus, anno 1555. ad tit. de vulgari & pupilla-*

ri ſubſtitutione, anno ſequenti ; Gratianopoli ad legem falcidiam, quæ perdifficilis eſt, docebat: Nec mirum ſi doctiſſimus vir tot Gallicanas vrbes, prouinciaſque docendo peragrarit, cum late volans reconditæ ipſius doctrinæ fama ipſius audiendi deſiderium in Gallorum animis ſcientiæ perquàm auidis excitaret, vnde Hiſpania de tanto Doctore Gallorum ſplendori ſubminiſtrato iure gloriari poſſit: Sed de Conimbricenſi ſtudio ſatis.

COMPLVTENSIS ACADEMIA.

Iam nos ad ſe inuitat Complutenſis Academia, de qua Iberorum laudator Muſæorum vere pronuntiauit: *Ipſam* ſibi videri *publicum eſſe totius Hiſpaniæ oraculum, vbi humanæ vitæ ſortes laureati verſant Theologi, quos non ſolum numero, ſed diuina quoque Sapientia cæteris totius Hiſpaniæ Doctoribus ſi non præferre propter inuidiam audemus, ne poſtponendos quidem iudicamus*: Philoſophorum prætereà, & qui aliis diſciplinis in ſectas & familias diſtributi, operam nauant, tam eſt innumerabilis, infinitaque multitudo, vt ſingulorum annorum fœtura poſſit viris doctis (ſicuti reipſa compertum eſt) tota vndique Hiſpania repleri:

Atque vt totam hanc rationem Academiæ Complutenſis ad veterem ſtudiorum formam, & imaginem amœniſſime conferam: Hic canunt (vt inquit Martianus Capella) redimiti vates; perſonant fidibus muſici; dicunt ad clepſydram Oratores; deuoluunt Plato & Archimedes aureas ſphæras; ardet Heraclitus, vdus eſt Thales, volitat Democritus circumfuſus atomis; replicat Samius Pythagoras cœleſtes numeros, requirit Ariſtoteles Endelechiam; ducit Zeno Anum prouidentem: Illud quoque addo Hippocratẽ, &c. Gallenũ Medicinam ex nocte denſiſſima, in qua vſque ad hæc prope tempora latuerat, in lucẽ reuocaſſe, partim publicis & quotidianis diſputationibus Cõplutenſium Medicorum, partim editis doctiſſimis Commentariis, qui in templo Æſculapij (vt quondã fecit Hippocrates) inſcribi & dicari potuiſſent: Cæterum vt artes omnes, & diſciplinas nobilis hæc Academia perbeate coluit, ita vnius Eloquẽtiæ ſtudio adeo fuit immenſa, vt magnos Oratorum partus perbreui tempore tulerit:

Cui vero potiſſimum nobile hoc Complutenſe Lycæum totam

totam ſuam,quanta quanta eſt,gloriam,decus& ornamentũ accepta referat, niſi æterna viro memoria digniſſimo Franciſco Ximeni Purpuratorum Patrum clariſſimo Lumini,qui vt in natale ſolum ex omnibus Reip.Chriſtianæ Gymnaſiis bonas litteras iamdiù ab Hiſpania exulantes reducendas curaret,ad Complutũ cariſſimã patriam exornandũ ſeſe comparauit:[a]Interim Franciſcus Ferrera Complutenſis Eccleſiæ Abbas, qui quarto ante anno Romã miſſus à Ximenio fuerat,de Academiæ Cõplutenſis erectione cum Rom. Pontif. acturus, vir ſane induſtrius,& ad congreſſum potentiorum aptus,obtentis diplomatibus illis, litteriſque quas Breues vocant,ad eam rem conficiendã neceſſariis ad Ximeniũ venit: Ea partim Alex. VI. partim Iulij 11. indulgentia,omni benignitate,omnibus gratiis,& fauore refertæ liberaliſſime conceſſæ ſunt: Quas poſtea Leo X. magnus ingeniorum & ſtudiorum fautor, multis incrementis confirmauit:

Lucas Vvaddinghus. Annal. Minorũ Tom.8 ad annum Chr. 1501. n.8. & 9.

[a] Ann.1502. n.9.

Franciſcus itaque Ximenius Archiep. Toletanus ſub finẽ præcedentis anni Complutum profectus, ſurgenti ſcholæ faſtigium impoſiturus,cui nuper dum Toleti commoraretur, decies centies nummum perpetuo percipiendũ è prouentibus regiis comparauerat, tandem capta temporis opportunitate dum Ferdinandus Rex è Burgenſi ciuitate Cordubã proficiſceretur, Complutum hoc anno venit ſuam viſurus Academiam, nõua ſcholaſticorum colonia, & Doctorũ virorum prælectionibus florere incipientẽ: Curauerat ille ſelectos adoleſcentes Salmantica deduci qui die 26. Iulij D. Annæ ſacro, præmiſſa magna pompa,in D. Ildephonſi ædes Academiæ præcipuas, primumquque Collegium fauſtis auſpiciis ſolemni epulo ſunt admiſſi: Accerſiti pinqui ſtipendio partim Salmantica, partim Lutetia Pariſiorum doctiſſimi viri qui cathedras regerent;omnibus facultatibus Grammaticæ, Humanioribus Litteris, Græcæ & Hebraicæ linguis addiſcendis cathedras inſtituit: Hanc ipſam Franciſcus Cardinalis Acadeniam, quam ſupra omnes alias operum inſtitutorum curas tanquam dilectam filiam adamabat, ſingulari ſtudio adaugendam, ornandamque curauit:

Ann.1508. n.2.

Ann.1511. n.4.

Probe nimirum intelligebat Purpuratus ille Præſul,

quanta in omnes Regnorum Ordines ex Academiis tanquam capacissimis viuidarum scientiæ aquarum conchis bonorum omnium fluenta erumperent; Nec ipsum latebat quam accuratè stupidi plerumque mortalium animi ad euellendas vitiorum omnium spinas, inserendasque virtutes scientiarum adminiculis informarentur:

Quamobrem, vbi primùm discussis Paganismi tenebris Franci Reges clarissimo Euangelicæ doctrinæ lumini oculos aperuêre, insito naturæ discendi semper noua desiderio incensi, bonarum studio litterarum se totos addixêre, multæque eruditionis viros summo semper honore sunt prosecuti: In ipsis Gallicanæ Fidei incunabulis Clodouæus doctos viros perquisiuit, humaniterque apud se habuit; & quemadmodum Rex animalium Elephantus natatoriæ artis imperitus, in fluminum ripa nihilominùs exspatiari delectatur, pari ratione Clodouæus cum in pleraque scientiarum arcana minimè penetrasset, in familiari tamen doctissimorum suæ ætatis Episcoporum consuetudine miram animo percipiebat voluptatem, continuis præsertim S. Remigij documentis recreatus, eximia cuius doctrina scaturiens veluti atque inexhaustus sapientiæ gurges in eius intimum pectus suaui quadam violentia penetrabat.

Quid de eius filio Chilperico memorem? qui non modo scientias plurimi fecit, sed & purpuræ suæ radiis honorauit, cum in sui eruditorum temporis numero floruerit, vti etiamnum hodie fidem facit Epitaphium S. Germani Parisiorum Episcopi memoriæ ab eo compositum: Inter optimas Clotharii II. propensiones primas tenuit studium litterarum, quibus æque ac in quouis digno Regis exercitio interdum est oblectatus:

Neque vero Dagobertus Aristoteli velut Alexandri, Virgilio tanquam Augusti, & Polybio alterius loco Scipionis extitit, sed Aristotelis, Virgilij, & Polybij partes sustinuit, vt ex relictis ab eo Ordinationibus liquet, quas varij postmodùm Iurisconsulti egregiis commentariis illustrarunt:

Carolus vero Martellus Romanos olim Herculis statuam

Musis

Musis vicinam posuisse, tantoque duci Musagetæ nomem à Græcis inditum, quo Principum fortitudinem numquam meliùs, quàm cum scientiis locari notum cunctis foret, non ignorauit, siquidem filium Pipinum omnibus scientiis instrui curauit, quarum Magnus hic secundæ Regum stirpis Princeps felicitatem expertus, eas in filij Caroli Magni spiritum transfudit, quas tanto mentis ardore, tantoque gustu arripuit, vt nullius scientiæ vsus ipsum prætermiserit: Hic sapiens Imp. Hebraicam, Græcam, Syriacam, & Chaldaicam linguas adeo perfecte calluit, vt vnaquæque materna eius videretur; cuius præclara in Noui Testamenti iuxta Syriacũ, Græcumque textum correctione signa edidit; Ex remotis Scotiæ finibus Clemẽtem & Albinum doctissimos sui sæculi viros accersiuit, Heluetium Doctorem Valdonem, & ex Anglia famosum Alcuinum euocauit; Hunc in Germaniam ad S. Martini Monasterium, Albinum vero Scotum Papiam, in ea fundaturum Academiam delegauit: Clementem Lutetiæ, Valdonem artes docturum liberales in Sandyonysiano Monasterio collocauit:

Ticinensis autem & Bononiensis Academiæ quicquid sunt ipsi totum debent, vti multa Galliæ, Germaniæ, Hispaniarum, atque Italiæ Collegia: Placet hic optimi scriptoris stylo Magni illius Imp. erga litteras studium describere; Sic autem loquitur: *Cum longo post tempore in Galliam diuertisset, pueros quos Clementi commiserat, Epistolis, versibus, carminibus, orationibus, panegyricis scriptis, sui profectus specimen exhibere iussit: Vbi tenuiores præter spem profecisse, nobiles vero cultum animi neglexisse deprehendit, illis ad dextram segregatis animos fecit, eosque filiolos vocans Imperij eis promisit dignitates; deinde in Nobilium liberos, quos à læua collocarat, acerrime inuectus est:* Cum ergo Carolus Magnus propria didicisset experientia, quantum litteræ natiuam principis iuuent prudentiam, doctissimos filiis suis Præceptores suppeditare non omisit, qui omnibus Regiæ propriorum dignitatis luminum ornamentis tantos principes illustrarent: Quæ prudentia non vulgaris in causa fuit, cur Ludouicus pius, & Carolus Caluus sancti Heroïs

Auentin. l. 4. Annal. Boiorum.

ſicut in regno ſic in doctrina ſi non æquali ſaltem tuendo magni Principis ſplendori neceſſaria ſucceſſores exſtiterint:

Sin autem in tertiæ Reges ſtirpis oculos coniiciamus, Hugo ipſorum nomine, reque ipſa Caput, humanũ terræ ingenium ſimile non ignorans, quæ nonniſi in quantum excolitur, fructus edit, doctiſſimum in Aulam Gerbertum euocauit, quẽ Roberti filij coronæ ſuæ heredis inſtitutioni præfecit: Hic princeps adhuc iuuenis tanta animi voluptate cum Muſis eſt conuerſatus, vt à Lemouicenſi Synodo[a] *doctiſſimus Regum* fuerit appellatus: in poëſi maxime excelluit, quam non infami turpitudinis Deæ, ſed Virginum Virginis honori dicauit: ſuam quoque pietatem in hymnis ab ipſo ſolemniorum feſtiuitati dierum compoſitis mirùm quantùm elucet: Illum ad SS. Hoſtiæ eleuationem cantari ſolitum ipſi debemus, quem olim his intonabant verbis:

[a] Papyt. Maſſo l. 3. Hiſt. Reg. Franc.

O Salutaris Hoſtia,
Quæ Cæli pandis oſtium,
Serua Regem & Lilium
In ſempiterna ſæcula.

LVDOVICVS VII. ſcientiarum reſtaurator fuit, quippe cuius ſtudio Philoſophia, Theologiaque nouum in Regni Academiis nitorem ſortitæ fuerint; quam ob cauſam, amabo, litteræ in Gallia tanto cum ſplendore florebant, niſi quia, referunt Hiſtorici, Regem magnis eas præmiis excolentem, earumq; Profeſſores ad ſupremos dignitatum apices extollentem repererant? cum nullum ſit dubium, quin futuri ſint ſemper in Gallia Horatij, dũ pariet Mecænates; Frontones item, quandiu habebit Antonios; ſapientes quoque Poſſidonij, dum Cn. Pompeios exhibebit; deniq; Iſocrates, quãdo ipſis pro vnius orationis præmio viginti talenta ſoluentur: Cum autem Ludouicus VII. tam bene erga doctos affectus fuerit, Philippũ etiam Adeodatum filium ſuum huius gloriæ participem fieri voluit, quod in cauſa fuit, cur ipſo regnante *florerent*, inquit Rigordus, *Lutetiæ ſtudia litterarum, eoque ex omni Europa auditores confluerent, non tantum propter loci amænitatem, & rerum omnium copiam, ſed multò magis propter honorem, quem Philippus earum profeſſoribus exemplo Ludouici patris deferebat:*

Apud Vincent. l. 3. Hiſt.

Et

Et quamuis Ludouicus XII. litterarum, quæ apud doctos inueniri solent, cognitionem non attigerit, non tamen à fouendis hominibus litteratis abstinuit, quos regali munificentia iusto ad docendas litteras stipendio donauit; Historiæ lectione plurimum oblectatus sanum de Græca, Latinaque iudicium ferebat: Atenim Franciscus I. aperto Iani templo, Musarum simul templũ clausurus credebatur, verum nullis, quæ gessit, obstantibus bellis vt magnanimi Regis, ita litterarum Patris elogium retulit; suã Hebraicæ, & Græcæ litteris existimationem restituit; duodecim Regios Lectores Parisiis stabiliuit. Guilelmum Compostellanũ quatuor mille aureis vna vice donauit, quo Bibliothecam libris ditaret, atque ita suum erga litteras armaque studium ita diuidebat, vt cuinam ex duobus magis faueret, non tam facile esset iudicare: Carolus item IX. in dulci Musarum otio fatigatũ Regni curis animum relaxabat, quo tempore librum de venatione cæteris eiusdem argumenti superiorem conscripsit; politos insuper adeo versus & pro suo sæculo elegantes composuit, vt primos quosque poëtas in sui raperent admirationem:

Denique Henrici III. ætate, Gallia quædam veluti nutrix totum lac extraneo puero nihil proprio suo reseruans porrigebat; Latinam Eloquentiam in scholis tanto cum sudore nutriuit, vt tales Latios Oratores in lucem ediderit, quos Romæ potiùs, quam Parisiis ortos dixisses; Henricus vero Rex Gallicanæ Eloquentiæ tota antiquitate studiosior, ipsi fratris atque nutricis loco fuit, quam tanto studio educauit, vt ab illo suo tempore tanquam consurgens aurora vsque ad perfectam luminis diem contendat: Et certe nonnisi magnos facere progressus poterat, quippe quæ tam difertum nacta sit Parentem, vt non modo eloquentissimus sui sæculi Orator, sed viuus Hermathenes æque sapiens atque facundus merito fuerit pronuntiatus:

Nullus me hercule intimos ac beneuolos Henrici Magni ac Ludouici Iusti erga omnia scientiarum genera sensus exprimere melius possit, quam tot Societatis Iesv Collegia, quæ in omnibus Regni prouinciis regiis donationibus munita stabiliuêre, tot veluti Catonum & Moysum Seminaria,

qui

qui in pace belloque Franciam mirabili doctrina, præclarisque gestis illustrent, tot insuper ad conseruandam Politicæ istorum Regum prudentiæ memoriam tabulæ, æternaque propensissimæ eorum erga litterarum gloriæ augmentum voluntatis monumenta:

Cedant ergo tandem arma togæ, nimium Marti ac Bellonæ litatum; reduci iamiam Apollini, Musisque quasi postliminio reuersis plaudite alacres nobilium Academiarum alumni, tetrum illud orbis monstrum, pestemque malorum omnium fontem, virtutumque mortem ignorantiam vestris procùl finibus amandate; Tot doctissimorum virorum siue Pontificali, siue Regali, siue alia quauis dignitate fulgentium erga liberaliũ artium Gymnasia, Litterarumque penus studia æmulamini; Et quoniam degeneres vos esse nequaquam decet, eia ouantes, ô Iberi, perantiquam vestram cum Gallis in studiorum palæstra consuetudinem, sæuis bellorum tumultibus interruptam reuocate; Num primarios dignitatum apices consequi, num reconditis potiri thesauris, num solida tandem animi corporisque voluptate perfundi exoptatis? ad scientiarum Musæum, diuitesque litterarum Apothecas concurrite, plenis haurite cyathis, inexplebilem discendi sitim in perenniter fluentibus scientiarum vorticibus explete, bibite non cursim, aut primoribus, vt aiunt, labris, vel præcipiti, imo potiùs lento ac sapido gustu ineffabilem scientiarum dulcedinis percipite suauitatem, immergimini in profundissimo Litterariæ iucunditatis Oceano; in vera, homineque libero digna tandem ingredimini Academicarum recreationum gaudia, adhærete ergo, & inhærete, si continuus gustus fuerit, continua, mihi credite, beatitudo erit: Nec committite, ô Galli, vt quam elapsis temporibus Gymnasticis scientiarum omnium ludis digna mentium vestrarum auiditate coluistis societatem, hanc turpissimo in otio languentem intermori vnquam patiamini.

Continuum vtriusque regni ad promouendam Catholicam Fidem, atque ad contundendos eiusdem perduelles studium, Faustoque hoc LVDOVICI XIV. *cum* MARIA TERESA AVSTRIACA *Connubio firmatum.*

CAPVT DECIMVM.

PRÆCLARA inter elogia, quibus SS. Patres mutuam animorum consensionem ac pacem prosequuntur, illud præ cæteris animaduersione dignum videtur, quod nempe vnitas Christianæ Religionis fundamentum stabile ac inconcussum sæpiùs abipsis nuncupetur; vnde aureus Rauennatum Antistes magnificis hisce verbis Pacem indigetat, suspicit, miraturque: *O quàm desiderabile nomen pacis, quàm Religionis Christianæ stabile fundamentum!* Et alibi: *Pax fidei alumna, columna iustitiæ:* Et sane *Quies, Pax, & tranquillitas Christiani est propria*, recte omninò pronuntiauit sapientissimus inter Patres Christianorum Pædagogus, necnon aurei sermonis sui facundia inter Græcos nominatissimus de Fide meritò asseruit, *quod animum cogitationemque facit conquiescere.* Petr. Chrys. serm. 149. Serm. 138. Clem. Alex. l. 2. Pædag. c. 7. Chrysost.

Hoc nimirum Euangelicæ legis insigne, eximiumque habetur Symbolum, quod à vanis, fictisque gentilium Philosophorum, & Hæreticorum sectis fidelem discernit, quod non modò animorum, sed & corporum quietem operatur; sicut enim hæresis rixarum, contentionis, pugnæ, turbarum, ac perduellionis origo esse solet, ita fides Catholica pacis & quietis mater: Quamobrem insignis Arianæ tempestatis compressor, & Catholicæ vnitatis acerrimus propugnator Athanasius Isaiæ vaticinium, *Conflabunt gladios*

suos in vomeres, & lanceas suas in falces, explanans ita subiungit: *Neque id incredibile, cum etiam nunc barbari feris moribus, idolisque hoc tempore sacrificantes in sese furiant, neque vel vnam horam sustineant sine armis viuere: Iidem tamen vbi Christi doctrinam audiunt, statim à bello ad agriculturam vertuntur, & pro gladiis tractandis manus ad preces extendunt; id autem insigne est Diuinitatis Saluatoris.*

Cum igitur, adspirante diuino Numine, florentissima Galliarum, Hispaniarumque regna felici hac ætate intima animorum necessitudine sint adunata, ecquis mortalium maxima & innumera maiori in dies Ecclesiæ, ac totius Christianæ Religionis incremento prouentura ex hoc recenti inito fœdere commoda mente complecti, satisve mirari queat? Quamobrem quos olim Vrbanus IV. ad Sanctissimum Galliæ Regem Ludouicum scribens fidei prouentus, quamque partam Apostolicæ Sedi ex reddita ipsius regno pace gloriam hoc magnifico verborum tenore commemorat: *Sane, Fili charissime, hoc semper optauit Romana Mater Ecclesia, & ad hoc studium efficax, & attentam vigilantiam incessanter impendit, vt Christianissimum & famosissimum regnum tuum, cui ex alto Dominus in omnibus benedixit, cuiuslibet exinde turbationis nube fugata, serena continuæ pacis amœnitate gauderet, & quibusvis discordiarum surculis ab eo funditùs extirpatis, ac concordiæ inibi seminario superfuso, eius incolis quietæ tranquillitatis, & tranquillæ quietis fructus produceret amabiles: Nec immeritò, quia hoc est regnum, in cuius integritatis odore prædicta Ecclesia in cæterorum fere Regnorum, & Prouinciarum orbis terræ scissuris afflicta, & animo fatigata respirat, &c. Porrò & si Romani Pontifices Prædecessores nostri pro conseruatione pacis ipsius regni sollicitè suis temporibus laborarint, efficacem ad id opem & operam impendendo; Nos tamen, qui ortum de regno ipso produximus, eo feruentiùs & libentiùs opportunitatis tempore ad ipsius regni commoda promouenda nostra totaliter conuerteremus studia, & animum pararemus, quo arctiùs ad hæc ex naturæ lege tenemur, & quo etiam eiusdem Ecclesiæ vtilitas, quæ ipsius regni est annexa profectibus, ad id propensius nos inducit, &c.* Eosdem omninò Ecclesiæ progressus

Ann. 1262. 45.

greſſus ex hac recenti Iberos inter ac Gallos confœderatione promanaturos auſpicari liceat, quibus Chriſtiana Religio non ſolum penes vtramque gentem, ſed etiam vniuerſum fere orbem ingenti perduellium fidei, fæuiſſimorumque omnium eius hoſtium detrimento, ac internecione mirum in modum refloreſcet;

O quales & quantos Chriſtianus Orbis vniuerſus generoſæ in Deum fiduciæ concipit ſenſus, quàm rationabili feruentiſſimoque cordis affectu ſperat, confiditque diuino fretus auxilio, fore vt nequiſſimæ Agarenorum reliquiæ infenſiſſimi Eccleſiæ hoſtes confœderatis, ſimulque ad extremam illorum perniciem conſpirantibus potentiſſimorum Regum nouæ glutino vnionis ſibi inuicem adhærentium copiis quantocyùs deleantur! Perennis enim, ſemperque accenſus, & numquam tepeſcens Catholicæ fidei zelus, Regumque ac ſubditarum ipſis gentium ardore in vtroque regno, aſſiduiſve pectoris ad optima quæque anhelantis ignibus continuo nutritus, nouiſque Fidelium perfectam Chriſti ſeruitutis libertatem ambientium flammis auctus, quantam Eccleſiæ fœlicitatem, quantum Apoſtolicæ Sedi ſplendorem, quantam populis pacem, quantam perduellium hæreticorum promittit ſtragem, quantam denique fœdis Lunati Turcæ deliramentis de noſtris proh dolor! inteſtinis nimium diſſidiis ſupraque modum inſoleſcentibus apparat, minaturque vaſtitatem!

Cum autem inſignium vtriuſque toties à nobis ſuperioribus paginis celebratæ nationis virorum pro fidei dilatatione, ciuſque hoſtium, perduelliumque ruina ac pernicie, necnon ſanctæ Sedis Apoſtolicæ conſeruando ſplendore atque ipſi debita populorum veneratione tuenda, augendaque in dies præclara facinora enumerando percurrere iamiam decreuerimus, abſit vt qui ſinceræ veritatis magiſtrum ſequi gloriatur, fictam ſimul & artificioſam dicendi, ſcribendiue rationem profiteatur; abſit, inquam, vt qui vanas mundi illecebras, fallacemque ipſius gratiã deſpexerit, quod veritati debet, illud idẽ molli ac vitioſa quadã adulandi libidine tribuat hominũ gratiæ ac falſitati: Namſi liberos homi-

nes adulatoria dedeceant verba, in sacrato Altarium Ministri ore, eumdem capitalis reum noxæ constituunt, quippe linguæ adminiculo, trababi quodam veluti ponticulo æterna bonitas in secretiora ipsius cordis adyta penetrare soleat; Atque vt perditi ingenij est laudare vituperio digna (vetus quidam sapiens aiebat) ita gloriæ digna magni æstimare, nec aliorum lumina silentij tenebris obscurare boni viri proprium esse censetur; Nudam igitur ac solam veritatem in sequenti Orationis decursu sectabimur, illudque duntaxat, quod absque turpissima extremi liuoris nota prætermitti nequeat, scriptis mandabimus; Nec committemus, vt, quantum fieri poterit, quicquam eorum nobis excidat, quo maior ad Dei gloriam, vtriusque Regum nationis splendorem, denique virtutum ac pietatis progressum cumulus accedat.

Democritus apud Stobæum serm. 13.

Sed quoniam immensum iam dicendi campum ingressuri sumus, ne forte plus æquo nostra diuagetur oratio, longioribusue natiui in propriam gentem affectus, studiique excursionibus humana beneuoli vltra modum Lectoris fatigetur patientia, eamque ne vllatenùs exacerbare voluisse videamur; operæ pretium fuerit, si totam sequentis narrationis seriem in breuiores aliquas sectiones leuando lectoris tædio distinguamus, quas in paragraphos subdiuidere non erit ingratum.

SECTIO PRIMA.

Gallorum Regum pro Catholica Religione tuenda, augendaue perennis ardor & studium.

QVantum florentissimum Galliæ regnum Ecclesiæ per vniuersum orbem diffusæ, Sedique Apostolicæ, vel in propugnandis Christianæ Religionis dogmatibus, vel in expugnandis Fidei hostibus præstiterit adiumenti, decorisue, Ecclesiasticarum historiarum monumenta fusè declarant; Ex quibus nonnulla de singulis hoc loco delibasse

suffi

sufficiet, ac primum incredibilem Christianissimorum aliquot Regum Fidei ardorem, perennemque tot sæculorum periodis Catholicæ Religionis cultum oculis subiiciemus; quare sit

PARAGRAPHVS PRIMVS.

CLODOVÆVS Rex Primus inter Francos Reges Christianus, & Catholicæ Religionis acerrimus propugnator.

VIx Francia sub Clodouæo sese Christo denouerat, cum propugnandæ Fidei studio, profligandæ Arianæ prauitati strenuè desudauit, *Clodouæus* namque[a] (Remensis inquit Ecclesiæ Annalista) *Per consilium Reginæ suæ, fecit Ecclesiam in honorem Apostolorum Petri & Pauli in Parisiorum ciuitate; pugnaturus enim aduersus Hæreticos, iure sibi Principes Apostolorum eo munere conciliandos putauit, vtpote validissimos aduersus impios propugnatores Ecclesiæ:* Tumque accepto vase de vino pleno, quod S. Remigius benedixit, in Alaricum Gothorum Regem in Arianismo contumacem, optimaque salutis monita ab amico Rege sibi ingesta despicientem castra mouit, quem singulari demum certamine aggressus, ex equo deiectum lethali mucronis ictu ad latera confecit, illique vitam ademit, qui innoxium Christianæ multitudinis sanguinem toties effuderat: Hoc autem generoso Clodouæus facinore, vt depictis recèns in Symbolico suo scuto cœli decretis faceret satis, tria ineffabilis, augustæque Triadis lilia, in eiusdem capitalium hostium campis plantare tentauit.

[a] Hincmarus in vita S. Remigij.

Quamobrem si Gentilitia Lusitanæ domus parma quinque scutis in Crucis modum dispositis gloriatur in perpetuam Alfonsi I. Regis sui reportatæ ex quinque Maurorum Regibus victoriæ memoriam; si Mediolanenses cœruleum serpentem suum, puerum rubeum deuorantem, ab Othone Vicecomite suo Sarraceno Principi auulsum prædicant; si Belgæ scutum suum leone in cœruleo item campo iacen-

te inſignitum, nobile veluti ſpolium ab Alſatio eorum Comite è Mahometani Regis manibus extortum magni faciunt; ſi Sabaudia Candidæ Crucis ſuæ trophæum altius extollit, ſacrum velut Amedæi ſui Comitis zeli monimentum; ſi Beſignanus denique Princeps in ſpecioſam ſuorum pro Eccleſia, ac D. Petri Sede officiorum gratiam, decuſſatas eiuſdem Apoſtolorum Principis claues pro ſcutaria icone accepit, numquid Clodouæus Arianorum terror, tria in cœruleo campo aurea lilia deferre meretur, qui tot certaminibus adorandæ Trinitatis honorem ſimul & amorem propugnauit, primuſque Chriſtianos inter Reges contra infenſas Deo & hominibus Hæreticorum acies arma mouit? Paulo Æmilio teſtante & aliis; [a] Quod *Gens Francia prima omnium pro Religione ſigna cum Chriſti hoſtibus contulit*: O Eximium Monarcham, (& quis, amabo ipſius meritis æquari, nedum conferri poſſit?) qui reiecto Auguſti titulo, Chriſtianiſſimi nomen prætulit, vt quod nomine profiteretur, re ipſa exhiberet! Hanc porro diuinam in vita prærogatiuam tam iuſte ſibi comparauit, vt mors ipſa nequaquam illi eiuſque coronæ heredibus rapere potuerit, cum in eius adhuc Epitaphio, apud S. Genouefæ templum legentibus obuio perſeuêret.

[a] Sabellic. l. 2. Ænead. Iacob. de Charron. in hiſt. gener. Paul. Æmil. l. 2. hiſtor. Franc.

Hoc autem glorioſo appellationis titulo inter ſummos Pontifices Hormiſdas PP. primus Galliarum Reges inſigniuit, quo dignas pretioſorum munerum à Clodouæo S. Petri Eccleſiæ oblatorum gratias rependeret: S. Remigius honorificam de eodem in ſuo teſtamento fecit mentionem; Decretales item Stephani II. Pauli I. Stephani III. Adriani I. Nicolai I. Ioannis VIII. & Honorij III. Sum. Pont. Quidni vero Auguſtiſſimi Frãcorum Monarchæ hoc elogio glorientur, cum miraculoſo chriſmate vngantur, ex quo Chriſtianũ nomen ſuam duxit originem? Chriſtianiſſimi dicuntur, atque hunc præ cæteris titulum ambiunt, vt cæteros inter Chriſtanos fideliorem ſuam Chriſto probent ſeruitutem: Ipſius namq; doctrinã Cruciſq; opprobriũ aſpernati nũquam, cũ ipsã toto præfulgere mũdo, deq; crudeliſſimis fidei Chriſtianæ hoſtibus triumphare magnis laboribus procurarint.

Illud refert Iacob. Breul lib. Antiquit. Pariſien.

Hac

Hac in re veterum Principum vanitatem ac ſuperbiam compreſsêre, qui non minori inſania, quam faſtu Reges Regum, Deorum cognatos & affines, vti Darius; Armorum Patrem, Magnum Imperatorem, & in terris Deum, ſicut Caligula; Aſtrorum, Solis & Lunæ fratrem, vti Sapores Perſarum Rex; Iouis Ammonij filium, vt in Alexander M. denique fulminis progeniem, quemadmodum Sinarum Rex, ſeſe appellari mandarunt; Gallis vero Monarchis poſt Clodouæi Baptiſma Seruorum Chriſti, cui *Seruire, regnare eſt*, titulo nihil antiquius: Porrò iſti nobis amice corrigendi, qui Pipinum eiuſque filium Carolum Magnũ primos Chriſtianiſſimorum titulo decoratos affirmant, in quo ignorantia potius quàm malitia videntur hallucinati.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Childebertus, Clotarius, Dagobertus, & Clodouæus II. Clodouæi I. pro Religione zeli amulatores.

MAgna profecto cuiuſlibet regni calamitas reputatur, cum magnanimus quidam Cyrus ignauum generat Cambyſem, quando ex Germanico crudelis oritur Caligula, quando item moderatus ac lenis Veſpaſianus ferum edit in lucem Domitianum, cum denique ſapiens M. Antonius inſani Commodi patrem ſe dici & eſſe lamentatur: Neq; vero leui aliqua humani Protoplaſtũ generis dolore moleſtiaque affectũ crediderim, quãdo ſe fratricidæ Caïni miratus eſt auctorẽ; Noëmũ ad deteſtabilis Caïni ex ſe geniti aſpectũ; Iſaacum ob guloſum Eſaũ ſuis ſumptibus educatum; Dauidem, quod viperino filio Abſaloni vitã dediſſet, Ezechiamq; piiſſimũ ſe omnium mortaliũ ſceleratiſſimi patrem Manaſſis recolentem; Catholicum deniq; Conſtantinũ, quod tetra Conſtantij filij Apoſtatæ mundum contagione infecerit.

Aliunde vero incredibili Regnum lætitia perfunditur, Cum egregij Monarchæ generoſos patiunt Succeſſores, tam zeli ſui pietatiſve, quãm coronæ hæredes; hoc in Franciæ Regno aperte patuit, in quo Clodouæus, cui Chriſtiana

Reli

Religione cum nihil charius exſtiterit, Filios nequaquam paternæ gloriæ degeneres poſt ſe reliquit, qui zeli erga fidem Catholicam ardoriſve defectu nominis ſui famam minime obſcurarunt; Childebertus quippe patrem æmulatus, non minori erga infidelem Amalaricum, quam Clodouæus in eiuſdem ſectæ Alaricum iracundia motus Arianos in Hiſpania fregit, ac penitus debellauit.

Adhæc optimi parentis exemplo magnifica templa Sanctorum Reliquiis pie aſſeruandis erexit, vnde Melchiſedech Regis ſimul & Sacerdotis nomen promeruit, totamque regni ſui fœlicitatem Diuini Numinis gratiæ acceptam retulit, hoc accepto Lemmate; *Cælum quod ſcindimus vnit*: Quo regnum à parente in filios diuiſum, in ſe iterum Cœli auxilio coronæ ſuæ vnitum aſſeruit; quin & Conciliorum vtilitatis probe gnarus, ſicut Clodouæus Aurelianenſe I., ſic ipſe II. III. IV. V. & II. Pariſienſe Concilia Religionis augmento coëgit.

Iacob. de Charron. in Hiſt. vniuer.

Clotarij II. memoria non minori digna commendatione videtur in hac ſua glorioſa Epigraphe; *Mens immota manet*: qua ſe Olympici montis inſtar æque ac Clodouæum auum ſuum in Religione immotum declarauit; quæ autem eloquentia propenſiſſimum ipſius in Eccleſiarum ſplendorem, Sacerdotumque defenſionem zelum exprimere queat? cuius non obſcuri teſtes fuere eximia ipſius in S. Columbanum reuerentia, intimumque erga SS. Gaudericum, Sulpiciumque ſtudium, cuius poſtremi meritis poſt vnius ſeptimanæ ieiunium, periculoſæ febris ardore liberari meruit; ſtupenda denique ipſius in S. Lupum Senonenſem Archiepiſcopum, detractorum calumniis ab ipſo ſede ſua expulſum, maiori tandem gloria reſtitutum veneratione, qua ipſi ad menſam ſedenti miniſtrare voluit, veniaque flexis genibus delicti ſui à Sancto viro petita, ingentes Eccleſiæ vſibus theſauros liberali contulit manu.

Quid de Dagoberto digniſſimo eius filio proferam? qui vbi primum ſinceræ pietatis latices hauſit, ſuas conſtruendis Eccleſiis diuitias effudit, Muſicam Templis, Poëſim Sanctorum laudibus, Diuino Numini cultum, honoremque

S.

S. Dionysio quoque cæterisque Beatis cœlorum ciuibus venerationem impendit, quæ omnia ipsius veritatem Lemmatis, *Non temnere Diuos*, monentis belle admodum confirmarunt: Et quamuis nulla nobis alia nisi vltima ipsius ad filios verba, Dagoberti zeli suppeterent argumenta, Eum miro Christanæ Religionis progressus desiderio accensum non fuisse, nemo prudens affirmarit: Audite quomodo de illa Sigeberto & Clodouæo filiis loquatur: *Vos autem boni filij* (Aimoinus sic eum loquentem inducit) *considerantes primùm Religionem, cuius gratia etiam bestias ligat, manete fratres, nolite exuere.* Lib. 4. c. 30.

Quod autem ad Clodouæum II. attinet, in Clypiensi Concilio se verum Sigeberti fratrem, paterniq; zeli heredem testatus est hoc tenore verborum: *Quamquam Francigenæ ciues terreni nos cura principatus admonuerit publicis nos rebus admouerē; tamen prius nobis conuenit ea quæ Dei & Sanctorum sunt disponere, vt postmodum ea quæ nostra, Deo dante, ex sententia succedant, &c.* Sin autem Constantini Magni, Theodosij, Valentiniani, innocentissimorũq; orbis Principum vitam perscrutemur, virtute nitentem ducere vitam, secretum omnium maximum dici & esse dubio procul fatebimur. Aimoin. l. 4. c. 41.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

CAROLVS MAGNVS, Ludouicus Pius aliique secundæ Reges stirpis eximij Catholicæ Religionis Zelatores.

QVamuis Constantius Imp. Magnam Heroica sua virtute apud posteros laudem sit consecutus, nullam tamen ipsi clariorem tribuunt historici, quam quod Magnum Constantinum populi Patrem, verumque Ecclesiæ filium mundo pepererit: Idem nos plane de Pipino secundæ Regum nostrorum stirpis Capite possumus affirmare, qui sua propter egregia facinora æternis dignus encomiis, illustriorem suam, dignissimus Caroli Magni Imp. ornamenti, Gallorumque Regum miraculi pater effectus, gloriam cunctis

suspiciendam patefecit : Hic autem Rex eminenti quodam modo regias complexus dotes, in Orthodoxæ Religionis zelo admirandum se præbuit, ita vt non solum Carolus Magnus, sed Ter Maximus, in militari nimirum fortitudine, scientiarum cognitione, ac mira pietate, Baronij iudicio compellandus videatur.

Et quidem vitæ Caroli scriptor, tanto magnanimi istius Regis animum erga Catholicam Fidem, Ecclesiamque studio propensum fuisse asserit, vt ipsum *non Regem, sed vociferarentur Sacerdotem:* quam vero promouendæ Religioni adhibuit diligentiam ? quibus Romanæ Vrbis Ecclesias non ditauit muneribus ? quot in toto imperio magnificas erexit Basilicas ? quot in Italia, Gallia, atque Germania fundauit Episcopatus ? quot coegit Concilia ? quinque vnius anni spatio cis Rhenum, Nempe Moguntiæ, Rhemis, Turoni, Cabillone, & Arelate, aliaque plurima diuersis in Prouinciis temporibusue ipsius imperio conuocata numerantur.

Tegan. in vita Caroli. M.

Ludouicum Pium *Christianissimum Imperatorem* in Aquisgranensi Concilio Patres iure merito pronunciarunt, cum diuturna sua constantique patientia de filiorum persequutionibus triumpharit, nihilque in vita antiquius habuerit, quam vt Deo salutaria filiis pro vituperosis eorum in se officiis monita suggerendo placeret : [a] *Memor esto fili* (Lotharium alloquens dicebat) *quia quando Regnum Italiæ tibi donaui, etiam curam sanctæ Ecclesiæ tibi commisi:* Et viuente adhuc ipsius patre Vasconũ Clericorum reformationis studiosissimus fuit ; Vnde *Regi ab ineunte ætate*, inquit Aimoïnus, *circa diuinum cultum & S. Ecclesiæ exaltationem piissimus incitabatur animus, ita vt non modo Regem, sed ipsius opera potius eum vociferarẽtur Sacerdotem:* Caroli vero Magni mores viuis adeo coloribus in se expressit, vt Ioannes P P. [b] in Caroli Calui Imp. coronatione ipsius erga primã Orbis Ecclesiam studium haud inferius fuisse, sed vberiora ipsius beneficia, dapsilemq; munificentiam ipsi palmam dedisse asserat.

[a] Thegan. in gestis Ludon. pij. Lib. 4. c. 8.

[b] Petr. Pitoeus, & Papyr Masson. l. 1. Annal. Franc.

Quibus vero laudibus Idem Io. PP. Caroli Calui Imp. merita non extollit ? *Clarissimum sydus Carolus Christianissimus prin-*

princeps(Pontificis encomia sunt)*à superna prouidẽtia præscitus,& præelectus ante mundi constitutionẽ,& prædestinatus nonnisi copiosissima miseratione circa nostrã salutẽ,&c. Qui nobis ex quadã parte tetras arũnas & miserias sustinebamus,tanquã splẽdidissimũ astrum illuxit ab arce polorũ; qui non solũ progenitoris bonitatem æquiparauit, verũ etiam prorsus auitũ studiũ vicit,& vniuersum paternũ certamen in causa Religionis atq; iustitiæ superauit,Ecclesiis videlicet Domini diuersis operibus ditatis,Sacerdotes eius honorans,hos ad vtramq; Philosophiam informans,illos ad virtutes adhortans,viros peritos amplectens,Religiosos venerans,inopes recreans,& omne malum medullitùs detestatus.*

Numquid æternũ non modo Caroli Calui, sed etiam Ludouici Balbi ipsius filij monumentũ censetur ipsius Ordinationũ,Decretorũque volumen,quæ doctissimi hac nostra ætate viri opera sub titulo *Capitula Caroli Calui*, reuixerũt? Nunquid cadẽ gloria digni Carlomãnus,simul & Carolus simplex Ludouici filius,qui eumdẽ librũ multis aliis decretis cõpleuêre? quodnam vero speciosius Ludou. Baldi gloriæ testimoniũ exhiberi queat, quã illud quo verus quidam auctor ipsum compellabat Religionis obseruantissimum? Iacob Sirmond. Soc. IESV. Regino in Annal.

Quæ tandem eloquentia Lotharij Imp. pietatem exequi posset? quodnam apertius magnæ erga Religionem æstimationis,pretiiq; signum dare poterat, quam cum post effusas in Templa, Monasteria, Xenodochia, & in ipsum Leonem IV. Sum. Pontif. pro Leoninæ murorum Vrbis constructione copiosas munifica manu diuitias, mundi tandem laqueis se extricauit, quò se totum Christi obsequio veræ libertatis donatori manciparet? Nunquid tanti principis generosa virtus ipsum ad supremum Christianæ perfectionis thronum euexit, cum erogatis in pauperes fortunæ bonis, calcatisue fallacis mundi deliciis, semetipsum Diuino Numini perfectissimum in Religionis altari obtulit holocaustum? Numquid famosus Æschynes Socratis discipulus qui se duntaxat Magistro suo, cum nihil aliud possideret, hilari animo tradidit, cæteros liberalitate socios superasse magni ipsius Philosophi iudicio visus est? Diues vero Imp. voluntariam eligens paupertatem, homo liber strictam

amplexus obedientiam; Rex delitiarum omnium copiis affluens, legitimarum oblectationum contemptor; æque profecto toti naturæ mouet admirationem, atque totum Empyreum perfundit iucunditate.

O Chriſtiana Religio vere potentiſſima, quæ Magnos Impp. in voluntarios pauperes transformas! Quæ non ſolum Lotharium, ſed Theodoſium, & Michaëlem IV. multoſque alios coronas abiicere cogis! O incomparabilem Religionem! quæ Ptolomæum Indiarum Regem Chriſti paupertatem regni ſui diuitiis præferre, ipſiuſque ſucceſſorem Ioſaphat Regem tenuem & anguſtam cellulam Regiæ ſuæ delitiis anteponere coëgit! O diuinam Religionem! quæ liberrimos mortalium orbis Monarchas ſtrictiſſimis Chriſtianæ Philoſophiæ legibus ac conſiliis ſubiecit, atque inter Cæteros Kachim Longobardorum Regem, Iuam, Tenolphumque Angliæ Reges, Bambam Hiſpaniarum Monarcham, Carolomannum Pipini fratrem, Adelardum Pipini nepotem, Imbertum Delphinatus principem, multoſque alios Gallos Principes, qui Lotharij veſtigia ſequuti, pro Chriſto corporum ſuorum libera ſeruitute animas ſuas germana filiorum Dei libertate donarunt.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Clara Hugonis Capeti, Roberti, Henrici I. Philippi I. Ludouici VI. Philippi II. Ludouici VIII. Gallorum tertiæ ſtirpis Regum zeli erga Religionem ſtudia.

NVlla omninò re magis quam feruenti erga Religionem eiuſque ſplendoris augmentum zelo Hugo Capetus Rex cæterique tertiæ Regum noſtrorum ſtirpis ipſius poſteri auguſtas ſe eſſe Caroli Magni propagines probare poſſunt, nam ſi incarnatæ ſapientiæ veridicum os illegitimos atque ſpurios pronuntiauit illos, qui vana quadam ſui generis oſtentatione magni Abrahæ filios, reiectis

eius

eius moribus, se esse gloriabantur; (*Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite: vos ex patre diabolo estis, opera patris vestri facitis*; Vnde S. Augustin. dicendi occasionem sumpsit: *Aberrantes à fide Abrahæ, & de illius sanguine, non de virtute gloriantes exhæredari meruerunt.* Ioan. 8. In Ps. 84.

Illos pariter veros ac germanos Caroli August. sanguinis principes æstimari fateamur necesse est, qui rediuiua in suis moribus, præclara tam illustris Monarchæ gesta ad viuum expressêre, tales fuêre Capeti, Roberti, Ludouici, Philippi natiuæ Caroli Aug. imagines; Numquid magnificum S. Bartholomæi templum, quod præ foribus Iustitiæ Palatij adhuc hodie visitur ab Hugone post acceptam coronam erectum, illustre censetur ipsius in Sanctos pietatis monumentum? Ipse autem totam suam in SS. Richarij & Valerici, qui diuturnam in posteris Franciæ coronam fore ipsius parenti in visione promiserant, patrocinio fiduciam collocauit; Adhæc totus Deiparæ obsequio addictus, caram sibi in animo quorumdam, quos in Patronos sumpserat, Sanctorum venerationem fouebat: *Erant si quidem huic generationi*, ait vitæ auctor, *speciales amici, Sancta scilicet Maria, & pater & Dux Monachorum S. Benedictus, S. quoque Martinus, necnon S. Anianus, atque victoriosissimi Martyres Christi Cornelius, & Cyprianus, optatissimus vero gloriosus Martyr S. Dionysius, & inclyta Virgo beata Genouefa, &c.* Quin & S. Maioli Cluniac. Abbatis memoriam religiose colebat, suique supparis æui S. Odilonis merita tanti fecit, vt San-Dionysiani Archisterij præfecturam ipsi lubens detulerit. Helgald in vita Roberti Regis.

De Roberti dignissimi Hugonis filij pietate quid dicam? Non ego, sed ipsius laudum præco clamat: *Erat in templis frequens, Numinis reuerentissimus, liberalibus studiis, sacrisque disciplinis deditus, priscæ sanctitatis æmulus; Antiphonas, sacraque responsa quædam addidit iudicio Ecclesiæ vniuersæ probata, receptaque; eius illa sunt; Sancti Spiritus adsit nobis gratia; O Constantia Martyrum! O Iuda, &c. Idem templa hæc ædificauit singula Virgini, Stampis, Aureliani, Victriaci; Regulo Syluanecti, Nicolao Lutetiæ, Leodegario ad Syluam Aquilinam; Item Aureliani Hilario eadem, eadem in vrbe Ania-* Paul. æmil. in Roberto.

no, Augustoduni Cassiano singulas ædes, singulaque Cœnobia: Quod vero ad ipsius morum fideique puritatem spectat, quæ, Deus immortalis! verborum tonitrua, quæ indignationis fulmina in Lutericum Senonensem Archiepiscopum Eucharisticæ veritatis rationes inquirentem non contorsit in hunc modum: *Cum sit tibi nomen scientiæ, & non luceat in te lumen sapientiæ, miror qua ratione quæsieris pro tuis iniquissimis imperiis, & pro infesto odio, quod erga Dei seruos habes, examinationem in corpore & sanguine Domini: Et cum hoc sit, quod à dante Sacerdote dicitur;* CORPVS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI *sit tibi salus animæ & corporis; Cur tu temerario ore & polluto dicas: si dignus es accipe, cum sit nullus qui habeatur dignus:* Tam salutaris moniti, regiæque obiurgationis fructum nunc accipe: *His verbis Præsul bene correctus à Rege pio & bono sapienter instructus quieuit, obmutuit, & siluit à dogmate peruerso, quod erat contrarium omni bono:*

Helgrad. in vita Roberti Regis.

Baronium Henrici, qui Roberti illustris filius extitit, in orthodoxa fide propugnanda feruorem condigna verborum pompa extollentem audiamus: *Henricus Francorum Rex Christianissimus, Roberti parentis, vt regni ita & pietatis heres, eius exemplo ad condemnandum errorem, profligandam hæresim, penitusque obruendam, vt nullatenùs amplius audiretur, ocyùs exurrexit, quamuis suorum ciuili bello teneretur occupatus iugiter; probe sciens tum reddi sibi Deum propitium ad debellandos infestos hostes, cum emergentes hæreses comprimuntur, & regia potestate, ne vel mutire audeant, continuò strangulantur; reddique tunc pacificum, atque diuina protectione securum regnum, cum rex sollicite curat eius Ecclesiam ab omni prorsus labe hæresis impollutam, integramque seruare.*

Annal Eccl. An Christi 1035.

Sed quoniam, sacra testante Scriptura, *Filius sapiens, gloria patris, honoratque Deus patrem in filiis suis;* ideo Henricus Rex tantæ felicitatis amore incensus, suum ante obitum filio coronam imposuit, Religionisque zelum eius animo mature inspirauit, quò in illius, quem glorioſa adeò vita donarat, meritis aliquando viuere posset: Philippus princeps optimi parentis acquiescens monitis solemni iuramen-

Ecclesiast. 3.

to Religioni æque ac Regno propugnandæ fidem ſuam obſtrinxit, ſuaque deinceps facta promiſſis cohærere ſtuduit, quippe qui Eccleſiæ iura, Epiſcoporũque prærogatiuas defẽdit, magniſque copiis aduerſus Orientis Infideles proceſſit.

Ludouicus cognomento Craſſus egregias illas Maiorum dotes affectuſque in ſuis moribus exprimere tentauit; nam quæ à primis annis generoſe tuendæ libertati Eccleſiæ cõſilia non parturiuit, ediditque in lucem? Quam multorum ſibi inuidiam, Prælatorum amicitiæ honoriſve propugnatione conciliauit! vnde Iuo Carnotenſis hoc numquam perituro ipſius virtutem decorauit elogio: *In Eccleſiam deuotus, & Sedi Apoſtolicæ benevolus.* In Epiſt. ad Paſchal. 2.

Philippi vero II. Adeodati Ludouici VII. parentis precibus à Deo conceſſi Religionis zelo auguſti memoriam nulla vnquam poſteritas conticeſcet: Ipſe enim ſuam è cœlo potius quàm è terris originem traxiſſe apertis ſignis demonſtrauit; Cum nihil maiori propenſione animi, corporiſve contentione aggreſſus, quam promptiſſimam patris exemplo in Orientales fidei impugnatores expeditionem, Minorũ item à regni ſui finibus proſcriptionem, Blaſphemantium ruinam, Iudæorumque exiliũ, qui ipſo die Paraſceues Chriſtianum infantem ſuæ deuotum crudelitati exquiſitis necarant ſuppliciis: Quin & *à primæua ætate*, inquit Rigordus, *timorem Domini pro pædagogo habuit, rogans in orationibus Dominum humiliter, vt omnes actus & greſſus eius dirigeret; Iuſtitiam quaſi propriam matrem dilexit, miſericordiam exaltare iudicio contendit, veritatem nunquam à ſe alienari permiſit, & coniugalem continentiam præ omnibus aliis Regibus in domum ſuam tranſtulit, &c.* Quibus regiis Chriſtianarum virtutum exemplis toti regno accenſa veluti lampas præluxit, ſuoſque filios ad virtutum amorem inflammauit, qui cum ſint naturalia patrum ſuorum ſpecula, omnes eorumdem indolis motus ad viuum exprimere ſolent. In vita Philip. Aug.

Talem ſeſe omnium exhibere oculis niſus eſt Ludouicus VIII. qui cum eſſet Auguſti filius, Auguſtum etiam filium habere meruit, S. nempe Ludouicum, Regum gloriam, populorumque ſtuporem: maiori profecto laude dignus, quod

tribus

tribus licet annis duntaxat regnauit, illud tamen consecutus leonis nimirum cognomen, quod alij pluribus annis obtinere nequaquam potuêre, *Leonis vero cognomen*, ait gestorum ipsius scriptor, *illi inditum Nangius ex eo fuisse dicit, quod leonis instar aduersus rebelles atque impios assurgere esset solitus:* Ipsum quoque religio, Viri vtique Catholici & miræ sanctitatis prærogatiua decorauit; quid huic titulo addi possit, nisi glorioſa beatarum mentium Apotheosis?

Papyr. Masson. l. 3 in Lud. 8.

PARAGRAPHVS QVINTVS.

S. LVDOVICI, Philippi audacis, Philippi Pulchri, Philippi Valesij, aliorumque tertiæ stirpis Regum magni pro Religione sensus, atque Heroïca gesta.

MAiori scriptum olim mysterio quam veritate, in Alexandrino templo Serapidis statuam tanta materiæ varietata compactam fuisse, vt omnium metallorum genera, in aliis Ægypti simulachris contenta, mirabili in se artificio comprehenderet; maiori ego veritate, quam mysterio in S. Ludouici Religione, cæterorum Regum virtutes, quantæ quantæ fuerint, abundantiori reconditas perfectione haùd verear asserere, quas profecto omnes quicumque impoliti sermonis stylo recensere præsumpserit, facilius integram Homeri Iliadem in nucleo, totumque S. Ioan. Euangelium in denario concluserit: Qui ipsum nouêre, exquisitum quoddam diuinæ potentiæ opus inter Angelos potiùs, quam inter homines efformatum censuêre, adeo naturalis ipsi religio, virtutesque toto vitæ decursu familiares exstitêre.

Cumque regalis istius syderis lumina nostrorum hebetent oculorum aciem, necesse est vt magni Parisiensis Academiæ Solis, & Cancellarij de S. Ludouici virtutibus differentis verba audiamus; *Quis nesciat*, inquit, *eum fuisse in cultu Religionis Catholicæ seruando Christianissimum; Quin & Hæreticorum exstirpator fuit vehemens, & hoc feruentissimo*

Io. Gerson. serm. de S. Lud. 71.

mo zelo succensus impios, infideles, barbaros persecutus est, & ad augmentum diuini cultus multa Monasteria construxit, plurima reparauit: Et Bonifacius VIII. hæc aurea in eius commendationem protulit verba: *Sicut ex parte vidimus, & per approbata audiuimus, & scimus; vita eius non solum fuit vita hominis, sed super hominem, non fuit interrupta, sed ab infantia inchoata, continuata, & de bono in melius procedens semper augmentata, secundum id quod dicitur, videbitur Deus Deorum in Sion.* Bonif. VIII ser. 1. quem habuit die Canoniz. S. R. Lud.

Certe Rex cuius potestas æquat voluntatem, nec aliud nisi Religionis gloriam exambit; Rex qui Regnum suum perfecto cupiditatum suarum, motuumque omnium dominio consecrauit, qui naturam gratia, hominumque respectus diuino timore superauit, numquid nouus quidam in Hussitica terra Iobus censetur? Rex, quem inter honores non exacuit ambitio, quem non fœdauit in delitiis voluptas, nec effrænata aulicorum licentia vel ad minimum facinus concitauit, Rex, inquam, pius inter armorum strepitus, in sanguinis profluuio, mediis in flammis, rubus sane ardens, & incombustus videtur: *Non enim*, Bernardus clamat, *mediocris profectò titulus virtutis inter prauos viuere bonum, & inter malignantes innocentiæ retinere candorem, & morum lenitatem; magis autem si his qui oderunt pacem, pacificum & amicum ipsis te exhibeas inimicis:* quod iisdem pene verbis Magnus confirmat Gregorius; *Neque enim valde laudabile est*, ait, *bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis; sicut enim grauioris culpæ est inter bonos bonum non esse, ita immensi est præconij bonum etiam inter malos exstitisse:* Hinc religiosus S. Ludouici pietatis cultus tantam ipsius regno fœlicitatem comparauit, vt fortuna ipsius prosperitati tributaria videretur, quæ ad tantum sese extulit honoris apicem, vt qui ipsum videbant, sicut olim Seuero Imperatori, *Oportuisse* Ludouicum, *aut nunquam nasci, aut nunquam mori*, pleno ore acclamarent. Serm. 48. in Cant. L. 1. moral. c. 1. Sabellic. l. 5. Ennead. 7.

Enimvero Legati qui in eius vndique Palatium confluebant, pietatem regali coniunctam magnificentiæ illic splendere ingenti mentis stupore contemplati, cum Athalarico

Gothorum Rege Theodoſij ſenioris Byzantij aulam conſiderante dicebant, *Haud dubie Deus terrenus eſt Imperator, cui ſi quis vim intenderit, confeſtim ſui ſceleris luat pœnas neceſſe ſit*: Quin & magni Principes, Reges, atque Impp. qui cum ipſo agebant, de ipſo etiam inuiti cogebantur fateri, quod Federicus III. Imp. Neapoli de Rege Alfonſo prædicabat: *Summos non deprimi Impp. qui ſe tanti Regis meritis ſubiicerent.*

Id. l 9. Enead. 7.

Æn. Syl. l. 4. Comm. de Alfonſo.

Summi Pontifices, Impp. atque Reges incredibili merita Ludouici proſequebantur amore, prudentiamque venerabantur; Fredericus II. Imp. ipſum vnice diligebat, & ita verebatur, vt ad eius preces Rotomagenſem, Burdegalenſem, Biſuntinumque Archiepiſcopos libertate donarit; ſupremi denique Prouinciarum Senatus adeò in tantæ virtutis admirationem rapti, vt Romanus veluti quondam Senatus ad optimos quoſque Impp. ipſum feliciorem Auguſto, melioremue Traiano haberi vociferarentur: Veteres abundant Hiſtorici, qui temporalem S. Ludouici felicitatem commendant, nec deſunt recentiores, qui ſingularia quædam ipſius regni commoda referunt.

Cuſpinian. Ne ſis felicior Auguſto, melior Traiano. Ioinuill. Godefrid. de bello loco, Guill. Carnot. Naugius, &c Bellefor. Dupl. P. Matth. Iac. de Charron & alij.

Eſt vt plurimùm in filiis patrum virtus, nec degenerem aquilæ columbam progenerant; Ecquis Philippo III. Catholico ſimul & Audaci dicto, patri ſimilior? generoſus Audacis nomen animus, Catholici vero virtus peperit, in quo ſi optimus parens in cœlis beatus viueret, ſuum in terris zelum, hereditariamque fortitudinem vigere demonſtrauit, quippe qui Tunetanam obſidionem à patre inchoatam, nonniſi magno Religionis emolumento dimiſerit: de ipſius in Religionis augmentum geſtis nos aliquid inferiùs:

Sin autem Philippus IV. Pulcher dictus atrocibus maleuolorũ hominum calumniis præuentus non tam ſtricte Bonifacio VIII. adhæſit, nihilominùs vbi primùm Benedictus Petri nauis clauum ſuſcepit, Philippus ſuos ad eum Legatos deſtinauit cum litteris tantùm filialem erga Patrem obedientiam teſtantibus, vt illius animum flexerint, qui aëreas, terrenaſque ſuo regit imperio poteſtates: ita vt idem Benedictus, ac Clemens V. Summ. Pont. compreſſis

atque

atque obliuione deletis Bonifacij in ipsum accusationum capitibus, saluam & incolumem ipsius innocentiam pleno iure defenderint.

De Philippo VI. cui Valesij nomen fuit, quid commemorem? Quis vnquam sua ætate maiores adhibuit vires vt Religio floreret, quis illam acriori studio in Italia, & Thracios advsque fines in Græcia tutatus vnquam fuit? Nam à Ioanne XXII. Pont. Max. de rebelli Vicecomitis Matthæi, eiusque filiorum seditione admonitus, statim in Italiam aduolauit, venturam potius terræ Principum ruinam, quam euellendam, aut minuendam Dei in terris Vicarij auctoritatem perfidos Apostolicæ Sedis insectatores edocuit: Turcæ vero Christianarum in Thracia & Græcia possessionum expilatores haud lacessendum, impetendumue vnquam Principem, qui pro Cœlo, eiusque altarium pugnat cultu, suo damno didicêre: Non quieuit in tam pio Principe Religionis zelus, quin magis in dies accensus non solum publica Christianorum iura defendit, sed ipsum priuatum Benedicti XII. commodum contra Ludouici Bauari Siculi regni bonorumque Ecclesiæ vsurpatoris insolentiam conseruauit; Et quamuis ab Anglo Rege fœderato Dux ille suppetias mutuaretur, vtrique tamen egregia nominis sui ac virtutis fama, nec imparibus animo facinoribus non vulgarem incussit terrorem, suisque præclare gestis regali suæ Epigraphe, *Vltorem vlciscitur vltor*, arma coniunxit.

Villan. l. 9. Annal. & Papyr. Masson. l. 4. in Philip Vales.

Verùm prætermisso multorum aliorum tertiæ stirpis Regum erga Religionem zelo, de quibus sequenti sectione nobis erit sermo, ad Henrici Magni Christianissimi Regis aui Religionem vtcumque explicandam stylum conuertimus, quæ tanto maiorem à nobis exposcere videtur admirationem, quanto plura subuertit obstacula, grauioresque superauit difficultates, quo suaui Christi iugo, eiusque in terris Vicarij dominio colla submitteret: Et vero statim atque diuinus obscuratæ ipsius menti radius illuxit, in cordis ipsius terra flores apparere cœperunt, ficus protulere grossos pietatis, florentesque

vineæ ſuaueolentes Catholicæ virtutis odores præter omnium ſpem exhalarunt; vultis cœleſtes ipſius animæ iam Chriſto addictæ odorari vapores? Cum aliquando in quodam Nobilium cœtu de ſenſibus circa Religionem vnicuique Catholico conuenientibus ſermonem haberet; *Multos*, inquiebat, *defectus, vtpote inter peccatores primus, in meis moribus agnoſco, quorum me pudet, promptamque Deo iuuante polliceor emendationem; quod autem ad Catholicam S.R.E. Religionem attinet, dicam lubens quod ſentio; mihi pellem potius auelli, vel meas in craticula carnes torreri, quam Fidei meæ vel tantillum detrahi permiſſurum*: quæ dum verba proferret, manantibus præ gaudio lachrymis, cordis ſui arcanum cum prolatis à ſe verbis conſentire ſignificauit.

Lvdovicvs XIII. vere Iuſtus vti illius coronæ ſic dignus virtutum heres, eas magnis pro Catholicæ gloria Fidei geſtis facinoribus adæquauit, nec cuiquam Gallo Regi in Religionis zelo ceſſit: Quis vero eiuſdem erga Templa honorem non aduertat, cum Regni ſui armorumque curam in Eminentiſſimorum Galliæ Præſulum Retzij primùm, deinde Richelei Cardd. humeros impoſuit, raræque iſtius prudentiæ bonorum conſiliorum matri commiſit? Cuius inſigni merito ſi collatas ab Eccleſiaſtico ſummi Hieruſalem Sacerdotis virtuti laudes deferam, nemo mihi iure ſuccenſeat: *Simon Oniæ filius Sacerdos magnus, qui in vita ſua Gallicam ſuffulcit domum, & in diebus ſuis corroborauit templum; qui curauit gentem ſuam, & liberauit eam à perditione: Quaſi Stella matutina in medio nebulæ, & quaſi Luna plena in diebus ſuis lucet, & quaſi Sol refulgens, ſic ille effulſit in Templo Dei:* Religionem Ludouicus dubio procul fecit plurimi, cum meliora mentis ſuæ ſenſa vni ex primis altarium Miniſtris conſignauit, ac prima Cleri capita ad ſupremos ſtatus honores euexit, Sacerdoteſque, necnon Religioſos viros benigno ſemper vultu excepit.

Ecclo. 50.

Lvdovicvs tandem XIV. glorioſe nunc regnans viuum paternæ virtutis exemplar, eius, Maiorumque inhærens veſtigiis ſuam à prima ætate erga res ſacras veneratio-

nem

nem, diuinique cultus obſeruantiam probauit, Hæreticorum inſolentiam, prohibito intra vrbium ſepta pluribus in locis falſæ ipſorum religionis exercitio, compeſcuit; initoque recenti cum Hiſpanis, quorum Infantem Reginam duxit in vxorem, fœdere, veræ Religionis conſtituendæ magis auidus Gebennenſibus à Catholica Fide Caluini nequitia dudum auerſis ſinceræ Fidei cultum, proſcriptique ab ipſis per ſummum ſcelus Paſtoris præſentiam aſpirante bonorum omnium votis diuino Numine quantocyùs reſtituet: Quin etiam in Arauſicana Ciuitate expugnata, quæ Nationalibus Conciliis duobus olim celebris, calamitoſis hiſce temporibus Caluinianæ propugnaculum hæreſis euaſerat, liberam Catholici ritus praxim ſtabiliuit; Et, quod bonorum omnium ſuperauit expectationem, Supremi ſtatus Miniſtri generoſis fretus conſiliis auxiliatricem legitimo magnæ Britanniæ heredi, inſolita factioſorum regicidarum rebellione ſuo è ſolio immaniter deiecto, atque in alienas terras amandato porrexit manum, adeoque clandeſtinis fideliſſimorum ſeruorum commerciis profecit, vt ſuppreſſo Reipublicæ per ſummam vtcumque nequitiam ſtabilitæ politico ſtatu, Naturalem trium regnorum Monarcham in proprio Maiorum ſolio collocari procurarit, ea nimirum conditione, vt Conſcientiæ debito faciat ſatis, quo in tanta Orthodoxæ Fidei luce ad Nationale Concilium primo quoque tempore cogendum prouocatur, in quo diſcuſſis priorum in Fide diſſenſionum tenebris, maturoque iudicio libratis vtriuſque partis rationum momentis vnum tandem Deum colant, vnamque communi fidem conſenſu amplectantur.

SECTIO SECVNDA.

Inſolitus Galliæ Regum pro Apoſtolicæ Sedis ſplendore, & contra ipſius perſecutores defenſione, necnon Sum. Pontif. in ſuam ſedem reſtitutione zelus perenneque ſtudium.

CVm ſint à Natura quædam nonnullis inſitæ perſonis propenſiones, doteſque inſeparabiliter annexæ, vti Curionibus Eloquentia, Egeenſibus hoſpitalitatis ſtudium, Ægyptiis Aſtrologia, Scythis arcus dexteritas, Lacædemoniis politica ciuitatum diſciplina, ſic diuina gratia inconcuſſam erga Sum. Pontifices pietatem Regali Francorum Regum ſtirpi annexuit, quemadmodum Iuo Carnotenſis ad Alexandrum III. ſcribens magnificis hiſce teſtatur verbis: *Inter omnia Regna mundi non eſt ex animi mei ſententia Regnum, quod fidem ſinceriorem, charitatem feruentiorem, deuotionem vberiorem A.S. ſemper exhibuit, quam Francorum: Non eſt inter Reges & Principes, qui benignius exaudiat preces veſtras, qui mandatis obediat humiliùs, qui Eccleſiam & viros Eccleſiaſticos deuotiùs honoret, & ſtudioſiùs tueatur Chriſtianiſſimo Rege noſtro:* Huius opinionis veritas nobis iam in lucem producenda incumbit.

Ep. 57. ad Alex. III.

Superiori igitur ſectione Gallicanorum Principum erga Catholicam Religionem incredibile ſtudium contemplati, nunc de eorumdem erga Romanos Pontifices D. Petri ſucceſſores veneratione, intimaque filiorum beneuolentia, quæ Paria Religionis cotes, Lydiuſue Fidei character cenſetur, dicere aggredimur, eadem ſeruata Orationis methodo, quæ Lectorem recreet potius quam ipſius patientiæ moleſtiam faceſſat, atque in aliquos itidem paragraphos diuiſa, in quorum ordine cenſebitur

PARA

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Carolus Martellus, Pipinus, & Carolus Magnus, erga Sedem Apostolicam bene affecti, suum erga Religionem probant affectum.

QVi curiosiùs nominis PAPÆ Etymologiam inuestigarunt, illud non modò beneuoli erga filiorum educationem Patris nomen esse, sed & admirationis verbum asseruêre, insoliti nempe cuiusdam prodigij, quod nostris propositum oculis, nostros ad suorum æstimationem meritorum animos rapiat: Vnde Syracusani, necnon Scythiæ ac Bythiniæ populi supremum Numen suum honoris PAPAS cognomine indigetarunt, vti apud Satyricum legitur: *timidus præguſtet pocula Papas*; quandam veluti Diuinitatem, quæ maiestatis suæ timorem incutiendo, suæ simùl benignitatis amorem inspiraret: quicquid sit de illius nominis origine, si Summ. Pontificum nomen singularem præ se fert maiestatem, maiori profectò ipsorum munus veneratione dignum censeri nemo iure negauerit: Quare Christianissimi Reges perspicatiori intùs animæ quam corporis oculorum acie præditi, cum tanti Ecclesiæ solis splendorem satis mirari non possent, eximiam ipsius dignitatem non solum totis animi studiis sunt prosecuti, sed nec satis à se coli posse vnquam æstimauêre, nisi eamdem suis posteris reuerentiam instillarent. Herodot. l. 4 Iuuenal. satyra. 6.

Præclarum Galli Regis studium præ cæteris expertus est Gregorius II. qui cum Carolo Martello fœdus iniit, vt si opus esset, in Italiam sese conferret, proque Romana aduersus impugnantem eam Imp. Ecclesia defensionem susciperet: Huiusmodi autem sancita Carolum inter & Pontificem confœderatio, totius Italiæ commodis, incolumitatique adeò profuit, vt mox Imp. ab inferendis in Italiam armis abstinuerit: Iam Caroli nomen ob ingentes, præ Annal. Eccl. *An.* 726. 41. 42.

præclaraſque victorias vbique terrarum perſonabat, vt pote qui Sarracenos in Aquitaniam irrumpentes ſuperaſſet, atque eorum Rege extincto, ingenti ipſos ſtrage profligaſſet; Vnde Magnus Annaliſta meritò concluſit: *In Francis erga Rom. Eccleſiam firma fides, atque conſtantia ſæpe cognita, vt Carolum ita ſibi conciliaret, Pontifici ſuaſerunt: Nec irritum fuit votum, & ſpes inanis; ſi quidem vbi primum innotuit Carolum ſtudioſum eſſe Rom. Pontificis, mox fuit ab eius perſecutione ceſſatum.*

Quare ad eiuſdem principis opem confugit Gregorius III. vt ex eius Epiſtola ad Carolum data clarè dignoſcitur, qua præſentem eius opem pro tuenda contra Longobardos Rom. Eccleſia implorat: *Ob nimium*, inquit, *dolorem cordis & lachrymas, iterata vice tuæ Excellentiæ neceſſarium duximus ſcribendum, confidentes te eſſe amatorem filium B. Petri Principis Apoſtolorum, & Noſtrûm, & quod pro eius reuerentia noſtris obedias mandatis ad defendendam Dei Eccleſiam, & peculiarem populum; quia iam perſecutionem, & oppreſſionem gentis Longobardorum ſufferre non poſſumus, &c.*

Primum in hac Sum. Pont. veneratione ſibi vendicat (quemadmodum in ſecunda Regum ſtirpe primas tenet) locum corpore quidem breuis, ſed animo ingens, Pipinus cuius humillimam erga Zachariam Pont. ſubiectionem, promptamque in Stephanum PP. III. obedientiam nemo eſt qui non miretur; Vbi primùm Beatiſſimus Pater Longobardis Eccleſiæ terras depopulantibus, Vrbemque obſidere parantibus, ipſius opem inclamaſſet, protinùs ouis vocem Paſtoris audiuit, nam ſuos ad eum Legatos, Galliam pro aſylo, armaque pro defẽſione oblaturos quamprimùm deſtinauit; Cumque Sum. Pont. hoſtium violentia coactum, in Galliam audiſſet velut in tutum ſalutis portum aduolare, Religioſus Princeps Clero, ac primariis aulæ ſuæ viris comitatus Pontignonem Lingonas verſus iter arripuit; & *ad fere trium millium ſpatium*, Baronij verba ſunt, *deſcendens de equo ſuo, cum magna humilitate terræ proſtratus una cum coninge &* An. Chriſti 753. *filiis, & optimatibus eumdem Sanctiſsimum Papam ſuſcepit, cui & vice ſtratoris vſque ad aliquantulum locum iuxta eius*

ſella

sellarem properauit, &c. ibi, in Palatio, *intus Oratorium pariter considentibus, mox idem Beatissimus Papa præfatum Christianissimum Regem lachrymabiliter deprecatus est, vt per pacis fœdera causam B. Petri, & Reipublica Romanorum disponeret: Qui & petenti iureiurando eidem Beatissimo Papæ satisfecit, omnibus mandatis, & admonitionibus sese totis viribus obedire, & vt illi placitum fuerit, Exarchatum Rauennæ, & Reip. iura, seu loca reddere modis omnibus promisit.*

Adfuit iterum ad eiusdem Stephani III. Pont. Max. defensionem Pipinus; cum Aistulphus Longobardorum Rex ingenti Vrbem, ac Pontificem exercitu obsedisset; Mox Pontifex in Franciam Nuncios misit, ac litteris Pipinum aduersus tyrannum excitauit; Inter cætera hæc apud eumdem Annalistam referuntur: *Vnde & Dilectissimi nobis peto vos, & tanquam præsentialiter assistens cum diuinis mysteriis coniuro coram Deo, vt sub nimia festinatione nobis subueniatis, ne pereamus; cum post Deum in manibus vestris nostras omnium Romanorum commisimus animas, &c. Peto vos ne pereamus, nequando dicant gentes, quæ in cuncto orbe terrarum sunt, vbi est fiducia Romanorum, quam post Deum in Regibus, & in gente Francorum habebant, &c. omnes gentes quæ circumquaque sunt positæ, & ad vestram per Dei potentiam Francorum fortissimam gentem refugium fecerunt, salua facta sunt; & si omnibus auxilium impartire non differtis, multo amplius sanctam Dei Ecclesiam, & eius populum de inimicorum impugnatione debueratis liberare, &c.* Annal. Eccl. An. 753. 14.

Patheticis hisce litteris excitus Pipinus, qui nihil vnquam antiquius habuit, quàm vt Rom. Pontifici, cui & obtentum regnum adscribebat, deseruiret, ipsique Rom. Ecclesiæ suppetias ferret, comparatis copiis expeditionem in Italiam aduersus Longobardum Regem parauit; sed iam felicissimum huiusce certaminis exitum ab ipso Stephano PP. ad Pipinum eius & A. S. acerrimum propugnatorem scribente audiamus: *Explere lingua, Excellentissime fili, non valemus, quantum tuo opere, tua vita delectamur: Facta quippe diebus nostris virtute diuina miracula vidimus: Quod per Excellentiam tuam sancta omnium Ecclesiarum Dei mater &* Annal. Eccl. An. 756. 8.

Caput, fundamentum fidei Chriſtianæ, Romana Eccleſia, quæ valde ab hoſtium impugnatione lamentabatur, magna nunc gaudij ſolidit ate nimium eſt confirmata, & mœrentes Chriſtianorum animæ tuo fortiſſimo præſidio maxima ſunt releuatæ lætitia, &c. Libet omninò, Excellentiſſime fili, tuæ bonitati magnas gratiarum perſoluere laudes, & nomen Domini pro tam magna benignitate glorificantes, exhilarata voce canere: Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitauit plebem ſuam, & redemptionem facere cupiens populo ſuo, ſuſcitauit te nobis, Chriſtianiſſime victor Rex, diebus noſtris fortiſſimum liberatorem, &c.

Ex aliis pariter Pauli PP. Stephano in Romana Sede ſuffecti litteris Pipino datis feruentiſſimus tanti Regis in Apoſtolicum Chriſti Vicarium ardor ac deuotio apprime dignoſcitur, quas conſultò hic omittimus, ne in nimiam opus molem excreſcat; Apud omnes vero perſpectum eſt Pipinum Regem ob ſingularem Religionis cultum, munificentiamque qua Rom. Eccleſiam ſemper fuit proſecutus, immortalem ſibi apud homines laudem, æternamque apud Deum gloriam peperiſſe: Vnde inter cœtera veterum ſcriptorum monumenta, quibus hocce tanti Principis ſtudium ſummis laudum præconiis celebratur, Rauennæ antiqua legebatur tabula, cuius tamen hæc ſolummodò verba integra remanſêre.

PIPINVS PIVS PRIMVS AMPLIFICANDÆ ECCLESIÆ VIAM APERVIT, ET EXARCHATVM RAVENNÆ CVM AMPLISSIMIS, &c.

Hic ad vitam Hadrianus PP. reuocandus foret, vt Caroli Magni Religionis Paranymphum ageret; hereditario namque pietatis, atque in Apoſtolicam Sedem deuotionis zelo incenſus Carolus ter Magnus eiuſdem Hadriani monitis vltro obtemperans, aduerſus Deſiderium Longobardorum Regem Pontificiæ ditionis perturbatorem caſtra direxit, ac glorioſiſſimum de eo triumphum reportauit.

Cumque magno ad Apoſtolorum limina properandi deſiderio teneretur, conſiderans quod ſacratiſſimum Paſcha appro

appropinquaret, ipso Sabbato Sancto Romæ pedem posuit, vbi *ad B. Petrum Almificus Pontifex*, (nempe Hadrianus,) vt loquitur Anastasius, *cum vniuerso Clero & pop. Rom. eum præstolatus est; coniungente vero eodem excellentissimo Carolo Rege omnes gradus sigillatim eiusdem Sanctissimæ B. Petri Ecclesiæ deosculatus est, & ita peruenit ad Pontificem, vbi in atrio super gradus iuxta fores Ecclesiæ assistebat.* Apud Baron. Ann. 774.

Cæterum Christianissimus Rex Hadrianum adeò coluit, vt post obitum eodem fuerit prosecutus amore, & quibus potuit, cumulauerit officiis: In cuius rei fidem regij Epitaphij fragmenta collige, quo ipsemet Carolus Pontificis sepulchrum in Vaticana Basilica decorauit:

Post Patrem lachrymans Carolus hæc carmina scripsi,
Tu mihi dulcis amor, te modo plango Pater:
Tu memor esto tui Nati Pater optime posco;
Cum patre, dic, Natus pergat & iste meus.

Nec solus Hadrianus PP. regalem tanti Principis munificentiam expertus fuit; Sanctissimus quoque ipsius Successor Leo III. cum Romæ à potentioribus Clericis tam male fuisset habitus, vt effossis eius oculis, abscissaque radicitùs lingua bonorum omnium moueret lachrymas, quodnam aliud in tantis ærumnis asylum, nisi Caroli Magni aulam, ac Francorum sibi fauens regnum adire potuit? Horum autem studium, delatosque in ipso excipiendo honores fusiùs idem qui supra Anastasius describit: Carolus Romam deinde cum Pontifice aduenies, *propter reparandum, qui nimis conturbatus erat, Ecclesiæ statum*, vt ait Eginhardus, *Pontificis iura egregie propugnauit*: In tantum vero A.S. Decreta est reueritus, vt hæc prolata ab eo verba Gratianus asseruerit: *In memoriam B. Petri Apostoli honoremus S. R. A. Sedem, vt qua nobis Sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat Ecclesiastica magistra rationis, vt licet vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus, &c.* Apud Eumd. Ann 799. Dist. 19. c. 3.

Nec reticendum Christianissimo dignissimum Rege præceptum tribus ab eo filiis publica solemnique testificatione relictum: *Super omnia autem iubemus*, ait, *vt ipsi tres* Annal. Eccl. An. 806. 14.

fratres curam & defensionem S. Papæ simul susciplant, sicut quondam ab auo nostro Carolo, & beatæ memoriæ Genitore Pipino Rege, & à nobis postea susceptæ est, vt eum cum omni adiutorio ab hostibus defendere nitantur, & iustitiam suam, quantum ad ipsos pertinet, & ratio postulat, habere faciant. Hæc de Caroli Magni erga A. S. deuotione ad modicum tacta Lectoris animum ad dignoscenda piissimi Principis studia erga eamdem impensa excitare videntur, vt Ecclesiasticarum monumenta historiarum consulat, quibus sanctissimi Imp. zelus, ac in Rom. Ecclesiam deuotus animus describitur.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Singularis Ludouici Pij & Lotharij Impp. Hugonis Capeti, & aliorum tertiæ Regum stirpis in summos Pontifices reuerentia & amor, atque in eorum defensionem zelus.

IDem pro tuendo sum. Pontifice in Ludouico pio Imp. studium mirifice enituit; quo enim ardore ipsius efferuere zelus cœpit, vbi primùm barbaras A. S. terrarum depopulationes, luctuosasque Leonis Papæ ærumnas audiuit? nequissimos ipsius percussores, omnesque tanti sceleris socios digna percussit animaduersione: Stephanum vero PP. V. (licet IV. fuerit nuncupatus) in Franciam aduentantem summo excepit honore, in tantum *vt pro illius amore in finibus Franciæ super omnia dona quæ ei largitus est, curtem de suo proprio fisco B. Petro Apostolo perpetuali vsu perceptionis paginam concesserit*, vti Anastasius affirmat.

Baron. An. 816. 97.

Sin autem certissima Lotharij Imp. beneficæ in A. S. Pastorem beneuolentiæ pignora Lector sibi desideret suppeditari, quis vnquam maiori eâ, qua ipse ad Nicolaum Papam, reuerentia scribere possit? *De vestro*, inquit, *tanquam spiritualis Patris regimine spiritualia ac salubria inhianter audire desideranimus, imò quasi de paradisiaco fonte vitæ pocula in posterum haurire parati sumus.*

Epist. Loth. ad Nicol. PP.

Magna

Magnanimus Hugo Capetus regali sua in Ioannem XV. modestia, se verum ac germanum Imperialis secundæ stirpis nonnisi Pontificum commodo fructus proferentis germen demonstrauit, nam cum, Arnulpho Remensi Archipræsule in exilium acto, timeret, ne Sum. Pont. de ipsius in A. S. studio dubitaret, confestim Legatos de tota re ipsum edocturos misit, cum his, filialis in patrem timoris indicibus, litteris: *Beatitudini vestræ ego & Episcopi regni mei per Ioannem Archidiaconum Remensis Ecclesiæ scripta direximus, in quibus Arnulphi rationes vobis explanauimus, sed nunc obsecrando superaddimus, vt mihi, meisque iusta decernatis, ne dubia pro certis recipiatis; Nihil nos contra Apostolatum vestrum egisse scimus, &c.* Ex Ep. Reg. Hug. Cap. quæ reperitur inter litteras Gerberti Remens. Archid. postea Syluestri II. PP.

De Philippo I. quid dicam? etsi inordinatus amor eum in extremas anathematis coniecerit angustias, nihilominùs Bertoldus & Glaber sinceri authores promptam ipsius erga Christi Vicarium obedientiam testabuntur, si quidem missis ad Paschalem II. pro impetranda peccatorum absolutione Legatis, *in gratiam receptus est, seque in seruitium Domino Papæ promptum exhibuit*; eius inquit rerum Chronographus: Vrbani item II. in Galliam descendentis, contra Henrici Imp. Ecclesiæ iura inuadentis sæuitiam imploraturi opem pedibus se, coronamque suam humilis Philippus cum filio subiecit: *Occurrit*, Suggerio teste, *Rex Philippus, & Dominus Ludouicus filius eius gratanter & votiue amore Dei maiestatem regiam pedibus eius incuruantes, quemadmodum consueuerunt ad sepulchrum piscatoris Petri Reges submisso diademate inclinati, quos Dominus Papa manu erigens, tanquam deuotissimos Apostolorum filios ante se residere fecit:* Numquid Rex, coronam vitamque consecrando, omnia largitur? Et quodnam diadema libertate augustius? *Huiusmodi*, quippe, *gratiarum decus meritò coronam imperij*, cum Iamblico appellarim. Bertoldus in hist. *Ann.* 1096. In vita Philippi I. Ad Discol.

Qua quidem insigni gloria Ludouicus Crassus nequaquam priuatus fuit, quippe cuius optima erga Religionis augmentum propensio cum flores in ætatis vere germinasset, suos Vrbano II. & maxime Innocentio II. ad Galliæ

salutis asylum contra Petri Leonis pseudopontificis Romæ de eius innocentia triumphantis insolentiam confugientis fructus liberali manu concessit; *Vt autem*, citatus S. Dionysij Abbas prosequitur, *vsque ad S. Benedictum super ligerim descendit Dominus Rex cum Regina & filius, ei*, id est Innocentio II. *occurrens, & nobilem diademate sæpius coronatum verticem, tanquam ad sepulchrum Petri inclinans, pedibus eius procubuit, Catholicum filij affectum, & deuoti officij effectum ei, & Ecclesiæ promittit:* Et quidem Francorum Reges sæpius vitam suam oppignerarunt, quominus Sum. Pont. è succensis Desideriorum, Astolphorum, Sarracenorum, aliorumque Satanæ ministrorum opera incendiis eximerent; Quinque Rom. Antistites, [a] Vrbanum nempe, Paschalem, Gelasium, Calixtum, & Innocentium omnes huius nominis II. à Ludouico Crasso in Galliis humaniter exceptos dicere cum bono authore non verebor.

In vita Lud. VI.

[a] Fr. Villetre in Annal. Eccl. sæculo XII.

Neque vero Pipini dutaxat, Caroli magni, & Ludouici Crassi Summos Ecclesiæ Pastores propensis animi studiis sunt prosecuti, huic Religioso Ludouicus VII. obsequio nequaquam defuit; magnam ipse animi magnitudinem ad Eugenij III. & Alexandri item III. gloriam, defensionem que patefecit; Hunc ardentibus Friderici Imp. Octauiano antipapæ fauentis eripuit flammis, illumque seditiosis Arnoldistarum, qui ipsum Roma eiecerant, factionibus subduxit; Placet hic data ab ipso Legatis Imperialibus de regali ipsius in Alexandrum studio conquerentibus responsa subiicere, quibus ipsum vti veterem Theologum, Regemque magnanimum fuisse loquutum aperte patebit: *Miror*, inquit, *prudentem virum vana mihi & fabulosa verba misisse: An ignorat prædictus Imp. quod Dominus noster* IESVS-CHRISTVS *cum esset in terris, B. Petro, & per eum vniuersis successoribus eius oues suas pascendas commisit? Nonne audiuit in Euangelio ab eodem Dei Filio eidem Principi Apostolorum dictum: Simon diligis me? Pasce oues meas: Nunquid sunt hi Francorum Reges, vel antiqui Prælati excepti? An Episcopi regni mei non sunt de ouibus, quas Filius Dei B. Petro commisit, &c.*

[b] Rob. de monte in Actis Alex. III. an 1176.

Qua finita oratione, Legatisque subduriuscule dimissis

coacto

coacto cum Baronibus exercitu, pro ſupremi Capitis ſalute, maleſanum membrum armis perſequi decreuit; verba mihi deſunt, quibus honorificum eiuſdem Alexandri in Pariſiacam vrbem ingreſſum exprimere poſſim, quare condignum Ludouici Summ. Pont. excipientis pietate ſermonem à magno Annaliſta mutuari placet: *Aduenientе Quadrageſima, colloquium habiturus Alexander PP. cum ingreſſurus eſſet, tanquam pius & mitis Rex cum Baronibus & militibus ſuis per duas leucas illi occurrit, quo viſo ſtatim deſcendit ad ſtreguam eius feſtinanter accurrens, humiliter deoſculatus eſt pedes ipſius, & ſtatim ad eius oſcula cum deuotione fuit receptus, &c.* In Actis vitæ Alex. III. apud Baron. an. 1162.

Sis deuotus, aiebat Regum apex S. Ludouicus filium alloquens, *& obediens matri noſtræ Romanæ Eccleſiæ, & Summo Pontifici tanquam Patri ſpirituali*: Ex iis quæ Carnotenſis eiuſdem Cappellanus de eodem S. Rege ſcriptis mandauit, quod in ore habebat, regio ipſius cordi inſitum fuiſſe colligitur: *Sane*, inquit, *quam reuerenter & humiliter erga SS. Rom. Eccleſiam ſemper ſe habuit, quam deuotè & obedienter reſcripta & mandata Apoſtolica conſuetus erat ſuſcipere, quam obedienter & efficaciter ſicut verus filius obedientiæ adimplere, norunt illi, qui familiariter ei adhærebant, ipſe enim negotia matris Eccleſiæ pluſquam propria reputans, ea totis affectibus promouere curabat.* Godefrid. de bello loco cit; de vita S. Lud. Guilel. Carnot de vita & miracul. S. Lud.

Fierine poteſt, vt quis tot & tanta obedientiæ ſacrificia Romanis altaribus à ſanctiſſimo Rege oblata recenſere valeat? neceſſe omnino foret, vt ſicut Innocent IV. mille ab eius munifica manu beneficia accepit, ipſe etiam nobis eorum magnitudinem deſcribere non grauaretur; Vrbanus item IV. ad vitam reuocandus foret, quo ſacri fideliſque apud nos interpretis diuini incendij in ſancti Regis corde feruentis munere fungeretur; Et quamuis Clemens IV. atque Alexander IV. qui ſancti Regis ætate vniuerſant, ſuam duorum illorum facundiæ coniungerent, quo facilius eximium S. Ludouici in complectendis, fouendiſue, & contra hoſtes tutandis Sum. Pontificibus zelum exprimerent, quatuor iſti tandem, mundi capacitatem ſcribendis

dis de zeli ipsius præconiis voluminibus imparem esse cum sacris quatuor nouæ legis Historiographis fateri cogerentur.

Nunquid deuotus obedientiæ filius, accepto Innocentij IV. Concilium contra Federicum II. celebraturi in Galliam aduentus nuntio, ad Patrem confestim aduolauit, prostratusque ad eius pedes perfectum Dei Vicario sui bonorumque omnium lubens obtulit holocaustum? Nunquid Vrbano IV. Manfredi illius spuriæ prolis vexatione turbato laturus opem, in Italiam castra mouit, illicque vt alter Tugillus cum mille pedibus, aut centum manuum Briareus apparuit, statimque tyrannum fugauit? Nunquid elapso triennio insolescentem iterum hydram illam prioribus ictibus rediuiuam, atque in Clementem IV. furentem, diraque minitantem nobilium suorum, Carolo Andegauensi Regis fratre ante alios præeunte, quasi aquilarum volatu super Alpes quantocyùs erumpentium numerosis agminibus, totum Ecclesiæ hostis exercitum fudit, Manfredoque ipsi vitam eripuit? Nunquid post primam in Orientem subleuandis Christianis Turcorum iugo oppressis susceptam expeditionem, ad Clementis IV. Summi Pastoris vocem Christianorum in Syria miserias deplorantem, suas gementibus aures, suaque fractis desperatisve brachia aperuit, vitamque lubens pro Tunetani Regis subditorumque salute libenti animo profudit? Insolita tandem sancti Regis in A.S. obedientia, & Catholicæ Religionis zelus, extremum hunc honoris & gloriæ lectum strauêre, ex quo in cœlum præparatas veris Obedientiæ filiis immortales lauros palmasque lecturus ascendit.

Cum primùm Benedictus XI. Petri Cathedram ascendit, Philippus IV. Pulcher dictus humilis suæ obedientiæ litteras ad eum direxit, in hunc modum: *Sanctissimo Patri in Domino Benedicto, diuina prouidentia SS. Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ Pontifici, Philippus Dei gratia Francorum Rex deuota pedum oscula beatorum: Benedictus Dominus Deus Israel, &c. Cæterum nos & Regnum, cuius moderamini disponente Domino præsidemus, & Ecclesiam Gallicanam sanctitatis*

ctitatis vestræ fauoribus fideliter commendamus, & ad exponendum perfectiùs, & plenius exhibendum B. V. omnimodæ reuerentiæ, & deuotionis in Petrum, &c. Nuncios nostros ad S. V. præsentiam destinauimus, quos benigne recipere, ac eorum relatibus paterna clementia audientiam præbere placidam, & fidem non dubiam adhibere dignetur.

Extrema potissimum vitæ periodo, in qua meliora de Deo, sacrisque rebus homines sentire solent, Carolus V. propter canum & senilem animum sapiens dictus, Catholica erga diuinum Numen, sanctamque matrem Ecclesiam animi sui sensa aperuit, nam conuocato Optimatum Concilio, ab ipsis filio nomine suo inculcari præcepit, *Illum*, scilicet, *audiendum, qui non super Cathedram Moysi, sed super Cathedram Petri residet:* Vltima Patris sui verba humiliter excepta Carolus VI. filius Religioso conatu adimplere tentauit, nam Auenionem vsque progressus, & ad Pontificis pedes prostratus, ipsos reuerenter osculando, prophetiam in sua persona belle expressit, qua Euangelicus Vates futuram prænuntiauit Regum ad Christi, eiusque Vicarij pedes submissionem: *Et venient ad te curui filij eorum qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum:* Illam quoque alteram quæ de Dei regno loquitur, & asserit, quod *Sempiternum est, & omnes Reges seruient ei, & obedient.* Quinam sunt, quæso, Reges isti inclyti, nunquid Francici Monarchæ?

In Annal. Franciæ.

Isa. 60.

Dan. 7.

Nunquid Carolus VII. eorum numero adscribendus, qui Ecclesiæ voci acquiescens, pertinaces omnes ad destruendum perpetuum illius regnum ab omnibus inferni arietibus nunquam concutiendũ Basileæ in conciliabulo aggregatos suorum vi armorum dissipauit? Nunquid falsa eorum muralia tormenta, igniariasque perduellionis machinas ad iactum contra sacrum & legitimum Eugenij IV. Thronum, atque eleuandum super istius ruinas Amedei solium directas, compositasve oscillauit? Nunquid Germanos omnes nefandi illius schismatis fautores ad deferendam pseudo-Pontificis factionem adegit? Nunquid eosdem ad Nicolai V. legitimi Eugenij IV. Successoris pedum osculum coëgit;

quamobrem Poggius hocce digniſſimo ipſum decorauit elogio: *Regis Franciæ*, ſcilicet Caroli VII. *animus ſemper firmus & inconcuſſus ſtetit pro ſeruanda vnitate Eccleſiæ; ſemper hæſit vero Vicario Chriſti, ſemper Eugenium, & Nicolaum viros Sanctiſſimos Pontifices ſumma coluit veneratione:* Quare primùm ſigillauit operibus, quod poſtea Pio II. Pontif. Max. teſtatus eſt, nempe obſequentiſſimum, & obedientiſſimum Sanctæ Sedis Romanæ Filium ſe eſſe, &c.

Inuectiua contra Amedeum Sabaud. Ducem Pſeudopap.

Pius II. Ep. 375. ad Carol. VII. Gall. R.

Porrò non minus eidem Pontifici ſtudium præſtitit Ludouicus XI. cum de Pragmatica ageretur, cuius vſum à ſe tollendum cum ipſius mos ſibi plane odioſus videretur, litteris ſignificauit, maiorem eius in Religionem quam in proprij commoda regni ardorem continentibus: quare ſanctiſſimus Hierarcha viſo eius Eccleſiaſtici iuris tuendi deſiderio, incredibilem, qua inceſſit, lætitiam continere non potuit, quin eam notatu dignis hiſce verbis ad Regem directis teſtaretur. *Carolus Magnus, & plures ex progenitoribus tuis, immortale nomen, & inextinguibilem conſeruarunt gloriam, quia Rom. Eccleſiam matrem ſuam debito ſunt honore proſecuti: Quorum te veſtigiis inhærentem & diligimus totis præcordiis, & laudamus, & omnis te poſteritas celebrabit:* Ad quem deuotiſſimus Rex aliquando reſcripſit his verbis: *Tibi Sanctiſſimo & Beatiſſimo Patri noſtro Papæ obedientiam filialem, & plenos deuotionis affectus deferimus, promittimuſque in filiali erga V. S. obedientia Deceſſoribus noſtris haudquaquam inferiores futuros, &c.*

Pius II. Ep. 387. ad Lud. XI.

Enimverò agnum aureis ornatum inauribus, obedientiam nempe, iuxta ſubtilem Gregorij Magni interpretationem, charitate animatam, humilique innocentiæ iunctam, Ludouicus XI. Deo obtulit, & poſt ipſum Carolus VIII. eius filius, qui poſtquam eius coronam hereditario iure accepiſſet, Cum Neapolitanum ſibi regnum comparaturus in Italiam penetraſſet, erga Pontif. Max. Alexandrum VI. propenſiori in Ferdinandum Neapolis Regem, quam in Carolum animo inclinatum ſuo nullatenùs officio defuit, ſi quidem poſt ſolita pedum oſcula Celebranti lauandis

L. 34. moral. c. 34. in c. 42. v. 12. l. Iob.

Ann. 1494.

aquam

aquam manibus porrexit; Cumque nonnullis maleuolorum Optimatum minus Alexandro fauentium sollicitationibus vrgeretur, quo facta nonnullorum, quibus Pontificum famam deturpabant, criminum iuridica inuestigatione, ipsum è Pontificio A. S. solio deturbaret, regali plane & modesta responsione peruersa Pontificis aduersariorum consilia procul à se reiecit; verbisque æterna memoria dignis palam affirmauit, quod quamuis Alexander V I. sola esset illius vmbra, cui Deus ouilis sui regimen commisit, à Petri tamen vmbra repetitis crebrò miraculis ipsius hostes pudore suffundendi forent.

Nec vllum fluxit sæculum in quo Gallicana Lilia suaueolentem filialis in Pontif. Max. reuerentiæ odorem non emiserint; numquid vel ipsos omnis sensus expertes magis rapiebant, cum Ludouicus X I I. populi pater Seriniæ, Rauennæ, Imolæ, Fauentiæ, Forique Liuij ciuitates, aliasque ditionis Ecclesiasticæ vrbes Iulio Pontif. Max. restitui curauit? Ecquis porro suauior Lilij Conuallium odor, quam demissus Francisci I. animus? qui Massilia egreditur, vt Clementem V I I. excipiat, quique ipsius pedibus prostratus tacendo clara regiæ pietatis insignia operibus suppeditat vniuersis: Ecquis maior Francorum Liliorum splendor, quam Henricum I I. videre, Paulum I V. violentis Colomnensium Romam obsidentium conatibus subducentem? Numquid illustre fuit tanti Monarchæ Religionis specimen, cum summo Hierarchæ inclytas ciuitates Anagniam, Tibur, Ostiam, pluresque alias restituit? Adeo vt qui insignis illius Iurisconsulti effatum mirantur, quo sum. Pontif. è sua Sede per summam vim, summumque facinus impiis perditorum conatibus expulsos à Francis Regibus eidem glorioſe restitutos pronuntiat, in hac nostra sectione amplam huiusce veritatis elucidandæ materiem, Galliamque Pontificibus Myrtilij Clypeum, *Auxilium numquam deficiens*, in omni loco subministrasse reperiant.

Lud d'Orleans in suis Parlamenti aperturis.

Et certe Gelasius II. PP. *Cum tyrannide Imp.* inquit S.

Dionysij Abbas, *per Romanos à sede Romana Ecclesiæ arceretur, ad protectionem Serenissimi Regis Ludouici, & Gallicanæ Ecclesiæ compassionem, sicut antiquitùs consueuerunt, confugit:* Quo in casu magna cum ratione sanctus idem Pontifex loquutus est in hunc modum: *Viri fratres & filij sicut nec longe malum, ita nec longo opus est, nec nouo sermone, sequamur Patres nostros, quoniam valde bonum est antiquos sequi parentes, siquidem illud vnicum, vsitatum, obuium, certumque refugium fuit semper Romanis Pontificibus persecutione vexatis regnum Francorum ipsosque Reges adire, à quibus & digne consueuissent suscipi, digniùs retineri, atque digniſsime cum adesset, compressis hostibus ad Rom. Ecclesiam reuocari: adeò vt si quis dicat portum Rom. Eccl. & fluctuantis nauiculæ Petri Galliam esse, non mentietur.*

Pandulphus apud Baron. in Gelas. II.

Quis porrò maleuolos illos insignis calumniæ vitij non insimulet, qui Henricum Magnum Christianissimi Rgis auum de Sum.Pont. auctoritate minus bene sensisse mentiuntur? Cum enim nequissimi A. S. hostes post comparatum non sine multo labore stabilitumque Galliæ regnum, ad Romam, Pontificisque benedictionem flocci faciendam ipsum inducere tentarent; *Numquam*, inquit, *hoc mihi accidet*: Et quidem nullam ipsius conscientia requiem habere potuit; donec misso Romam Serenissimo Niuernensium Duce, Pont. Max. benedictionem Perronij Card. manu accepisset: Quis nesciat quantum pro pace, & componendis suis cum Sabaudiæ Duce dissidiis Clementi PP. VIII. detulerit? Numquid personam suam, armaque pro Ferrariensis Ducatus recuperatione Pontifici obtulit? quem tandem illustriorem ad Paulum V. sapienti Niuernensium Duce, ipsi de sua electione gratulaturum, Dominique sui obedientiam præsentaturum delegare poterat? Certè Paulus V. audito funesti tanti Regis obitus nuntio conceptam intùs tristitiam apertis in vultu signis patefecit; verbisque, quod reipsa expertus fuerat testatus est, hæc verba proferendo: *Hodie in Henrici IV. Regis morte dextrum brachium perdidi.*

Binet in Orat. Funebri Henrici M.

Hæ

Hærebat LVDOVICI XIII. animo medullitùs sacrarum rerum non vulgare studium, vnde supremum Ecclesiæ Pastorem filiali complectebatur amore; quin & singulis diebus destinatam Summi Pontificis prosperitati orationem recitauit; quare Vrbanus VIII. continuam illius, quem D. Petri clauium honoris studiosissimum probe norat, in altari memoriam facere non omisit: Quænam clariora intimæ inter ipsos necessitudinis argumenta proferri queant, quam magnifica illa Poësis, Epodonue liber, quem ipse Vrbanus in tanti Regis armorum laudes edidit in lucem? Et quodnam sæculum tam præclara Pontificis in Francicum Regem beneuolentiæ vidit vnquam insignia?

Nec minor in LVDOVICO XIV. Christianissimo nunc imperante erga Sedem Apostolicam reuerentia exstitit, nec impar in Petri successorem amor, cuius sacras leges tanquam dicta ex tripode oracula tenerrimo amoris sensu semper amplexus tanti facere consueuit, vt eas toto Regno promulgatas religiosè velit obseruari, & modò rebelles perduellium male de Summo in terris Vicario sentientium animos discussis ignorantiæ tenebris ad saniora traducere consilia, rectisque Fidei orthodoxæ disciplinis imbuere conatur, quo debitam inposterum Petri Successori reuerentiam exhibeant, suauique sapientis adeò mansuetique Pastoris regimine ad verum salutis callem reducti, cœli demùm felices metas attingere possint.

Quare Supremi Christi Thesaurorum Oeconomi tot insignium Franciæ Regum in S. A. meritorum stimulis incitati, quò tam sinceræ beneuolentiæ patentibus signis responderent, varias fidelibus pro ipsorum incolumitate orantibus Indulgentias concessère; Clemens PP. centum dies, decem insuper Innocentius IV. Leo X. annum integrum concessit, vti S. Thomas cum aliis Doctoribus asserit. In 4. dist. 19. a. 3.

Post augustas tot Imperatorum, Regumque voces, quis demùm adeò mente captus reperiatur, qui contra sacram Summ. Pontificum Cœli Cancellariorum maiestatem, vel tantillum hiscere audeat? quis tam perfrictæ frontis, qui ipsorum auctoritatem in dubium reuocet, litemque audeat

intentare, & quis tanta præditus impudentia qui Summos Petri ſucceſſores petulanti mordeat lingua, eorumque famam iniuſtis laceret calumniis? Nunquid Caluiniſtæ toties capitalibus ſeſe deuinciunt criminibus, quot in Gallia Reges floruêre, quoties illum Antichriſti dedecorant nomine, quem Francici Monarchæ *Patrem ſanctum, & Reuerendum, perbeatiſsimum Papam, culmen Religionis*, æthereum, iubar, pharum totius ſanctæ Eccleſiæ pronuntiant.

Saniora, quæſo inpoſterum conſilia, ſanioremque precor amplectimini opinionem, beneuolaſque huic aures præbetote, qui nullum Fidei placitum, niſi ſupremi orbis Architecti regulæ conſonum pronunciare poteſt: Ne ſacra deinceps illius Oracula reuocetis in dubium, qui ſupra pectus ſcriptum portat *Doctrina & veritas*: Benigniori ergo ac religioſiori oculo Eccleſiæ Columnam aſpicite, de qua hiſce noſtris diuinum Numen temporibus ſuum populum alloquitur: Ad hanc porrò vnicam Sancti contra Arrianiſmum confugêre: *A Paſtore præſidium monis peto*, S. Hieronymus Damaſo PP. aiebat; *cum ſucceſſore piſcatoris, & diſcipuli crucis loquor: Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio:* Idem dixere SS. Hilarius, Athanaſius, Cyrillus, quos in veſtro ſexto, ô Caluiniſtæ, articulo ſanctos appellatis Doctores.

Epiſt. ad Damaſ. PP.

Ecqua tandem fronte nomen Francorum audetis vſurpare, cum ſitis adeo Regum veſtrorum diſſimiles, qui ſupremos Romæ Antiſtites ſummo ſtudio, ſummaque veneratione ſunt proſecuti: Et quo demùm titulo fidelium erga Reges ſeruorum nomine gloriamini, ſi tanta cum pertinacia ſanctiſſimis regiæ illorum volũtatis motibus aduerſamini? quonam autem imperio ſubditorum voluntates princeps regere poſſit, quos tam pertinaci ab Orthodoxa prorſus alienæ Religioni addictos contumacia deplorat? quodnam, amabo, ſtrictius vinculum, & quis ad nectendos inter ſe Principis ſubditorumque voluntates fortior Religione nodus, cum vocabulum iſtud, ſuam, vt inquit Lactantius, à *Religando* ducat etymologiam; quod religare, ac reunire ſonat? cauete,

Lib. 4. Inſtit. c. 8.

te, ne illud vobis inposterum conueniat, quod de sui temporis Hæreticis dicebat Tertullianus: *Etiam de Oliuæ nucleo mitis & optimæ & necessariæ oleaster asper exoritur, etiam de papauêre fici gratissimæ & suauissimæ, ventosa & vana caprificus exurgit, ita & hæreses de nostra fructificarunt non nostræ degenere veritatis grano, & mendacio syluestres.* Cap. 36. de Præscript.

Imò potiùs ad Christum nostræ vnicum salutis authorem oculos animumque conuertite, quo ipsius sacri cruoris nostra causa profusi efficacibus meritis, discussa errorum vestrorum nebula, orthodoxæ maiorum vestrorum Religioni, demissæque in Petri successorem reuerentiæ, præeuntibus, facemque præferentibus tot Francorum Monarchis firmiter adhærere possitis.

SECTIO TERTIA.

Gallorum Regum in profligandis Hæresum monstris zèlus verè Catholicus.

NVllus sane dies clarior, nullus coronationis die glorioſior Christianissimis Regibus illucescere solet: Et in hoc festiuissimo suæ inaugurationis die flexis coram summo D. Mariæ Remensis altari genibus, post solemnem tuendæ Fidei professionem, tactoque sacri Euangelij libro, hæc digna notatu verba subiiciunt: *Item promitto quod de terra mea, ac iurisdictione mihi subdita vniuersos hæreticos ab Ecclesia denotatos pro viribus bona fide exterminare studebo; & hæc suprà dicta firmo iuramento*: Sed (quod tantorum Principum gloriam, pretiosamque auget laudem) facta verbis coniunxêre, cum sceptrum nonnisi ad Catholicæ Fidei defensionem, coronamque ad debellandos Ecclesiæ hostes accepisse visi sint: prout in sequentibus Paragraphis demonstrabimus: Sit itaque In Codicillo purpureo & cæruleo, qui in Remensis Ecclesiæ thesauro asseruatur.

PARA-

PARAGRAPHVS PRIMVS.

CLODOVÆVS, Childebertus, Carolus Martellus, Carolomannus strenui Hæreticorum profligatores.

NEminem vel tantillum in historia versatum latet, Clodouæi I. ex Gallis Regibus Christiani tempore Arianismum, spiritum veluti ab inferis immissum luctuosas toto orbe tempestates excitasse, quæ funestum Petri
An. Christi 484. nauiculæ minitabantur naufragium: *Quis considerans,* (inquit purpuratus Annalium scriptor) *oculisque perlustrans præsentis temporis Ecclesiæ statum omni ex parte deploratissimum, non magnopere admiretur Dei prouidentiam in sua semper Ecclesia protegenda? Etenim vbi penitùs collapsum esset Occidentis Imperium, & vbique tam in Oriente, quam in Occidente Reges regnarent hæretici, tunc è gentibus Deus voluit sibi principem suscitare, & aggregare populum, qui ab ingruentibus Hæreticis, atque exundantibus barbaris Sanctam Ecclesiam liberaret, ac magnopere illustraret; ad id namque à Deo instituti esse visi sunt Reges Francorum.*

Et certe cum firmandæ in tot hostium rabiem, procellasque nauiculæ sapientis Nauarchi prudentia non sufficeret, diuina egregium Ducem Clodouæum suscitauit prouidentia; Cum enim totus fere orbis, Hieronymi iudicio, sese Arianum miraretur, tantoque impietatis pondere oppressa gemeret Aquitania, suasque Pictauiensium gemitibus querimonias adiungeret, vbi Alaricus Visigothorum Rex imperij nullis cœli fulminibus, vti sperabat, concutiendi sedem fixerat, Clodouæus stabilita suorum armorum constructi in Apostolorum Principum honorem templi beneficio fœlicitate, spretis Alarici minis, Theodoriciue Italiæ Regis eiusdem soceri precibus, nouus licet adhuc in Christiana militia pugil, nihilominùs fictilem Dagon cum Arca Fœderis numquam simul posse consistere, auroramque potius occidui solis prænuntiam, quam pacem impiis, Dei hostibus, Sanctæque Ecclesiæ flagellis contiguam fore, suis

præclare

præclare gestis in Christi Schola se iam didicisse monstrauit: [Ob hæc tanti animi merita Clodouæi magnanimitatem nostræ decantarunt historiæ, qui, Baronio teste, inter omnes mundi Reges pro Dei causa, sacrorumque Altarium defensione primus arma sumpsit.] Baron. to 6. An. 507. Sabell. l. 2 Enead. 8.

Nec mora nouus Christi pugil dimissis Theodorici legatis numerosum parat exercitum, iunctisque cum Burgundiæ Regis soceri sui agmine copiis, publicum Catholicæ Religionis hostem aggreditur: post cruentum vtriusque partis conflictum ambo Reges ad conserendas inter se cominùs deuenere manus, percutiunt, punctim, cæsimque feriunt, intentatum magna vi mucronem excipiunt, auertuntque, concidunt, geminatis dimicant ictibus, auersæque manus crebros duplicant incussus, petitionesve; sed ferrum indomitos asperitate superat adamantes; Cœlum tandem, cuius decretis corona magnanimo non sine sudore parata Clodouæo, tantùm ipsi vires addidit, animosque roborauit, quantùm inimici vires animusque frangi videbantur: Quare posito mucrone, assumptaque palari tudicula, tam graui ictu Alarici galeam percussit, vt suum equo aduersarium deiecerit, prostratumque victor ad latus accurrens ense miserum confecerit; Huic porro Principi Ariano mors æque fortunata, atque Clodouæo glorioſa fuisset, si fœdas hæresis suæ maculas proprio sanguine abluisset, verum æque raro fœlix exitus pessimam sequitur vitam, vt sancta funestam vita mortem præcedit.

Childebertus inuictissimi Clodouæi filius pusilli haud animi ignauia patris gloriam obscurauit, quippe qui non minori erga Infidelem Amalaricum, quam Clodouæus in eiusdem sectæ Alaricum zelo exarserit; & si pater Arianos in Aquitanicis campis generose prostrauit, eosdem ipse in Hispaniis penitus deleuit, quas victoriæ palmas Iudæorum è suo regno proscriptione cumulauit: Vnde sacratissimo Vigilij PP. laudum suarum buccinatoris ore laudari meruit in Epistola Constantinopoli ad Aurelianum Episcopum Arelatensem conscripta his verbis: *Sit Fraternitas vestra in hac quoque parte sollicita, & glorioso Filio nostro Childe-*

berto Regi, quam Christianitatis studio venerationem integram Sedi Apostolicæ, cui nos Deus præesse voluit, cognouimus exhibere, supplicare non desinas, quatenus in tanta rerum necessitate circa Ecclesiam Dei sollicitudinem suam, sicut & confidimus, Christiana deuotione persoluat.

Quid de inuicto Carolo Martello proferam? Quoties Sarraceni sub Theodorico huius nominis I V. Francorum Rege in Galliis ab eo profligati memorantur, sed tam stupendo cæsorum numero, vt semel, iterumque ad trecenta & septuaginta quinque millia vnico quandoque conflictu prostrati, enectique legantur? Turonensis pugna contra Saracenos Dei, eiusque sponsæ Ecclesiæ hostes late patens theatrum extitit, in quo Francicorum gloria armorum, æterna ipsorum magnanimitatis trophæa erexit, felici adeò successu, vt Rex ipse Saracenorum Abderamus vitam, honorem, omnesque thesauros amiserit; Totus vero Christianorum chorus infidelium populorum internecione recreatus, magno omnium plausu Carolo est gratulatus, qui Martelli cognomen iure tulit, quippe qui armis suis grauibus quibusdam veluti martellis, Dei, Ecclesiæ, simùl & Galliæ hostes contriuisset.

An. 726. Scip. Dupleix.

Quid de Carolomanno pariter magnanimo quondam Heroë, cuius bellica virtus, industriaque singularis in rumpendis, atterendisve eorumdem Saracenorum manipulis strenuè desudauit? Nunquam ipse quieuit, quin teterrimam mundi pestem, atque orthodoxæ fidei nequissimos persecutores, si non omninò, saltem quantum posset, è Galliæ finibus amandaret, aut certe pertinaces in Arianismo ganeones penitùs deleret: Sed longe plura nos ad se rapiunt postremorum Regum generosi in perfidos animi facinora; Vnde oritur

PARA

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Insignis Roberti, Henrici, & Ludouici VIII. in Hæreticorum ruinam ardor.

SI Robertus Capeti inclyta soboles in hoc perfidæ impietatis sæculo iterum rediuiuus, tantam fidei perduellium multitudinem intueretur, quibus iustis iracundiæ motibus regium ipsius pectus non accenderetur, cum nomine tenus Christianos audiret, qui eò prorumpunt temeritatis ac impudentiæ, vt à Cœlo terraque sibi rationem de mysterio reddi exigant, quod nullam in se recluſæ veritatis aliam continet rationem, nisi illius potentiæ efficax verbum, quo factum aliquid ex nihilo, conceſſaque huic nihilo Angelica vita? de quo quidem Euchariſtico atque ineffabili mysterio diuinè pronuntiauit Cyprianus: *Panis quem Christus discipulis suis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus omnipotentia verbi fit Caro Christi.* Superiori sectione eiusdem Roberti zelum expressimus, quo in dubiam vacillantemque Luterici Senonensis Archiepiscopi de SS. Euchariſtiæ mysterio fidem acerrimè inuectus est, qui Capharnaitarum more rationes de veritate omnem rationem superante exposcebat. *An.* 250. tr. de Cœna Domini.

Sancto eiusdem zeli ardore inflammatus, Heribertum S. Petri Primicerium, Lisoiumque in S. Crucis Monasterio Capellanum Manichæorum excitatores somniorum Aureliæ est insectatus: Glaber oculatus istorum vesaniæ testis refert, quod cum Rex peruersæ eorum doctrinæ nuntia accepisset, Aureliæ Concilium statim coëgit, vbi duo impietatis præcones comparuêre; Sed frustrà, cum ad saniorem redire mentem recusarint, hæresi namque helleborum potiùs quam manna conuenit; *Cernens quoque Rex* (prosequitur auctor) *& vniuersi qui aderant, minùs posse illos reuocari ab insania, iussit accendi non longe à ciuitate ignem permagnum, vt vel ex eo fortè territi à suâ malignitate desinerent: ad quem cum ducerentur, rabida adacti dementia,* L. 3. c. 8.

ſe omnimodis hoc velle proclamant, ac ſeſe vltrò ad ignem trahentibus inferebant? Quibus ad vltimum numero tredecim igni traditis, cum tam cœpiſſent acriùs aduri, cœperunt voce qua poterant ex eodem igne clamare ſe peßime deceptos arte diabolica, nuper de vniuerſorum Deo, ac Domino male ſenſiſſe, & ob hanc ab eiſdem illatam ei blaſphemiam, illos temporali, atque æterna vltione torqueri. His vero plures ex circumſtantibus auditis, humanitatis pietate permoti accedentes, vt vel ſemiuiuos ab igne eriperent, minime valuerunt, quoniam vindice flamma conſumente illos, continuò in puluerem fuerunt redacti: Si qui vero poſtmodum huius peruerſitatis ſectatores fuerunt reperti, ſimilis vltionis vindicta vbique fuerunt perditi: Quare nullus ex eis Dei gratiam obtinere potuit, quam toties ſpreuêre, nam ſerum eſt in patibulo pœnitere; *Impius quando vult* (nimium verè pronuntiat Theologorum apex) *agere pœnitentiam non poteſt, quia quando potuit, noluit, & ideò per malum velle, perdidit bonum eſſe*; veniet quippe aliquando illa tremenda dies, iurauit Angelus in Apocalypſi per viuentem in ſæcula ſæculorum, quæ nobis ad miſericordiæ altare recurrendi occaſionem rapiet, poſtquam tot eius munificæ manus dona iniurioſe contempſerimus.

Aug. l. de lib. arb.

Cap. 10.

Ann. Chriſti 1035.

Quem non rapiat in admirationem Henrici eiuſdem Roberti zelantiſſimi filij iuſtè repetita de hæreticis pœna? Hic, teſte Baronio, Roberti parentis vt Regni, ita & pietatis heres, eius exemplo ad condemnandum errorem, profligandam hæreſim, penituſque obruendam, vt nullatenùs ampliùs audiretur, ocyùs exurrexit; quamuis ſuorum ciuili bello teneretur occupatus iugiter: Probe ſciens tum reddi ſibi Deum propitium ad debellandas infeſtorum hoſtium turmas, cum emergentes hæreſes comprimuntur, & regia poteſtate, ne vel mutire audeant, continuò ſtrangulantur, reddique tunc pacificum, atque diuina protectione ſecurum regnum, cum Rex ſollicite curat Eccleſiàm eius ab omni prorſus labe hæreſis impollutam, integramque ſeruare; Henricus tam Chriſtiano

ſenſu

ſenſu animatus ad Brunonis Andegauenſis Epiſcopi, atque Berengarij Turonenſis Archidiaconi, Lutheri, Caluiniique blaſphemiarum contra Chriſti in Sacramento altaris potentiam ſectatorum hæreſis condemnationem perrexit.

Et ſana quidem Durandi Leodienſis Epiſcopi conſilia ad exſtirpanda illa errorum zizania plurimùm contulêre, qui cum Regem in Regno ſuo cogendis in Concilio Epiſcopis pro Hæreſiarcharum condemnatione non parum cerneret occupatum, ſupplicibus verbis fruſtra tot inſignes ab ipſo moueri ceruices, pro glabris duobus & abiectis capitibus expoſuit, quæ vetera iam multò ante Concilia è iuſtorum proſcripſerant ſocietate; rigoroſæ citiùs iuſtitiæ incuſſo terrore, quàm omnium Eccleſiæ Canonum tonitru pertinacem eorum audaciam concutiendam affirmauit: Probauit conſilium Henricus, feliciúſue promptæ mandauit executioni; nam Bruno ſimul & Berengarius timidarum ad inſtar ceruarum, Regiæ tonitru animaduerſionis tremefactæ, monſtruoſos impietatis ſuæ fœtus peperêre, ſanaque reſumpta mente, omnem à Romana alienam doctrinam abiurarunt, cum nulla breui melior ſit amentia, nullumque maiori venia dignum crimen, quam minùs propugnatum.

Henricus vero ſanctis illis in perduelles conatibus non ſolum bullientem in venis ſuorum Roberti & Caroli Magni Deceſſorum ſanguinem demonſtrauit, verum etiam ſancito cum Angliæ Rege Henrico II. fœdere idem probauit; quo ad exſtirpandas Arianiſmi fibras in Toloſanis partibus repullulantes conſpirauit, deſpectiſque priuati commodi rationibus, quæ ipſum potiùs in extinguendis ciuilibus diſcordiis retinere videbantur, abiectaque cauſæ iuſtitia, pietati ſuæ in compeſcendis Hæticorum erroribus fecit ſatis.

Quanam vero potiſſimùm de cauſa Ludouicum VIII. S. Ludouici parentem Leonis nomine compellatum fuiſſe arbitremini? inuictus profecto ipſius animus Leonis cognomen ipſi peperit, quod nimirum, teſte Nangio, vti iam

ſuprà diximus, leonis inſtar aduerſus rebelles atque impios ſolitus eſſet aſſurgere : Et re quidem ipſa magnanimum leonem in debellandis Albigenſibus ſe præbuit; nam vbi primùm humaniſſimas ab Innocentio III. litteras accepit, quibus de exterminanda penitùs tetra illa pernicioſorum hominum colluuie rogabatur, confeſtim accurrens ipſos tam violento eſtaggreſſus impetu, vt repentina eorum vrbes aggreſſione expugnarit, Auenionem eorum tyrannide exemerit, inque luctuoſas extremæ calamitatis coniecerit anguſtias; quare ſingularem apud Honorium P. M. laudem retulit: *Vnde factum eſt*, aiebat ipſe Pontifex, *quod idem Rex zelo deuotionis accenſus, cum omnibus fere Prælatis & Baronibus regni ſui ſignum Crucis aſſumpſit ad Hæreticos de illis partibus profligandos.*

PARAGRAPHVS TERTIVS.

S. LVDOVICI, aliorumque Tertiæ Regum ſtirpis in Hæreticorum ruinam ſtudium.

SI antiquitùs apud Germaniæ populos lege cautum erat, vt parentes ſuos ad ſuplicium liberos, tãquam eiuſdem, bonæ defectu educationis, conſcij ſceleris comitarentur, quam nunc æternæ felicitatem mercedis Ludouicus VIII. eiuſque Coniux Regina Blanca in Cœlis colligere debent, cum ipſi nobilem adeo plantam, S. nempe Ludouicum in lucem editum tam ſanctis inſtitutum præceptis totius orbis ſtupori eleuarint? generoſuſque Leo eius parens, ſuæ in Fidei hoſtes magnanimitatis vigorem materno cum lacte inſtilarit? Quod ſi animæ motus in hominis facie legunt Sapientes, & ſi Phidias leonis magnitudinem, ex ſola eius vngulæ menſura collegit, Pythagoraſque omnes Herculei corporis proportiones ex ſolo ipſius pede metiri potuit: Si denique hortulanus ex minimo ſemine arboris pretium diſcit, cui mirum videri poſſit, ſi humanæ vitæ progreſſus, ex eius infantiæ propenſionibus, nutibuſue coniici ſoleant? Sic Periclem adhuc iuuenem quondam in foro triumphaturum

rum quidam augurati sunt, quando inter socios de quacumque re proposita differere visus est:

Quid ergo de S. Ludouici iuuentute coniiciemus, qu duodecim annos duntaxat natus nullam aliam nisi pro Catholicæ Fidei honore peperit cogitationem? si primi ann postremorum dici prophetæ solent; quis porrò ipsi us ze lu in vitæ meridie existet, cum tantum in aurora pro ip siu propagatione generarit valorem? vix Franciæ diadema su per eius caput radiare cœpit, cum fœtidum Albigensis nequitiæ halitum abhorruit, ita vt[a] Tolosano Comiti illius pestis fautori atrox bellum denuntiarit, nisi integram pernicioſæ adeo propaginis destructionem iuraret; vnde Raymundus sancto Regis feruore coactus nullam compendiosiorem ad pacem viam reperit, quam si generosis ipsius consiliis adhæreret.

[a] Papir Mas. son. l. 3. in Lud. IX.

Placet audire magnanimi eiusdem Sancti voces, quibus ad perdendos Christiani nominis hostes seipsum matri quandoque obtulisse traditur, *Erigat nos mater*, inquiebat, *cæleste solatium, quia si perueniant ipsi vel nos, ipsos quos vocamus Tartaros ad suas Tartareas sedes, vnde exierunt, retrudemus, vel ipsi nos omnes ad Cælum subuehent*: Quorum tam laudabilium verborum aculeis non Francicam modo nobilitatem, verum adiacentium finium habitatores erexit, animauitque: Vtinam sonora verborum istorum tuba S. Ludouici heredum aures feriat, quorum frequentibus puncti stimulis ad generosa pro Fide Catholica, perdendisque eius aduersariis certamina prouocentur.

Annal. Eccl. an. 1241. 33.

Calumnia vero, quæ solas insignes aggredi, mordereque solet virtutes, eo vsque temeritatatis processit, vt Francisci I. & postremorum Galliæ Regum memoriam canino dente lacerare, eorumque nimiam in compescendis monstrorum è Germania atque Gebennensi antro erumpentium primis insultibus pusillanimitatem carpere sit ausa; verum maximam Augustissimorum Christiani populi Regum pietatem ignorantia pari impietateque violauit: Quis enim ignorat singularem Francisci I. in difflandis, subuertendisue furiarum istarum cuniculis vigilantiam? Et certe si magnanimus

iste

iſte princeps niſi Francica lilia cordi ſuo altius inſeuiſſet, Lutherani Principes ſacram hanc è Gallico viridario radicem ſæpius auulſiſſe debuerant: Fidem faciunt Hiſtoriæ à Luthero, Philippoque Melancthone contra huius Regis firmitatem omnes neruos, vireſque adhibitas; ſparſoſque in abditiori RegisCamera doctrinæ ſuæ libellos: Verùm naſutus ac prudens admodum princeps ad volantium iſtorum Draconum non indormiſcit aſpectum, authores inquiri iubet, atque vt peſtiferum initio venenum diſſipet, ſeueriſſima toto regno edicta promulgari iubet, quibus Catholicæ Fidei apoſtatas vltricibus addicit flammis, ſolis lerneæ hydræ nempe hæreſeos deſtructricibus.

Neque his contentus ſupremi Senatus Decretis, Cœli iuſtitiam adiungit, quam feruenti oratione, & ſolemnibus implorat populi ſupplicationibus, in quibus nudo capite, ardentem manu tædam præferens, totus in lachrymas ex ſummo pietatis ſenſu diffluebat; In Epiſcopali ſubinde Palatio patheticam ad ſubditos in Fide Catholica confirmandos habuit orationem, ipſoque die ſex dæmonis martyres igni ex Senatus Conſulto præcepit addici; Nouis haudquaquam ſectariis placuere ardentes huiuſmodi Capellæ, quarum ſplendorem non ferentes Rhenum ſubito iterum traiecêre.

Interim Caluinus audito regiæ iuſtitiæ tonitru in Gebennenſibus ranæ inſtar paludibus contra Iouis fulmen crocitabat, nec ſolis aggredi oculis audebat; Nihilominùs externorum gratia bellorum immiſſæ ab eo in vineam Domini Sabaoth vulpeculæ, eiuſdem pampinos, fructuſque ſunt demolitæ; ſed præter Regum intentionem, nam Henricus II. Franciſcus II. Carolus IX. & Henricus III. non minorem quam ipſorum Maiores ad ſpiritualis ſtatus conſeruationem, animum patefecêre: Vultis clariora in Henrico II. virtutis ſigna demonſtrari? poſt ſuum in Pariſienſem Ciuitatem ingreſſum, cum in prandio ad menſam marmoreã ſederet, data Eccleſiaſticis viris dextera, ſuum in Religionem animũ declarauit, quo ſuam Eccleſiæ defenſioni paratã dexteram aſſerebat; quin & Patris ſui contra Lutherum, Caluinumque

edicta

edicta confirmauit, atque aduersus eorum assecias marte aperto pugnare non destitit.

Idem præstitit Franciscus II. cuius breue regnum Epigraphen igneam columnam cum his duobus verbis *Lumen Rectis* gestantem adimplere non permisit, qua quidem Israëliticæ per desertum populos dirigenti ignis columnæ se similem futurum, Catholicisque facem, auxiliumque præbiturum, ignem vero nouæ Babyloniæ ciuibus, ruinamque paraturum se deinceps prædicere voluit.

Et quod ad Carolum IX. spectat, ipse æquali Decessorum suorum vigore Fidei honorem complexus, Caluinianis sub mortis pœna, bonorumque omnium mulcta reformatæ in speciem sed reipsa deformatæ ipsorum religionis exercitium prohibuit: Cum autem Rex turbulentos istos seditionum architectos, æque Francici diadematis, atque Romanæ Tiaræ ruinam conculcatis regiis edictis insectari animaduerteret, sacro S. Bartholomęi die omnes, dato media nocte signo, internecione deleri iussit, (hinc Matutinarum S. Bartholomæi ortum prouerbium) & siue cruentum hocce eius sacrificium Deo gratum fuerit, an vero ingratum, certum est ipso postridie nimirum S. Ludouici festo albam spinam à tribus annis viriditate destitutam in famoso S. Innnocentij Cœmeterio ante B. V. altare consitam tot flores tota stupente Lutetia emisisse, vt Rex ipse ad propriis lustrandum oculis miraculum accurrerit. Andr. Fauin. l. 4. hist. Nauar. & Is. de Charon. in hist. c. 150.

Catholicam porrò Henrici III. fidem, ipsi tertiam quam adhuc viuens de cœlo exspectabat coronam peperisse nullus vir prudens negauerit, quæ quidem duas alias Franciæ ac Poloniæ coronas, quas in parma sculpi fecerat, cum his tribus verbis, *Manet altera Cœlo*, illustraret; nam si præclaras quibus à Deo insignitus fuit dotes perpendamus, ipse tertio hoc diademate Principum Christianorum virtuti à Deo præparato minimè priuatus videtur: Non defuere tamen ex subditis male informati Aristarchi, qui, quod Nauarræo Regi plus iusto, vt ipsis videbatur, fidei vtique, subditorumque dispendiis fauisset, sanctam eius mentem, intentionemue rigidæ censuræ nota deturpare conati sint; sed quo

nam, amabo, ſine Equitum S. Spiritus Ordinem, ſacramque militiam inſtituit, niſi vt ſupremi luminum Numinis coruſcantibus radiis, Confratrumque Ordinis vigilantia hæreticorum tenebras colluſtraret.

Ecquodnam ſanctius, generoſiúſue conſilium ſapientiſſimus iſte Rex aſſumere poterat, quam cum in Bleſenſibus Comitiis Hugonotos ad ſuſcipiendam Maiorum Religionem armis adegit, quandoquidem Regis erga ipſos beneuolentia, eorumque ſalutis cura humana comitate nihil euicerant? non hic eius conſtitit zelus, fictæ huius ac vanæ religionis exercitium miniſtros è regno omnes eiiciendo ſuppreſſit, Caluinianiſque populis publico iuſſit edicto, vt ſex infra menſes fidem Catholicam profiterentur, aut Galliæ tam nociuas repudiantis plantas finibus cederent: Cum autem tam ſalutari ad ſanandam phreneſim illam remedio nihil proficeret, imo magis exacerbaret, humana aduerſus errantes nihil proficiente induſtria, Rex armis vota conſociauit, quodque enſis Ioſue beneficio exequi minime potuit, hoc cum Moyſe ſuprà montem Oreb, inter Hur & Aaron ideſt Sacerdotum ac Religioſorum brachia perficere tentauit: Hanc ob cauſam Pœnitentium Confraternitatem inſtituit, cum qua nudis ipſe pedibus, eodemque habitu veſtitus ſolemnes adibat ſupplicationes, peregrinationeſue, ſimulque Pſalmos recitans nulli pietate cedebat: Et ſi Deo annuente R. P. Edmundus Augerius ſanctæ memoriæ Soc. Iesv, qui Regi à Confeſſionibus fuit, rediret ad vitam, quod ad extremum vſque ſpiritum profeſſus eſt, nobis etiamnum declararet, Henricum nempe nihil aliud in conſiliis niſi Catholicæ Fidei incrementa, regnique ſui fœlicitatem ſpectaſſe.

Henricvm IV. in Nauarræis quondam ſpelæis recluſum hæreſis monſtrum in lucem ediderat, diùque in rabido ſinu fotum ſuæ pertinaciæ anteſignanum, columenque deſtinarat; vnde ſi quiſpiam Galliæ Rex poſt Clodouæum pro ſuæ pretio fidei, Henricus certe Magnus noſtram ſibi vendicat admirationem, qui poſt florentem rerum ſuarum citiùs ſtatum, quàm cum fortuna eius conſiliis aduerſaretur

Docto

Doctorum nostrorum præceptis facilem præbuit auditum; Et quamuis naturali quodam debito Hugonotis obstrictus esset, tamen supernaturalem Conuersionis suæ gratiam tanti fecit, vt nihil omnino hubuerit antiquius, quam vt, quos antea erroris magistros, socioſque habuerat, eosdem veritatis lumine collustraret: Quem ob finem multos è Societate IESV Patres ad pertinaciores errorum propugnatrices regni vrbes destinauit, si quo modo possent tandem errantes in Christi caulas oues reducere: Nonnulli tamen vltimum quem parauit exercitum improbare sunt ausi, sed perperàm, vti fidem datæ ab ipso ad Sum. Pont. faciunt litteræ, quibus sua profligandæ hæresis consilia aperuit; Et quod ad Nannetense edictum, quod minus speculatiuorum animos magis abalienauit; certe Reges quæ negare non possunt, sæpe permittunt, nonnulliſque annuunt precibus, quò maiora obtineant.

Eximia tanti Heroïs virtutum decora suum in LVDOVICO XIII. IVSTO locum splendoremque insignibus de Catholicæ Fidei perduellibus reportatis victoriis auxerunt; Ipse nimirum glorioſos Franciæ Monarchas proximis est vestigiis consecutus; nam si Clodouæus Arianos in Aquitania, paganoſque in Germania debellauit, Carolus Magnus Arianos in Lombardia, multoſq; Gentiles in Saxonia, Daniciſque oris confecit, S. Ludouicus in Albigenses, atque Valdenses arma mouit, nec Africæ, Ægyptique infidelibus pepercit: Quid LVDOVICVS XIII. contra Hæreticorum reliquias non molitus, quid non effecit, quominus illos aut meliores faceret, aut pauciores? ô incomparabilis Monarcha! vtinam ego, sicut olim Simon Mathathiæ filius, septem pyramides erigere possem, in quibus patrata à Deo in tuam gratiam miracula resplendere possent insculpa; vnam saltem attollamus, in cuius marmore descriptam Ludouici Iusti palmis, lauriſque in rebelles subditos reportatis onusti effigiem læti atque alacres singuli contemplentur. Lib. 1. Machab. c. 13.

Quis magnum veluti miraculum adeò promptam in Benearnica regione non suspiciat mutationem, coactis ad obsequium populis, restitutiſque Clero debitis honoribus?

Quis clarissimi Franciæ Mareschalli Schombergij prudentiam, animique magitudinem felici armorum exitu illustratam non miretur? sin autem ad Regis castra ante Rupellam ipsa rupe duriorem posita ingrediamur, nunquid Cœlum, aërem, mare, omniaque elementa in Christianissimæ Maiestatis hostes armari conspiciemus? semper enim æque benignum se Francis atque molestum Anglis præbuit cœlum, immissa ventorum rabie, quâ in portum Douerienſem magno cum pudore reiecti: Et quis miretur si Montis Albani, Nemausi, aliarumque Narbonensis Galliæ ciuitatum muri coram Francico illo Iosue concidant? cum pietatem quæ in Iusto Rege semper viguit felicitas comitetur, atque diuinum Numen suæ studiosos gloriæ terrena simul cum cœlesti gloria soleat cumulare.

Nunquid paternæ virtutis degener LVDOVICVS XIV. nostri dignus regni Monarcha, Pater patriæ, bonorum omnium delitiæ, improborum vindex? absit: multi probe norunt, quantas in regio eius pectore Orthodoxa Religio egerit radices, quanto ab Hugonottis odio dissideat, quippe qui perduellibus omnem ad honores clauserit aditum, eorumque Conuentus prohibuerit, grauique edicto cauerit, ne quis è Christianorum castris transfuga, in eorum partibus inposterum recipiatur; Et nuper inito cum Infantissa Hispaniæ germine Connubio, tantam nuptiarum festiuitatem Arausicanæ hæreticorum arcis expugnatione illustrauit.

Denique si Christianissima suæ maiestas tanto Catholicam Fidem studio prosequatur; *Fidem Romanam*, inquit Pius II. Papa, *seruare*, *& Romanam Ecclesiam honestare Francorum Regum proprium est*; Idem vero Pontifex ad Carolum VII. scribens magnifica hæcce protulit verba: *Habitus es, clarissime fili, deuotissimus princeps Fidei, & Religionis nostræ præcipuus; Nec immeritò Christianum nomen egregie à progenitoribus tuis defensum nomen Christianissimi ab illis hæreditarium habes, &c.* Iure igitur meritissimo non solum CHRISTIANISSIMI, verum

In Hist. Tac. de Chiron. c. 95. Epist. 185.

&

& PRIMOGENITI ECCLESIÆ FILII nomine insigniti Francorum Reges, quippe qui gladio Religionis accincti, scutoque Fidei muniti non semel Romanos Pont. à perditorum insidiis, iniuriisve vindicatos, eorumque nequissimis è Sede Romana factionibus deturbatos Petri solio, vti supra vidimus, restituerint, mira item constantia Ecclesiæ iura propugnarint, hæreticam prauitatem totis ad nostra pene sæcula viribus exstirpare non cessarint; quin & pro Catholicæ fidei propugnatione non in Occiduis modò regionibus, sed & in Orientalibus plagis strenue decertarint felici adeo successu, vt Sanctam quandoque Terram Christi sudoribus, ac ipso sanguine rigatam, fœcundatamque de barbarorum manibus eripuerint, quandoque etiam Constantinopolim tanta Religione olim florentem, sed iustissima Dei in perfidos Græcos vindicta, Agarenorum tyrannide subactam, Ecclesiæ Romanæ Imperio subiecerint, quibus tot ad Dei laudem, atque Ecclesiæ haud vnquam intermoriturum decus præclare gestis fidem faciet

SECTIO QVARTA.

Egregia Francorum Regum pro Catholicæ fidei defensione, maiorique Exaltatione facinora.

QVi pietatem cum armis conuenire non posse asserunt, grauiter hallucinantur, alioqui Duces illi Hebræorum Iosue & Gedeon, ipseque Dauid, Mathathias, Constantinus, Carolus Magnus & sexcenti alij quam apud mortales nominis sui memoriam, & quam tandem suæ virtutis laudem mererentur, qui non minori sanctitatis, quam recte factorum gloria floruêre? è contra si germanæ virtutis dotes attente perpendamus, non à Therſitis, sed Herculibus, non à Pigmæis sed ab spiritu & animo Gigantibus virtutis thesauros comparari animaduertemus: Hanc veritatem antiqui sapientes in Heroïbus pro velleris aurei comparatione mille pericula superantibus expressêre; virtutemque in alto montis vertice, aut supra palmarum fasti-

Heſiod. in operib. Euripid. in Heraclidis. Tertull. ad Martyres.

gia collocauêre: *Ante virtutis ianuam*, dixit olim quidam, *Dij ſudores poſuêre*: Et alius Poëta Græcus; *Virtus per labores incedit*; & Magnus ille Africanus, *virtus*, inquit, *duritia exſtruitur, mollitia vero deſtruitur*; Quare ad eius poſſeſſionem generoſis opus conſiliis, Achillis & Argonautarum robore opus eſt, quo qùis dracones ſuffocare, monſtraque per virtutis iter paſſim obuia debellare poſſit: Sin autem veteres illi pro naturali, & morali duntaxat virtute, ferrea exigebant pectora, quonam animi robore Chriſtianæ Philoſophiæ axiomata tanto illis ſuperiora, quantum terræ cœlum ſupereminet, in praxim redigere Chriſtianus quiſque poterit? Cui perfectionis Magiſter intonat, *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

L. 10 de Virginibus. 2. Tuſcul.

Cum autem *fortitudo* teſte Ambroſio, *vim quandam ferocientis virtutis habeat mortiſque contemptum*, Cumque iuxta Romani Oratoris mentem, *viri propria maxime ſit fortitudo, cuius munera duo maxima ſunt mortis doloriſque contemptio*: Huius eximiæ Sapientum doctrinæ Francorum Reges optime gnari, maxima quæque pericula adiêre, tum ſeipſos contra violentos oppugnantium impetus defendendo, tum perditos ganeones contra Religionem, fidemque inſanientes generoſe aggreſſi, non obſcura Chriſtianæ fortitudinis argumenta dedêre: ſupereſt vt ipſorum magnanimitatem, illuſtribus eorum triumphis, triumphos vero reportatis in Dei ac fidei hoſtes victoriis ſpoliiſve demonſtremus; Quod ex ſequentibus Paragraphis clariùs innoteſcet.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Heroïca & Chriſtiana Francorum Primæ & Secundæ ſtirpis magnanimitas in fidei hoſtes.

CLodouæum ſui temporis glorioſum Heroëm inter quoſuis mundi Reges primum pro Dei cauſa, Altariumque Religione arma ſumpſiſſe ſuperiùs magni Annaliſtæ teſtimonio probauimus: Cœlum vero partis ex Alemanniæ,

manniæ, Arianorum, Gothorumque populis palmarum insignibus, eiusdem armorum iustitiam sibi probari ostendit; Hic præclara eius in Alaricum Visigothorum Regem facinora omittimus, quæ suo loco in medium protulimus, in quibus Princeps ille Arianæ sectæ propugnator quantum iuncta fortitudini pietas valeat, suo corporis animæque dispendio intellexit; ecquas duobus illis instructus brachiis in Germania, Narbonensi Gallia, Burgundionumve finibus, palmas Lauroſque non messuit, in quibus pietate ac robore animi semper inuicto de Religionis hostibus triumphauit, nomenque Belligeri sibi comparauit: huius magnanimi Leonis Bassinæ matri in somnis præmonstrati vires sui status nimio Syagrius damno expertus est, quippe quem capta Suessione rugiens Leo in fugam Alaricum versus dederit, eumque ab eodem Gotho auulsum vti paterni regni iniustum vsurpatorem morte mulctarit.

Fortunat. in Epitaph. Dagoberti Regis: Belligeri veniés Clodouæi gente potentis. Aimoinus l. 1. c. 8. & 12.

Enimvero bellicosi huius Leonis digna proles Childebertus sanguinolento Crotildis germanæ sororis in Hispania nuptæ strophiolo generosi adinstar Elephantis iusta inflammatus iracundia, tamque inhumano exhorrescens spectaculo Pyrenæos montes supergressus præcipiti cursu in Amalaricum sororis maritum, Regemque Gothorum insiliit, qui quidem carissimam de cætero coniugem solo Religionis odio tam indignum in morem habuerat: Arianus ordinata deuictus acie, fugam Toletum versus seruandis vitæ ac thesauris arripuit; At Dei, qui Principibus Ecclesiæ iniuriam inferentibus fauere nequaquam potest, singulari prouidentia, cum portas obseratas reperisset, ad vicinam confugiens Ecclesiam, non minorem in ea bonorum quam animæ securitatem reperit, nam Childebertus vibrato in eum, fixoque cominùs lanceæ ictu, confecto infami marito, sororem ex infelici coniuge beatam viduam effecit.

Pace inter Clodouæi filios & Visigothos inita, sub Theudo Amalarici successore bellum recruduit, nam Childebertus eiusque frater Clotharius Reges commistis militum copiis, Pyrenæos montes iterum traiecêre, quo nimiam

Arianæ

Arianæ perfidiæ potentiam minuerent ; vastata igitur campestri plaga Cæsarauguſtam Aragoniæ caput obsidione cinxerunt, verùm tuta sacris S. Vincentij Martyris exuuiis ciuitate, iisdemque ab obsessis dono acceptis, in Gallias ouantes redière : Cum enim magnanimi principes nihil aliud, nisi infidelium ruinam quærerent, mox iter remetiti sacro S. Vincentij tunicæ depositio, quod omnibus Hispaniæ thesauris prætulêre, (de quo nos supra fusiùs) donati ad propria redière : Insignes Caroli Martelli victorias, erectaque ipsius gloriæ trophæa iam recensuimus, quorum beneficio vastas Galliarum prouincias Ariana Saracenorum fæce purgauit ; His vero omissis ad obedientes Secundæ Regum stirpis viros, qui motis Sum. Pont. hortatu, iussuque in Christi ouilis hostes armis victorias cecinêre, orationem conuertimus. Quas & quam nobiles Pipinus, in Volcarum Regione, Auinione, atque in Hispania victorias reportauit, fuit enim ex Regibus obsequẽtissimis vnus, quem inter Gallia iucundi, grauisque odoris lilia enutriuit : Felices ipsius bellorum exitus, quæ contra Vvesphalos, Saxones, Longobardos, Aquitanosque suscepit, ipsius animi magnitudinem, sanctumque virtutis zelum aperte declarant: Ipsius quoque contra Astulphum in Italia & Gaifrum Ecclesiæ hostes victoriæ, illustria sane tanti Principis fortitudinis, felicitatisve sub promptæ obedientiæ vexillo pugnantis argumenta censentur.

Baron. an 542.

Cap. 8.

Dilecti Deo & hominibus Caroli semper Augusti memoria in perpetua erit populorum benedictione, cui Ter Maximi nomen prompta in Sedem Romanam obedientia, atque miranda in Dei & Christiani ritus hostes facinora peperêre : quoties Saracenos, atque infideles Saxonas deuicit ? Octo vicibus iugum excutere conati, octies item Carolus Christi suoque imperio subiecit : Producendus è cœlo æque facundus orator videtur, atque suis præclare gestis Gallicus iste Cæsar famosus exstitit, quò illustres ipsius in Illyricos, Boëmos, Vvandalos Brandeburgenses, Magdeburgenseve, Pomeranicæque ditionis & adiacẽtium expilatores victorias digno lumine illustraret ; Et quid de repor

reportatis ab ipso in Hungaros, Auarræosque Pannoniam, atque Bauariæ partem occupantes palmis non proferrent? Et quæ tandem elogia ob subactos armis Venetos, Bauarique populi reliquias ipsius iustitiæ miraculis comprobatæ non deferrent?

Humana deficeret Eloquentia, si ipsius in expellendo Galliæ finibus Godefrido Normannorum Danorumque Rege, atque ad amplectendam Catholicam fidem coacto feruentis zeli conficere tētaret panegyrim; Ecquis præproperam ipsius in Hadriano Papa aduersus Desiderij Longobardorum Regis violentos impetus vindicando diligentiam verbis exprimere queat? Quas de hoc Rege victorias Apostolicæ Sedis commodo reportauit? Cum quanta gloria Cisalpinam Galliam, Calabriam, totamque Italiam summi Pastoris dominio subiecit? Sed quod nostras qualescumque superat laudes, in his omnibus nonnisi Dei, Sanctæque honorem Ecclesiæ, Sedisque Apostolicæ splendorem, solo vrbium supremo sibi reseruato dominio spectauit.

Porrò tantæ Caroli Magni victoriæ his magni Ecclesiasticæ Historiæ parentis valde notandis laudibus celebrari meruēre: *Videas ex his, Lector, quantum Christianus orbis debeat Carolo Magno, qui solus exundanti ex Oriente in Occidentem torrenti, ne vniuersam obrueret Christianitatem, obicem se opposuit validissimum:* Sed qua ratione tantarum inundationum impetum sustinuit, propulsauitque? Inuicto orationis obice ac propugnaculo, siquidem solemnibus Litaniis ac supplicationibus sibi militibusque diuinam conciliauit gratiam: *potens* quippe inquit Chrysostomus, *munimentum Oratio*, quæ multis armatorum millionibus æque ac vni armis destituto resistit; vti in Dauide Philistinum gigantem oratione potiùs quam funda prosternente innotuit; Cum hoc aureo Orationis gladio Carolus opportunas Constantinopolitano Imp. Constantino I V. contra Sarracenos, qui ipsum Syria expulerant, tulit suppetias; in Asiam vsque penetrauit, vti fidem faciunt probati authores, vbi Hierusalem cepit, ac Christianismum in ea stabiliuit.

Baron *Ann.* 790.

Nicol. Gille in Annal. Frāc. an. 809. Don. Acciaiol. Rob. Gaguin; Henr. Mutius, Radulph. Io. Fr. Le petit, & alij.

Possem hic fusius Gallæciæ Caroli potentia, expressoque

S. Iacobi monito ſubactæ hiſtoriam pertexere, ſed timeo ſæculi noſtri cenſuram, cuius ſeuerioribus Ariſtarchis viſiones nimium ſuſpectæ, necnon miracula maturo ac ſerio examine ponderanda videntur: Et niſi complures Hiſtorici collectas à Carolo Magno de Aigolante Rege Africano immortales lauros prolixiori ſtylo deſcripſiſſent, longiorem ego ſeriem ſcribendo conficerem; barbarum duntaxat hunc regem variis à Carolo prœliis deuictum, ac promiſſi de ſuſcipiendo baptiſmate dati fide deſciſcentem, in Pampilonenſibus campis proſtratum, gladioque tracidatum narraſſe ſufficiet.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Sacra Francorum tertiæ Regum ſtirpis, & aliorum Heroum contra Orientales Sarracenos bella.

VEtus eſt conſuetudo in Crucibus ſuper altaria poſitis lilij florem depingere, cum Luſitanica teſtetur hiſtoria prope Meliaporam S. Thomæ Apoſtoli corpus repertum, & ſimul lapideam Crucem, quæ columbam in vertice gerens, extremis brachiis lilia inſculpta præferebat: Sed quid lilia noſtræ militiæ ſigni extremis appoſita portendebant? nihil aliud meo quidem iudicio, niſi quod Galli lilij flore expreſſi apud barbaras nationes ſanctæ Crucis vexillum erant defixuri: Nam, vt cum Belgico Mercurio loquamur, *Francorum in Oriente arma contra Turcas, in Meridie contra Africanos & Arabes, in Septentrione contra Huſsitas & Normannos, & domi contra Albigenſes cognita:* Sed ampliùs dicere non verebor, nempe quod Franci ad tollendas in Europa Idololatriæ reliquias, dæmonemque ex antiqua ſtatione pellendum in Cœlo prædeſtinati videantur: Primæ ſtirpis Reges prodigioſum Attilæ ſaxa in homines commutare viſi exercitum in Catalaunicis diſſipatum campis pene ad nihilum redegêre: Secundæ vero ſtirpis Monarchæ Paganiſmum inter Saxonas extremos dare halitus coëgêre, neque vllo vnquam pacto permiſêre, quominus

Ann. 1548.

minus maiores impiorum tyrannidi, quam sacrosanctæ Cruci imperio accessiones fierent.

Sin autem Franciam nostram in armis florentem aueamus intueri, sub tertiæ Regum stirpis regno contemplanda, dum in Orientalibus plagis tot Turcarum capita sub diuinæ iustitiæ gladio ruentia demetit digna prorsus admiratione, dum Idumæas generose palmas legit, proprioque sparsas sanguine altiùs extollit; videnda in Hierusalem pacis visione triumphans, cuius possessio multorum præliorum cruore acquisita, caro ipsi constitit pretio; in Constantinopolitanæ tandem vrbis theatro conspicienda, in quo eius præclare facta omnem supergressa admirationem, æternis insculpta Fastis nunquam peribunt.

Quæ porrò vitæ discrimina postremæ Reges prosapiæ non domuêre, vt sacrosanctum Crucis vexillum tot barbarorum impietate auulsum dissipatumque nouo ac generoso conatu in illis partibus erigerent? inhumana Turcorum in Orientales Christianos agendi ratio, ferinaq; prorsus barbaries primo tandem sacro bello occasionem subministrauit; qua quidem ad Vrbanum II. Pontificem Max. Petri Ambianensis, vitæ sanctæ ac solitariæ fama conspicui testimonio relata, extemplò sollicitus Pastor Concilium Claromonti in Aruernia 310. Prælatorum conuocauit, cuius mandato publicata ad Terræ Sanctæ recuperandam possessionem Cruciata (sic autem exercitus Christianorum vocatus fuit, quod nempe singuli milites Pontificis iussu super humerum Crucem, in pietatis signum ferrent) breui numerosa nobilium ac præcipue Gallorum conuenit multitudo, inter quos Hugo Philippi I. Regis frater, Godefridusque Bullonius Eustachij Bononiæ Comitis filius cum magno nobilium numero emicuêre.

1. Bellum sacrum Vrb. II. iussu à Philipp. I. Franc. Rege indictum.

Cum præcipiti cursu in Orientales penetrassent regiones, præcipuis armorum vi subactis vrbibus Solimanum quater centum & sexaginta millium armatorum exercitu stipatum generosos Christianorum conatus eneruare ten-

tantem in fugam vertêre, quinquaginta millibus internecione deletis: Expugnata inſuper Antiochia, fractiſque per viam Sarracenis ad Beroëam vſque Syriæ penetrarunt, totaque circum regione eorum armis cedente, Hieruſalem votorum ſummam poſt triginta & octo dierum obſidionem ad promptam deditionem coëgêre, tumque facta ad arcis oppugnationem eruptione, ablegatis præſidiariis vitam & ſarcinas condonarunt: Ad conſeruandum tantæ gloriæ imperium, eligendus princeps aliquis ſummus viſus, quo omnis importunæ ambitionis materies præcideretur; penſatis ſingulorum meritis, Godefridi Bullonij ſupereminens virtus in ſe omnium corda oculoſve allexit; ipſe memorando Chriſtianæ humilitatis exemplo auream in ea vrbe coronam deferre abnuit, vbi ſapientum Magiſter Regum ſpineam terreno cuiuis diademati coronam præ-tulerat.

Ann. 1142. II. Bellum ſacrum ſub Ludou. VII. Gall. Rege.

Inconditi Chriſtianorum Palæſtinæ, infidelium iugo oppreſſorum clamores ſub Ludouico VII. ſecundum bellum ſacrum accendêre; Rex ipſe cum vxore Eleonora Cruceſignatus multos ſuo exemplo tum Eccleſiaſticos tum ſæculares primæ nobilitatis viros ad tam ſanctum opus permouit, ipſumque Conradum Imp. attraxit, qui 70. millium agmen coëgit; Sed quam infirma omnis humana potentia, cui diuina non dat manum: nam potentiſſimi exercitus crimina diuinum Omnipotentis brachium ſubduxêre, Thimantis potiùs velo duorum exercituum obducenda calamitas, quam in veritatis damnum iniuriamve diſſimulanda; Negari tamen non poteſt ad Meandri fluminis ripas à Ludouico VII. diſſipatas Sarracenorum acies fuſaſque; Cumque Imperator, vna cum Chriſtianiſſimo Rege Damaſcum obſediſſet, Syriacorum inuidia Chriſtianorum illius triumphi gloriam vtrique rapuit, vnde relictis tot meritorum ingratis, ad propria redire cogitarunt.

III. Bellum ſacrum ſub Philippo II. Adeodato Gall. Rege.

Sub Saladino Sultano Ægypti ac Syriæ Rege Sacrum tertiò bellum inſtauratum; capta enim ab hoc barbaro ſancta Hieruſalem ciuitate, pluribuſque aliis Syriæ vrbibus

Philip

Philippus II. Adeodatus tantum de illa expugnatione dolorem concepit, vt conceptum, Orientalibus Christianis auxiliatricem manum præbendo, votum exoluere statuerit; quare ante discessum implorato SS. Dionysij & sociorum, vt moris erat, auxilio, postque fusas ad Deum cum lachrymis preces accepto de manu Guilelmi Remensis Archiepiscopi auunculi sui A.S.L. peregrinationis baculo, felici versus Syriam cursu nauigauit, portumque ad Acram vnius anni obsidione iam à Guidone Hierosolymorum Rege citra omnem expugnationis spem fatigatam tenuit, quam generoso aggressus impetu, ad deditionem coëgit; verum duplici confestim infortunio armorum ipsius felicitas turbata, sanguinis nempe fluxu, qui Regem ipsum cum sociis vexauit, Regis item Angli pertinacia, quæ augescens in dies ad reditum potius in Gallias, quam ad conserendas Christiani populi scandalo manus adegit.

Quando Mars & Mercurius prœliorum Dij simul in vno regno conueniunt, nonnisi magnos Duces, bellique fulmina imperiorum polos commotura ab illo credendum oritura: Hos ambos Gallia genios, magni Doctoris Hieronymi testimonio, in sinu curiose fouit, si quidem *viris*, ait, *semper fortissimis & eloquentissimis abundauit*: Hæc veritas deinceps patebit, Francos quippe suis egregiis facinoribus, quarti Belli sacri occasione Constantinopolim, ipsa stupente natura, iterum dominio liliorum subiecisse videbimus. Contra Vigilantium.

Hoc autem bellum ad feruentem Innocentij III. Pont. Max. instantiam suscitatum, qui boni adinstar Pastoris, ob Syriacarum ouium calamitates magno affectus dolore, Occidentales Monarchas Franciæ & Angliæ potissimùm Reges ad ferendam Syriacis fratribus opem concitauit: Cœlestis hæc tuba Franciam continuò armauit, inprimis zelosissimos quosque, qui huic Cruciatæ Theobaldum Campaniæ Comitem præfecére, cui mors inopina colligendas in Orinte lauros eripuit, sed Bonifacius Montis-Ferrati Marchio, eius præfecturæ successor omnem de Theobaldi virtute conceptam spem suscitauit. IV. Bellum sacrum pro recuperatione terræ sanctæ sub Innoc. III. PP. eodemq; Philippo II. Gall. Rege.

Francos interim à Venetis in domandis Iedrienſibus ſeu Zarienſibus Illyrici populis detentos Alexius Iſaaci Cõmeni legitimi Imp. ab Angelo fratre è throno deiecti, excœcatiue filius è Tyranni Patrui manibus elapſus adiuit vltimum in deſperatis rebus aſylum, quibuſcum ita prudenter egit, vt ipſi patrem in regni poſſeſſionem reſtituendum promiſerint, ea conditione, quod ipſis certam commeatus bellique machinarum copiam, cum quinquaginta triremibus ad Terræ Sanctæ iter ſuppeditaret, atque præ omnibus aliis Eccleſiæ Græcæ cum Latina vnionem procuraret.

Promiſſis Galli neutiquàm defuêre, nam inſolito prorſus conatu cum duobus peditum millibus, & quingentis Equitibus Conſtantinopolim Orientalem alteram Romam obſedêre; poſt multos ſanguineos conflictus rupta, quæ portum claudebat, catena, concuſſam arietibus vrbem mœnibus ſpoliauêre, atque in eam aperta vi intrauêre: Hac potiſſimum die laus à Iulio Cæſare Gallorum fortitudini exhibita, ſi vnquam aliàs veritatem aperte ſortita, *Gallorum armato* nimirum *conſilio ne orbem quidem terræ poſſe obſiſtere:* Iſaacus in imperio reſtitutus fidem fefellit, nam Francicas in prouincia copias reliquis expugnandis vrbibus intentas promiſſo fruſtratas ſubſidio perdere tentauit, ſed perfidorum iuſtus Vindex Græcorum, eum funeſtæ paulò ante Conſtantinopolis Tragœdiæ à Gallis expilatæ auctorem à ſubditis de medio tolli permiſit.

Li. 6. de Bello Gallico.

Alexio autem Duca cognomine Marzuflo in Imp. proclamato, cum Franci tantam æquo animo fraudem iniuriamque ferre non poſſent, agros vaſtarunt, cæde, flammiſque omnia deleuêre, explicatis ſignis, ordinataque ad pugnam militum acie, tam generoſo animo, tamque felici ſucceſſu magnam illam vrbem inuasêre, vt ſecunda aggreſſione eam ſuæ potentiæ ſubiecerint: Fatendũ ſane ab omni æuo è Galliæ ſinu magnanimos Hercules prodiiſſe, Græcoſue ac Romanos potuiſſe sẽper aſſerere, quod longe antea pronuntiarant, *Francum amicum habeas, vicinum ne habeas:* Nam in hoc conflictu contra militem vnum aggreſſorem viginti ciues pugnauêre: Sed *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra*

Pſalm 126.

ſtra vigilat, qui cuſtodit eã: Et ſic expugnatæ ſemel atque iterum Conſtantinopolis Balduinum Flandriæ Comitem Regem crearunt, ipſe namque ad imperia natus, orbem vniuerſum ad eius ſociorumque triumphos conſpirantem ſui nominis fama compleuit; Et quamuis populo æque rebelli atque fraudulento dominarentur, nihilominùs ipſum quinquaginta quinque annorum ſpatio ſuis parentem imperiis tenuêre.

V. Bellum ſacrum in Conc. Generali Lateran. ab Eod. Innocent. III. decretum.

Enimvero Pius II. Pontif. Max. vere de Gallis Regibus aſſerit, illorum eſſe proprium contra Turcas pugnare, eoſdem vincere, Terramque ſanctam recuperare, Eccleſiam denique Romanam illuſtrare, fidemque Catholicam conſeruare; non minorem ſane laudem in quinta ad bellum ſacrum Cruciata meriti: Huius porrò belli ſacri claſſicum cecinit ipſe Innocentius III. Pont. Max. in Oecumenico Lateranenſi Concilio, ad quod 412. Epiſcopi conuenêre, in quo habita ab eodem Pontifice pathetica oratione, adhibitis Ieremiæ Lamentis: *Quomodo ſedet ſola Hieruſalem ciuitas plena populo, &c.* Omnium adſtantium lachrymas ciuit: Federicus II. Imp. Crucis teſſeram inter primos ſumpſit, à quo itinere alia ipſum negotia deterruêre; Ex Gallia profecti Remenſis, Andegauenſis, atque Lemouicenſis Epiſcopi, Gualterus Franciæ Camerárius, Niuernenſis, Barri, & Marchiæ Comites, qui omnes in Acram ciuitatem appulêre, circumobſeſſum Peluſium cepêre, copiaſque Sultani deleuêre, multaque alia fortitudinis inſignia edidêre, quæ apud Hiſtoricos fuſiùs deſcripta habentur: Quæ tamen exundantibus in eorum caſtra ad Memphefinæ vrbis muros poſita vnius cubiti altitudine Nili vorticibus paululùm refrixêre, donec magnanimi S. Ludouici eximia virtus acriùs in Oriente bellum accendit, vti modo in ſequenti Heroïcarum ipſius actionum Catalogo ſuprà omnium ſui ſæculi Principum facinora emicabit: ad cuius explicationem

PARA

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Prima S. LVDOVICI in Orientem profectio, eiuſque præclara aduerſus Ægypti Sarracenos facinora.

Lib. 1. offic. c. 25.

VErè dixit Ambroſius; *Fortitudo ſine iuſtitia iniquitatis materia eſt:* Hanc Carolus VII. ſapiens dictus veritatem pulchro expreſſit Symbolo, in quo Solem Lunamque ſuprà nudum enſem depinxit, cum hac Epigraphe: *Recte & fortiter*; Fortitudo in enſe, & virtus per illa duo cœli lumina deſignabatur, quæ in proſperis nos rebus dirigere, & in aduerſitatum tenebris illuſtrare ſolent; adeò vt generoſus quidam animus ſpecioſum omnibus abſolutæ numeris præmium fortitudinis ſibi iure vendicet, qui pro duce prudentiam, pro magiſtra rationem, pro lampade pietatem in omnibus ſumit conſiliis.

Iacob. Typot. in ſymbolis Reg. & Imp.

Talis fuit S. Ludouici inuictus animus, qui vigeſimo regni ſui anno cum deſperatam penitùs Orientalium Chriſtianorum conditionem audiuiſſet, ſuæ magnanimitati, simùl & ſanctis in periculoſi morbi languoribus (de quo nos ſuprà) inflammatis pro ſacrâ militia ardoribus facere ſatis decreuit: *Ex tunc mirantibus cunctis cœpit* (vt ait Godefridus) *quantum poterat expenſas reſtringere domus ſuæ: Crucem aſſumpturus conuocauit Pariſiis Prælatorum, Principum, Baronum, ac militum, cæterorumque hominum multitudinem copioſam, quibus congregatis in vnum, Domino Legato præſente, ipſemet Rex Catholicus coram cunctis qui aderant exhortationem fecit efficacem, & plurimum glorioſam, &c.*

Cap. 1.

In vita S. Ludou. c. 37.

Delato autem ab ipſis Regni Comitiis ex prima eius adminiſtratione rectè augurantibus Reginæ Blancæ gubernaculo, S. Ludouicus Crucem ſumpſit, Margaritam vxorem, duoſque fratres Alphonſum Pictauorum & Toloſatum, Robertumque Arteſij Comites ſecum duxit, multoſque primæ nobilitatis viros regiæ fortunæ ſocios, qui magno ducebant honori, glorioſum in ſuis pro Dei atque Eccleſiæ gloria

gloria recte factis tumulum reperirent, illucque sanctæ Religionis victimæ mactarentur, vbi mors per Christi mortem debilitata ac penitus deuicta fuerat: Blanca Regina filium Lugdunum, aut, vt alij scribunt, Masiliam vsque comitata suis itinera consperfit lachrymis, aëremque compleuit suspiriis, adeo hæc corporum diuisio matris cruciabat animum: effusæ ab ipsa huius profectionis acerbitati amoris plusquam materni lachrymæ in atramentum forent commutandæ, quo tenuioribus licet characteribus amantissimi filij valedicentis matri suspiria, incredibilisue matris suprema filij verba excipientis dolor pingeretur, (hæc autem nos superiùs vtcumque exprimere conati sumus.) Ibid.

Accepta ergo Innocentij Pont. Max. tunc Lugduni agentis benedictione sanctus è portu soluit, ac deinde fœlici cursu Cyprum insulam attigit, vnde soluens in Pelusij dicti olim Heliopolis vtpote Regi astrorum dicati conspectu classem ordinauit; ac præeunte S. Dionysij vexillo magnanimus Heros, vt suis animos daret, stricto in manu gladio primus in mare scapulas adusque exiliit, atque vbi littus tetigit, inimicum aggreditur, ferit, cædit, quoscumque obuios prosternit, tot ictus tot funera; nunquam Aquilo aut fulmen tot arbores, domos, ac turres deiecit, quot regius hic ensis infideles armorum suorum gloriæ victimas parauit; vnde Sarracenorum acies, vel fusæ penitùs, vel in fugam conuersæ, Christianique principes elapsis per noctem ex nimio metu præsidiariis militibus ciuitate potiti, in eam cum canticis ordinata veluti eucharistica supplicatione ingressi Deo triumphatori, qui Pelusiacos perdiderat Ægyptios, immortales egere gratias. *Ann.* 1248. 25. Aug.

Atque vtinam Christiani proceres optimum S. Ludouici consilium, quo suos ad promptam Mempheos totius Ægypti capitis obsidionem hortabatur, sequuti fuissent; Hac enim subiecta Ægypti Metropoli nihil à cæteris regni arcibus periculi imminebat, quod autem Metellus Romanæ vrbi nimium inconsideratè suorum prosperitatis armorum delitiis frui optanti prædixit, hoc ipsum Francico exercitui

contigit; nam Chriſtiani milites cum ſua moderate vti victoria deberent, eiuſqus auctori Deo laudes referre, in omnem laxis habenis libidinem effuſi iuſtam Dei vindictam in ſe tandem concitauêre.

Sanctus porrò Rex nihil de ſua remittens pietate, immoderatos bacchantium militum motus quantum poterat verbo, diuinæque exemplo vitæ compeſcens, ſocios tam efficaci verborum pondere, ad comprimendas Sarracenorum de nouo irruentium aggreſſiones incitauit, vt Francici leones rugitu ſuo tremefactum ac prorſus exanimatum hoſtilem exercitum necato ipſo duce Sceceduno diſſiparit: Non quieuit diu veſana Turcorum pertinacia, collectis nempe viribus ad iterandum cum Chriſtianis prœlium redeunt alacres, incondita ſuorum multitudine Chriſti pugiles ſe oppreſſuros male opinantur; nam inuictus Francorum animus igneis ſancti Monarchæ exemplis augeſcens, inanes Sarracenorum petulantium inſultationes contempſit; inſtructoque in ſeptem acies exercitu, datoque ad prœlium ſigno commixtis vtrimque agminibus cruento admodum Marte diu pugnarunt, adeo vt anceps multis horis victoria modo in vnam, modò in alteram partem inclinaret, tres ſepoſitæ ad quemuis euentum acies à S. Rege in hoſtes immiſſæ non ſolum violentos quoſque Turcarum impetus ſuſtinuêre, ſed & adeò generosè confuſam militum turbam propulſauêre, vt ſanguinea cæſorum hoſtium clade vicinos campos ſtrauerint; vnde S. Ludouicum adhuc vigentem ſanumque contra falſam ſui Ducis de eius morte aſſertionem ſuo damno didicêre.

Tam inſigni parta de hoſtibus victoria Rex Barones, Equites, alioſque Nobiles conuocauit, quos ad digna eius auctori reddendas grates eleganti ſermone eſt adhortatus; ſed ô non ferendum ingrati animi vitium! victoriæ occaſione crimina pro meritis, & quidem atrocia ſupremo Benefactori reddidêre; quapropter diuinum Numen eximius morborum animi Æſculapius, qui eorumdem remedium probe nouit, tantæ collirium vexationis cæcitati applicuit, quo ingratorum oculos calamitas aperiret, quos proſpera

belli

belli fortuna debito clauſerat officio: peſtilens itaque morbus totum inuaſit exercitum, qui corrupto penitus ſanguine, exeſiſve carnibus ſpirantia cadauera de medio breui ſuſtulit; qua tam inſigni Chriſtianorum calamitate Agarenus rabida eorum ſanguinis incenſus ſiti, in morbidas exercitus reliquias nouis inſiliens viribus, ſanctum Regem animo quidem viuidum, ſed nimia corporis infirmitate fatiſcentem, omnique ſolatio deſtitutum in Chriſtiano Caſſellæ oppido cepêre: Romani certe tanta nunquam voluptate viuum Macedoniæ Regem in triumpho oſtentarunt, quanta iniquiſſimi iure belli primum Chriſtiani populi Regem ſemimortuum lætitia in captiuum ſumpsêre.

Sed ad huius funeſti caſus deſcriptionem contremiſcit manus, caligant oculi, animus deficit, vitales diſſipantur ſpiritus, ſuumque tam calamitoſi ſpectaculi memoriæ denegant vſum; In tam funeſta regiæ fortitudinis Cataſtrophe littera Acone ſancti Regis iuſſu ad ſubditos de ſua captiuitate, ac liberatione ſcripta intimus animi mei tanquam Agamemnonis in Iphigeniæ iactura velo obducendus dolor, cuius litteræ perlectio, non modo Lectoris ciebit lachrymas, ſed & æqualem imo maiorem in eius animo pariet ægritudinem: Hanc vero ex regiis archiuis decerptam apud Gallicos authores fuſe deſcriptam reperiet:

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Secunda S. LVDOVICI contra Africæ infideles expeditio, ac glorioſæ de hoſtibus palmæ pretioſa morte coronatæ.

SI vera eſt Euſebij ſententia, qua *corpus otio, animum vero incuria tabefieri* aſſeruit, æque verum eſt aſſiduo labore, aduerſæque procellis fortunæ virtutem augeſcere, immortalemque effici: *Virtus*, inquiebat Tertullianus, *duritia extruitur, mollitia vero deſtruitur*: Huius ſententiæ veritatem magnanimus Rex S. Ludouicus propria comprobauit experientia, qui tanto ampliùs ſuprà ſe animi ſui magni

Ad Martyres

gnitudinem extulit, quo magis ſub hoſtium furore attritus iacuit; quantò acerbiùs Saracenorum importunis laceſſitur aggreſſionibus, tanto ſplendidiores eius virtus immittit radios, quo denique turbulentioribus aduerſitatum procellis iactatur, eo audaciùs in Aquilonares calamitatum ventos inſurgit, obuiámque procedit.

Poſt tot ægritudines, tot ſolutos pro libertate nummos, tot exantlatos pro Catholica fide labores, ipſe Hercules, toraque Gigantum turba caderet animo, ipſe vero vegetior exurrexit, petramque Gagatem æmulari viſus, quæ in aqua accenditur, in oleo autem extinguitur: Hoc in littera, dequa nos in ſuperioris paragraphi fine, declarauit, vbi pro tot calamitatum clauſula, omnes ad mutuam armorum coniunctionem inuitat, quibus noſtræ hoſtium religionis inſolentia reprimatur: Poſt ſuum in Franciam reditum, vbi negotia regni ſui compoſuit, ſuas in Africam cogitationes direxit, rurſus ſonoro tympani cantu militem ad Mahometiſmi ruinam conſcripſit: Primus teſſerariam ſacræ militiæ Crucem aſſumpſit, eius exemplo filij, multique alij nobiles, quorum & aliorum militum numerus ad 4000. pugnatorum peruenit; relicta vero Simonis Noëlij atque Matthæi Vindocinenſis prudentiæ totius regni adminiſtratione, nauem apud Aquas mortuas conſcendit, ſed claſſe mox importunæ tempeſtatis quaſſata procellis in Sardiniam ægre appulſus, inde Carthaginem veteris ruina nobilem peruenit.

Plinius l. 36. c. 19.

Cum autem Mauri Chriſtianorum magis cohortem, quam Africæ monſtra formidarent, maris littus obſedêre, quo ipſorum in terram deſcenſum impedirent; acriùs vtrimque pugnatum, quædam Chriſtianorum naues colliſæ, fluctibuſve abſorptæ, cæteris nequaquam ſociis vires minuêre; Magnanimus quippe Rex verbo & exemplo tales addidit animos, vt portu confeſtim potiti ad Carthaginis obſidionem conuolantes, barbarorum generoſe obſiſtentium pertinaciam ordinata in campis acie contuderint, atque horrenda miſerorum ſtrage omnem circum regionem compleuerint; Naualis interim exercitus repentino vrbem impe

impetu aggressus, summa vi arce potitus Africanorum ita fregit vires, vt nonnisi fugam meditarentur, sed obstruso quouis fugæ aditu, cæsi fere omnes, nisi Regis temperans & benigna magnitudo animi ponentibus arma dari vitam inclamasset.

Non quieuit inuictus Francorum ardor, donec Tunetum Africani regni caput suis parens nutibus expugnaret, itaque prostratis decem millibus barbarorum primariæ ciuitatis direpiionem impedire conantibus, positisque ad vrbis obsidionem castris, est omni terra marique subsidiorum spe frustrata, post sex mensesdum de conditionibus dedendæ vrbis ageretur, multorum Christianorum crimina pestilenti sua contagione aërem infecêre, quæ in Ioannis cognomento Tristandi S. Ludouici filij tentorium prorepens, vitam ipsi eripuit, pauciſque post diebus sancti Regis Papilionem ingressa Heroëm vicit, ac prostrauit, diuinum cuius vultum ipsa mortis facies in tot armorum periculis eius obiecta conspectui, totque militum ad eius pedes occumbentium funera ne minimo vnquam pallore obduxerant.

O funestam diem, quæ primæuæ pietatis restauratorem Africæ surripuit! ô crudelem horam, quæ in ipsa meridie splendidissimum orbis solem tenebris obduxit! infelix Francia, quos non emittes singultus, quando tuam omnem cum Rege tuo felicitatem excidisse intelliges? Desolata Regina, quis vestrarum fluenta lachrymarũ in tantis ærumnis siccare poterit! Infortunati nobiles, ac lugendi Equites quis dignam in acerbo non Regis superbe dominantis, sed Patris omnium optimi funere vobis consolationem suppeditare poterit? Non Galli Principes, manus ipsos ad tergendas deficiunt lachrymas, pectoraque, è quibus condigna dolori exerant suspiria, oraque quibus de illa implacabili totius humani generis lethea mactatrice, quæ non maiorem sceptris quam pastorum pedis, nec virtuti quam vitiis honorem defert: ô deplorandum nuntium! quo primum sui sæculi Regem fato cessisse asseritur, magnitudinem animi cum S. Ludouico penitùs excisam, nostram omnem lætitiam cum omni spe euanuisse, cordisque nostri cor de-

feciſſe, cum cecidit totiùs exercitus vita, ſaluſque.

Obiit ergo magnus ille Monarcha, obiit magnus ille Heros, obiit Sanctus Rex, ſed quid mortuum dico, minime verò: Qui enim virtutum ſuarum radiis auream dabat toti regno faciem, nunc gloriæ ſuæ luminibus cœleſte irradiat regnum; hîc in terris non ampliùs ex illatarum diuino Numini iniuriarum dolore contabeſcens moritur; viuit, viuit nunc beatus, pacifice regnat, gloria circumdatus triumphat, æternis paſcitur delitiis, atque thronum Dei circum canticis Seraphinorum oblectatur: O Francia cui ſanctus iſte Rex præ cæteris in amoribus fuit atque delitiis, eius memoriæ facis iniuriam, ſi vt extremo tuo de illius obitu deſiderio ſatisfacias, de ipſius æterna minimè gaudeas felicitate: Afflicti Equites, deſperatique milites, ſi minor vos teneret languor, debitam non pareret in tanto caſu triſtitiam; verùm ne in tantis rerum anguſtiis veſtrum deficere animum permittatis; obiit quidem S. Ludouicus, cœleſte iſtud lilium exaruit, ſed præ noſtris duntaxat oculis, nam ſuprà aſtrorum lumen in Dei præſentia refulget: diuinum hocce lilium non ampliùs ſuo noſtros odore ſenſus recreat, ſed cœleſtibus miræ ſanctitatis animas perfundit aromatibus, Beatas militantis ſimùl & triumphantis Eccleſiæ mentes in æternum lætificaturis.

Hoc loco maleuolorum hominum calumniæ aduerſus immortalem S. Ludouici memoriam petulanti nimium ore prolatæ nobis diluendæ occurrunt; verum præter quàm quod bene cum Regibus nullum alium iudicem in terris præter Cœli Deum habentibus agitur, virtus boni nequaquã valoris cenſeretur, niſi in ardente iniuriarũ opprobriorumue fornace excoqueretur, quem vitioſi vtplurimùm accendunt, calumniaq; flammas ipſam purgantes quidem, ſed nunquam conſumentes ſubminiſtrat, grauiſſimas ſane prudentiſſimorum S. Ludouici in ſacro bello ſemel iterumque mouendo conſiliorum rationes in medium adducere poſſemus, quas apud grauiſſimos Sancti Regis laudum præcones, & recentiores præſertim hiſtoriæ noſtræ ſcriptores deuotus quiſque noſtrorum Regum ornamenti paſſim reperiet.

Hi

Hi profectò Christianissimorum Regum in promouenda apud infideles religione conatus, diuinique ardores, & continui pro dilatanda fide labores eumdem nobis, Deo auspice, polliceri videntur exitum, quem sanctissimus Rex Ludouicus de numerosa ad Christianam traductorum in Syria fidem multitudine cœlo terraque plaudentibus reportauit; vnde meritò Parisius: *Hæc fuit eorum causa conuersionis; viderant maximam Regis in aduersitate patientiam, in proposito inflexibilem constantiam: Cæterum considerabant, quod pro amore Domini Dei sui* IESV *Christi dulce regnum Franciæ deseruerat, se maris, ventorum, & bellorum, & alienorum, ac remotorum regnorum periculis & bellorum expositurus, & pro animabus infidelium lucrandis omnem operam impensurus, &c.* *Ann.1254.*

PARAGRAPHVS QVINTVS.

Philippi Audacis, Philippi Pulchri, Philippi Valesij, Ioannis, & aliorum tertiæ stirpis Regum pro sanctæ eiusdem terræ recuperatione glorioſi conatus.

NVnquam meliùs, quàm in Philippi III. verè Audacis S. Ludouici virtutum heredis animo magnanimitas & fortuna conuenêre, qui viuente adhuc sancto parente, ac post ipsius obitum insignia generosi animi tam in Africa, quam in Galliis dedit argumenta: quamobrem suo depictam Lemmate in Cœlo Lunulam præferebat, cum hac hypographe DVM VIXI, qua se, dum vixit, pro amplificanda Numinis fortunæque suæ gloria sedulò laborasse testaretur: Et sanè adeò vehementi sacra è Saracenorum manibus loca eripiendi incensus fuit desiderio, vt à Gregorio IV. Pontifice ad quem pro huiusmodi expeditione Legationem direxerat, sit eam differre persuasus, vt maiori coaceruato exercitu glorioſiorem, certioremque de hostibus victoriam reportaret. *Annal. Eccl. Ann.1272.*

Hinc

Hinc est quod Ioannes XXI. Gallicani Cleri Præsulibus scribens, vt piissimi istius Regis exemplum imitarentur, opemque præberent, pluribus monuit: *Considerantes*, inquit, *feruentis Charissimi in Christo filij nostri Philippi Regis Francorum illustris deuotionis affectum, quam ad terram sanctam ipsum habere manifestis indiciis profitetur, quodque mundi huius delitiosis otiis, quibus affluere posset Excellentia Regia, vilipensis, sponte seipsum abnegans, vinificæ Crucis assumpto signaculo ipsius terræ negotium contra Christiani nominis æmulos magnanimiter assumpsit, &c. ea propter vt idem Rex negotium illud animosius prosequatur, vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus Crucesignatos laicos ciuitatum vestrarum, qui tempore passagij generalis in subsidium terræ sanctæ votum Domino non reddentes neglexerunt iuxta emissum votum, &c. nullatenus defendatis, &c.*

Quia vero nouæ inter ipsum Philippum, & Alfonsum Castellæ Legionisque Regem exortæ dissensiones, ab assumendis in Asiaticos Saracenos armis eum retardabant, ipse Pontifex Regis iram datis litteris mitigare conatus, proposuitque longe maiora ipsum spectare: *Profecto in auditu* (aiebat Pontifex) *rumoris huiusmodi vehementer indoluit Romana* Ann. 1276. *Mater Ecclesia, dum tam fideles filios, tam deuotos, quos optat ardentius solidæ charitatis glutino copulari, sentit in vtero collidentes, dum Reges tam inclytos, quos fidei Christianæ Religio semper & promotores habuit, & suorum hostium repressores, in tam graui discordia positos intuetur.*

Liceat hic ingentis lætitiæ grata edere argumenta, quod nimirum ambo Reges recentis huius concordiæ nexu simùl copulati vires suas superioribus annis aliò distractas, tam contra teterrimos orthodoxæ Religionis hostes conuertere poterunt; longe meliora nobis affulgent tempora, quam illa, in quibus idem summus Ecclesiæ Hierarcha iuste querebatur his verbis: *Re vera & nos in stupore deducimur, & non possunt mentes fidelium non mirari, dum tam Catholicorum Regum molimina in blasphemos Christi dirigi consueta, in redemptos Christi sanguine præparantur, dum principes tanta consanguinitate coniuncti,*

qui

qui deberent se potius mutuis fulcire præsidiis, fauoribus confouere, sic noscuntur ad inuicem aduersari: Quæ igitur meritò sanctissimus Pater olim deplorabat ob natas ambos inter Reges discordias, in præsenti mutuæ huius necessitudinis inter eosdem initæ gaudio noua nobis pariunt felicitatis incrementa.

Proh qualem & quantum confœderatæ istorum Principum, quos immensæ orbis machinæ axes verè dixeris, copiæ infidelibus terrorem, qualem perduellibus infensis fidei hostibus incutiunt formidinem! Sed quid timore trepidatis miseri, vbi non est timor? falsa quadam obcœcatæ mentis persuasione impendentem vestris ceruicibus fingitis ruinam, cum numquam propiùs temporalis simùl & æternæ felicitatis cumulus vestris fuerit in ianuis; Non vestras, mihi credite, facultates, non quascumque tandem opes quærunt conjurati ad vestram incolumitatem Christianorum cunei, non vestris inhiant bonis Catholici principes, ecquid enim illis indigeant, in tanta rerum omnium, quibus affluunt, copia? vestrarum sitiunt animarum salutem, pro cuius securitate sanguinem fundere glorioſum sibi semper fore arbitrantur; aperite, quæso, tandem oculos lumini, sub piissimorum æque at potentissimorum Principum suaui imperio colla subiicite, relictis errorum tenebris lucem veram & vnicam Euangelicæ doctrinæ vobis tot sanctissimorum virorum documentis præmonstrandam mentibus auidis excipite; illuxit vobis tandem dies salutis, cauete ne vobis excidat, ne forte diuina dum præterit, seque lubens vobis offert benignitas, contempta atque reiecta illam postea volentibus denegetur.

Et vos beata Christianorum pugilum agmina iunctis simùl viribus pergite alacres sub faustis supremi vestri Ducis Christi Vicarij auspiciis, moueat vos præsens à recta salutis via aberrantium discrimen; veniat in mentem Philippi huius nominis IV. Francorum Regis votum, quo se ad Orientalem suscipiendam expeditionem obstrinxit pro quo summis eum laudibus Clemens PP. V. celebrauit his inter alia verbis: *Hæc si quidem* (ideſt immunera mala in sacris *Ann 1312.*

illis locis commissa) *charissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum illustris Christianissimus princeps deuota meditatione considerans, & oculo clementis propitiationis aduertens, dictaque terræ pia mente compatiens calamitatibus & pressuris, & ad vlciscendum in illa nostri Redemptoris inimicos, vt miseretur illius regionis oppressæ, cuius miserendi tempus aduenisse speratur, eamque liberaret de manibus hostium Fidei Christianæ regali magnanimitate consurgens, sponte se obtulit, nobisque promisit salutiferæ Crucis signo vna cum filiis & fratribus suis, ac Baronum & militum regni sui multitudine copiosa recepto in terræ prædictæ subsidium dirigente Domino profecturum, &c.*

O vtinam eadem modò de inuictissimo nostro, atque Christianissimo Rege dici possint, quæ ingenti cordis sui lætitia recensere pergit Pontifex! *Exurgant igitur virtuosi dicti Regis exemplo, in ipsius terræ subsidium viri ad bella doctissimi prædicti Regis Franciæ bellatores, & Regem ipsum præliatorem promptissimum Crucifixi ad succurrendum terræ illius calamitosis desolationibus imitentur: Eidem Regi & inclytæ domui Franciæ, cui Dominus benedixit, huiusmodi felix victoria belli promittitur; hæc illis paratur ad gloriam, & eis, sicut speratur, ad meritum reseruatur.*

Annal. Eccl. Ann. 1313. 3-4

Philippum itidem VI. præclaris Maiorum vestigiis inhærentem Ioannes XXII. PP. maximis extulit laudum præconiis epistola ad Gallos Præsules directa, vt Fideles sacræ nomen daturos militiæ Crucis Symbolo insignirent, *Charissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorũ illustris velut Christianissimus Princeps ad liberationem dictæ Terræ Sanctæ de manibus infidelium, claræ memoriæ Christianissimorum Regum Franciæ Antecessorum suorum, qui charitatis & deuotionis feruore succensi velut fideles pugiles, & Christi Athletæ constantissimi dictæ Terræ Sanctæ negotium per retroacta iam tempora fuerunt feliciter prosecuti imitãdo vestigia cum nonnullis Prælatis, Paribus, Baronibus, & multis aliis regni sui & partium aliarum Magnatibus prouida consultatione, ac via tuta, deliberatione præhabita passagium vltramarinum assumpsit.*

Pro-

Promouendæ huius expeditionis studio Pontifex vt omnia obstacula illam turbatura discuteret, Gallicum Regnum in Apostolicam clientelam adsciuit, iisque anathema obiecit, qui Philippo in Asiam profecto Gallias bello lacessèrent: De bellico in Turcas apparatu tandem sancitum est, vt quadraginta triremes egregiè instructæ mitterentur à Pontifice nimirum, Philippo Francorum, & Roberto Siciliæ Regibus, à Venetorum Duce Francisco Dandulo, & à Rhodiorum Equitum Magistro Heliono, atque à Græcorum Imp. Andronico, qui deinde promissis de coniungendis suis in Christiani nominis hostem triremibus defuit; inuecta nihilominùs est feliciter contra Turcas classis Christiana, cæsaque sunt plura Turcarum millia, nauium maioris aluei ducentæ quinquaginta incensæ.

Ioannes quoque Francorum Rex vnà cum Petro Cypri Rege Vrbanum V. Sum. Pontificem conuenit, vt vniuersos fideles delendæ infamiæ desiderio accenderet, qua Mahometani Christianum nomen inusserant occupato Oriente, suæque subiecta seruituti Palæstina Dominico olim cruore consecrata: Quare Vrbanus Ioannem Franciæ Regem expeditionis illius Ducem creauit, atque iis omnibus anathema intentauit, qui eumdem Regem à suscepto pio restituendæ in Syria Religionis consilio reuocare studerent: Cæteros vero Franciæ Monarchas, qui eodem recuperandæ Terræ Sanctæ incensi studio cum Turcarum numerosis agminibus conflixêre, Annalium Ecclesiasticorum collector fusè suis recenset locis, maximè sub Vrbano VI. Nicolao V. & aliis.

Ludouicus tandem Iustus pro terræ sanctæ recuperatione collectam indixit: Ex relatis Spondani placitum aperte comprobatur, qui de Ludouico XI. sermonem faciens in Franciæ Regum Antecessorum ac sequentium gloriam ita pronuntiat: *Quippe pugnare contra Turcas, & vincere, & Terram sanctam recuperare, & fidem saluare, & Romanam Ecclesiam honestare Francorum Regum proprium est:* Certe Heroïca Francorum in Oriente facinora, tantum consternatis transmarinarum gentium illarum animis metum iniecêre,

Ann. 1617. 5. & 1635.

Ann. 1461. 19.

vt nihil aliud ſub cœlo æque ac Francicam gentem reformident, quæ Gallici nominis oſor Meyerus ſcripſit retuliſſe ſufficiet: *Venit ad Carolum VII.* inquit, *Patriarcha Antiochiæ Pij II. Pontificis Legatus, venere Oratores Dauidis Imp. Trapezuntij, & Georgij Regis Perſarum, aliorum quoque multorum Regum, vt minoris Armeniæ, Meſopotamiæ, Georgianæ, Legatus Presbyteri Ioannis, ſiue Regis Indorum, & Legatus cuiuſdam principis, quem paruum Turcam vocat Equerranus, hi omnes (ait Meyerus licet Gallici nominis alienus) nullam petebant pecuniam, ſed tantum ducem copiarum, & ſignum Regis Franciæ contra magnum Turcam Conſtantinopoleos vſurpatorem: Hæc enim duo plus prodeſſe poſſe dicebant, quam centum millia pugnantium alterius nationis:* Mirum ſane lilia quæ nonniſi dulcedinem oſtentant, pulchritudinemue, Chriſti hoſtium terrorem euadere; verum iſtud mirari deſinit quiſquis intolerabilem ſerpentibus, & aliis venenoſis animalibus lilij odorem, Turcis pariter infeſta Galliæ lilia meminerit.

Humbert. Motus Lib. de ſacris Vnctionib. Ann. 1461.

SECTIO QVINTA.

Feruentiſſimi in Religionis conſeruandæ augendæque ſtudio Hiſpaniarum Monarchæ.

QVanto Chriſtianiſſimi Reges ab ipſis fundati in Galliis Chriſtianiſmi primordiis erga Religionem eiuſque augmentum feruore propenſi fuerint ſuperioribus, vt opinor, Sectionibus demonſtrauimus: Iam haud impar Hiſpanici quoque Regni in Catholicam Fidem ſimul & Apoſtolicam Sedem indefeſſumque ſtudium, ac perennis ardor noſtram ad ſe inuitat orationem; quæ cum non minorem dicendi campum ingrediatur, digeſtam pariter in Sectiones ac Paragraphos immenſæ molis materiem Lectoris potiùs oblectationi, quam faſtidio explicabit: Sit itaque

PARA

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Athanagildi & S. HERMENEGILDI Martyris pro Religione ardores.

NVnquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? sic omnis arbor bona, bonos fructus facit, mala autem arbor malos fructus facit; Ex fructibus eorum cognoscetis eos: Increata clamat veritas: Nihilominus ex syluaticis arboribus optimos edi fructus, virideſque ac fœcundos nasci surculos modò visuri sumus: Ecquid hoc? nunquid aliud iudex nuntiat, & aliud seruus clamat? absit; quanquam enim in arboribus & plantis hæc vera sint, cum naturaliter producant, non enim arbor bona malos fructus, nec mala bonos edere potest; quomodo autem hæc vera sint in hominibus, maxime dubium est, nam libere operantur: Homo enim bonus aliquando in malos germinat fructus, vt in verba otiosa, peccata venialia, imò & aliquando à virtute deficit, & in grauia peccata præcipitatur: Homo autem malus aliquos etiam bonos fructus ex genere suo edere potest, vt eleemosynam, ieiunium, in parentes reuerentiam, &c. Matth. 7.

Hanc soluunt difficultatem Chrysost. & August. dicendo: *Quandiù quisquis malus est, non potest facere fructus bonos, si enim bonos fructus fecerit, iam malus non est:* Ac proinde in sensu composito, vt loquuntur, voluntas bona, provt bona, non potest facere malum, aliter verò in sensu diuiso potest à sua bonitate deficere: Respondet secundò Abulensis, quod illud Christi verbum, *Non potest*, non dicit impossibilitatem, sed difficultatem, in quo sensu frequenter in Scriptura sumitur, vt ipse probat; ac proinde notatur, quod valdè difficile sit, vt deprauata voluntas benè operetur, ob suos habitus inclinantes eam ad malum: Tertiò & multò probabiliori modo respondent ipse Abul. Beaulxames, Iansen. Maldonat. Barradas, & alij, quod Christus hîc fatur iuxta ordinarium loquendi modum, & dat commune & vulgare signum agnoscendi bonum, vel malum doctorem, In Imperf. Hom. 19. L. 2. de Ser. Dom. c 24. Quæst. 29.

rem, virum ſimplicem & hypocritam, nam bonus ordinariè loquendo benè operatur.

Cum igitur homo liber cæteroqui malus, bonos interdum actus edere poſſit, iuxta hunc communem Doctorum ſenſum, ex ſyluaticis vtplurimùm & infructuoſis arboribus bonos oriri fructus Sectionis initio aſſeruimus, ſic Athanagildus Gothorum Rex adhuc Arianus, ideoque peſſima arbor, vtpote hæreſis tabo infectus, optimum Religionis fructum produxit: Sanè quoniam apud ſe probe de religione Catholica ſentiebat, & in publico etiam Catholicis fauebat; inde melior intus illuceſcente eius animo Dei lumine effectus, orthodoxos arripuit ſenſus, & cum vano adhuc ſubditorum metu impeditus conceptum in pectore Catholici dogmatis fœtum in lucem proferre non auderet, illuſtre nihilominùs ſinceræ fidei candidati opus edidit, celeberrimũ nempe in Toletano ſuburbio Agalienſe monaſterium à fundamentis erexit, regiiſque dotauit cenſibus, clariſſimum Hiſpaniæ Præſulum ſeminarum, vti ex ſuperioribus conſtat; vnde meritò Hiſpania tanti erga ſe Regis munificentiæ gratuletur, qua tot eximios animarum Paſtores ipſi fundato hoc Cœnobio præparauit.

Cap. 2. & 7.

Et de Leovvigildo Athanagildi filio quid dicam? numquid infructuoſa *arbor*, *autumnalis*, *eradicata*, *bis mortua* exſtitit? ſi quidem Arianam cum lactè ſuxit hæreſim, in cuius errore tanta obcœcatus pertinacia vixit, vt ſuo peſſimo exemplo populos in hæretica prauitate fotos vna ſecum in æternam detruſerit inferorum carnificinam: Nihilominùs infinita Dei ſapientia, quæ ſola in ipſo mundi exordio *de tenebris dixit lucem ſplendeſcere*, ex ipſo veneno antidotum, atque ex ipſo mortis ſipu vitam produxit, ex Leovvigildo, inquam, mortis filio, illuſtrem oriri fecit prolem, Hermenegildum nempe, Hiſpaniarum decus, glorioſum Chriſti pugilem, Sanctumque in Cœlis triumphantem, qui eximium generoſi ſui agonis buccinatorem habere meruit Gregorium magnum, qui cum feruentem tanti Principis & Martyris religionem à S. Leandri Hiſpalenſis Archiepiſcopi concionibus hauſtam, ac piis chariſſimæ coniugis ipſius

S. Iud. Ep. v. 12.

2. Cor 4.

sius Ingundis Galliæ propaginis adhortationibus (de quo nos suprà fusiùs) confirmatam mirari satis non possit, Heroïnam eiusdem in Fide constantiam eleganti pro suo more stylo describit: Quod quidem Sanctissimi Papæ elogium, vti omnibus Canonicas recitantibus Horas peruium, cunctisque vitæ Sanctorum lectionis amatoribus passim occurrit, illud hoc loco exscribere superuacaneum videtur. Cap. 2.

Pretiosam meritò conseruas tanti Martyris memoriam, ô Hispania, regio cuius sanguine Fides tua quamuis per summum iniqui patris scelus irrigata firmas egit radices: Quin & *perfidus ipsius pater*, inquit Gregorius, *& parricida commotus pœnitentia hoc feciſſe ſe doluit, nec tamen vſque ad obtinendam ſalutem pœnituit: Nam quia vera eſſet Catholica Fides agnouit, ſed gentis ſuæ timore perterritus ad hanc peruenire non meruit; qui oborta agritudine ad extrema perductus eſt, & Leandro Epiſcopo, quem priùs vehementer afflixerat, Reccaredum Regem filium ſuum, quem in ſua hæreſi reliquerat, commendare curauit, vt in ipſo quoque talia faceret, qualia & in fratre ſuis exhortationibus feciſſet.* Lib. 3. Dialog. c. 31.

Viden quomodo diuina bonitas de spinis colligat vuas, ac de tribulis ficus? sed rorido ac fertili S. Hermenegildi M. sanguinis imbre conspersos, vt in Reccaredo eiusdem fratre innotuit; Qui *post patris mortem* (pergit Gregorius) *non patrem perfidum, ſed fratrem Martyrem ſequens, ab Arianæ hæreſeos prauitate conuerſus eſt, totamque Vuiſigothorum gentem ita ad veram perduxit Fidem, vt nullum in ſuo regno militare permitteret, qui regni Dei hoſtis exiſtere per hæreticam prauitatem non timeret; nec mirum quod vera Fidei prædicator factus eſt, qui frater eſt Martyris, cuius hunc quoque merita adiuuant, vt ad Omnipotentis Dei gremium tam multos reducat:* Verè *ſanguis Martyrum*, Tertullianus ait, *ſemen eſt Chriſtianorum*; Vix enim S. Martyr glorioſum vitæ certamen finierat, vix Hispaniæ solum Arianis consitum vepribus bullientem Regis sui sanguinem hianti ore absorbuerat, cum peramœnos Orthodoxæ Fidei flores germinare cœpit, ita vt ex infelici tribulorum arundineto, in gratiſſi

tissimum fructiferæ omnis generis plantæ viridarium euaserit.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Reccaredus, Vuamba, Aldephonsus, & Alphonsus Castus multa Religionis signa edidére.

QVantam verò præ se tulerint Hispaniarum Reges in promouendis Fidei rebus alacritatem ab ipsismet Gallicis scriptoribus mutuabimur: de Reccaredo Rege adhuc Ariano Gregorius Turonensis ita testatur: *Reccaredus Rex compunctus miseratione diuina cõuocatis Episcopis Religionis suæ ait: Cur inter vos & Sacerdotes illos, qui se Catholicos dicunt, iugiter scandalum propagatur? & cum illi per fidem suam multa signa ostendant, vos nihil tale agere potestis? qua de re conuenite quæso simul, & diligenter vtriusque partis credulitatibus, qua vera sunt cognoscamus, &c.* Qua autem animi contentione Catholicæ legi sese subdiderit, à Magni Gregorij litteris accipe: *Explere verbis, Excellentissime Fili, non valeo, quantum tuo opere, tua vita delector: audita quippe noui diebus nostris virtute miraculi, quod per Excellentiam tuam cuncta Gothorum gens ab errore Arianæ hæresis in Fidei rectæ soliditatem translata est, &c.*

Hist. Franc. l. 9. 5.

Lib. 7. Indict. 2. Epist. 127.

Frequentia item Concilia, quò magis sancta Catholicæ Religionis instituta sanciret, in Hispaniis eius iussu celebrata; inter quæ celebratissimum illud Toletanum III. vbi eximia deuotissimi Regis pietas, atque in propaganda Fide potissimum enituit studium; congregatis enim vniuersis Patribus sic ipse exorsus est: *Non credimus vestram latere Sanctitatem, quanto tempore in Arianorum errore laborasset Hispania; & non multos post decessum Genitoris nostri dies, quibus nos Beatitudo Vestra Fidei sanctæ Catholicæ cognouit esse sociatos, credimus generaliter magnum & æternum gaudium habuisse: Et ideò Venerandi Patres ad hanc vos peragendam congregari iussimus Synodum, vt de omnibus nuper aduenientibus ad Christum, ipsi æternas Deo gratias referatis, &c.* Quicquid

vero

vero verbis apud sacerdotium vestrum agendum erat de fide, atque spe nostra quæ gerimus in hunc tomum conscripta, atque alligata notescimus; Relegatur autem in medio vestri, & iudicio Synodali examinatus per omne successiuum tempus, gloria vestra eiusdem Fidei testimonio decorata claresçat: Nimis effusa tædium legentibus procrearet oratio, si singula augustissimi Regis ad fidem conuersi gesta, quibus maxima apud scriptores promeruit laudum præconia, nobis fuerint hoc loco recensenda: Omnes tanti Principis exuperat laudes pronunciatum à Toletani Concilij VI. Patribus encomium, quo præcipuum eiusdem Monarchæ in dilatanda fide studium feruorque mirum in modum exprimitur: *Inspiramine summi Dei Excellentissimus, & Christianissimus princeps ardore fidei inflammatus cum regni sui Sacerdotibus prævaricationes & superstitiones eorum Iudæorum scilicet, eradicare elegit funditùs, nec sinit degere in Regno suo eum qui non sit Catholicus: Ob cuius feruorem fidei gratias omnipotenti Deo cœlorum Regi agimus, eo quod eius tam illustrem creauit animam, & sua replenit sapientia, &c.* Annal Eccl. Ann. 638. 10.

Quid de glorioſissimo pariter Gothorum Rege Vuamba Catholicæ Fidei amplificandæ ſtudioſiſſimo proferam? maior eiuſdem laudibus procul dubiò fides adhibebitur, cum alterius Concilij nempe XI. Toletani verba in medium produxerimus: Sic autem poſt alia PP. loquuntur; *Eramus hucusque prolabentis sæculi colluuione instabiles, quia annosa series temporum subtracta luce consiliorum non tam vitia auxerat, quam matrem omnium errorem ignorantiam otiosis mentibus ingerebat: Cernebamus enim quomodo Babylonicæ confusionis olla succensa, nunc tempora Conciliorum auerteret, nunc Sacerdotes Domini dissolutis moribus irretiret, &c. Cum tandem diuina nos clementia ex alto respiciens, & tempori ætatis nostræ se occursuram præbuit, & saluti, præparans nostris sæculis religiosi Principis mentem deuotam pariter & instructam, cuius feruidæ sollicitudinis voto & lux Conciliorum renouata resplenduit, & alterna claritas se mutuò in corrigendis, vel instruendis moribus excitauit, &c.* Ann. 675 a.

Nec mirum si eximia eiuſdem Regis Fides ac pietas in-

signibus à supremo Numine victoriis honorari meruerit, Sarracenos enim, qui Oriente magna ex parte potiti erant, plurimasque vastarant insulas, atque ingenti comparata ducentarum & septuaginta nauium classe Hispanias inuaserant, maritimo funditùs bello profligauit; Bonis quippe principibus diuinum semper adest Numen, vt de Iosaphat

2. Paralip. 17 Rege Scriptura testatur his verbis: *Et fuit Dominus cum Iosaphat, quia ambulauit in viris Dauid patris sui, & perrexit in præceptis illius, & non iuxta peccata Israël, confirmauitque, Dominus Regnum in manu eius, & dedit omnis Iuda munera Iosaphat, factaque sunt ei infinita diuitiæ, & multa gloria.*

Ann. 740. Hic planè dolendum nobis est Alphonsi siue Adelphonsi Catholici Regis egregias res à paucis scriptoribus fuisse illustratas, paulóque parciùs descriptas; plures duntaxat ciuitates è Sarracenorum manibus ab eo fuisse vindicatas, Gallœciamque eius opera ab eisdem barbaris liberatam memorant: Eius ardentissimum in propaganda religione studium Morales deprædicat.

Lib. 13. c. 11. Alterius quoque Alfonsi siue Adelfonsi cognomento Casti in Gallœcia regnantis insignem in amplificandis Fi-

Ann. 790. dei rebus virtutem ac zelum Tudensis ita describit: *Idem Rex Religiosissimus zelo exæstuans diuinæ Legis, cum indigno animo ferret prostitui tributi nomine pudicitiam nobilium virginum Hispanarum, vindex exurgens, licet longe imparibus viribus, aduersus Mauros collegit exercitum, in eosque irruens apud Asturias ad septuaginta millia ex eis occidit, &c.* multa alia subiicit prœlia cum Sarracenis ab eo conserta, in quibus florentes lauros palmasque semper messuit: Quantum verò ad promouendam aduersus Sarracenos Religionem piissimi huiusce Regis cum Carolo Magno arctissima contulerit necessitudo, iam nos alibi fusiùs.

Et cui pietatis studioso celebris Iberorum victoria sub Ramiro Rege contra Mauros diuinitùs reportata non moueat admirationem? qui cum Mauricam terram valida manu intrasset, Sarracenis viriliter obsistentibus hostiles barbarorum copiæ, regij exercitus non paucos terga paulatim dare cogebant: Tum S. Iacobus Apostolus præcipuus Hispaniarum

niarum patronus operam ſuam Ramiro in ſomnis eſt pollicitus: Quare ſummo mane præmiſſa à militibus peccatorum ex omologeſi; ſumptoque SS. Euchariſtiæ ferculo, Rege aduerſus hoſtes cum exercitu progrediente B. Iacobus apparuit Chriſtianos ad pugnam excitando, & Sarracenos fortiter feriendo, vnde victi turpiter fugêre, atque ex illis ſeptuaginta fere millia cæſi: Admirandam hanc, omniumque ceberrimam victoriam pluribus Tudenſis, aliaque ſcriptorum vetuſtiſſima tradunt monumenta.

Adelfonſi quoque cognomento magni inuictiſſimum pro Religione tuenda robur, pluribus ſuo damno vicibus nequiſſimi Arabes ſunt experti, de quibus ingentes reportauit victorias: *In quo vno*, ait Baronius, *potiſsimùm Deus oſtendit, quantum poſsint arma fidelium aduerſus infideles ſemper præuia pietate:* An. 912. 16.

Nunquam dicendi finis, ſi hoc loco innumera fere Martyrum agmina in medium adduceremus, qui ex Hiſpaniis ortum duxêre, ſuoque fidem ſanguine variiis in regionibus propugnarunt; Plures in Dominicanę familiæ monumentis, necnon S. Franciſci Ordinis, ac ſtrictioris Obſeruantiæ Annalibus recenſentur: Nouiſſimè verò Societatis IESV alumni glorioſis crebriſque coloniis, atque inter ipſos plures Iberi ad Orientales, occiduaſve Indias profecti, alias quoque remotiſſimas noui Orbis regiones Euangelij luce perfundendas inuictis animis cum ipſo vitæ diſcrimine peragrarunt: Hi nimirum fuêre, de quibus Euangelicus Propheta in ſpiritu lætus prædixit, qui vt nubes denſiſſimis Chriſtianæ doctrinæ imbribus turgidæ volarunt, quibus arentes extremi orbis terras, id eſt tot infidelium, hæreticorum, perditiſſimorumque ſolo nomine Chriſtianorum corda rigauêre, quæ tandem dignos pœnitentiæ cæterarumque virtutum fructus peperêre. Iſ. c. 60.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

FERDINANDI III. *cognomento sancti, & Ferdinandi Catholici semper vigens Religio, eiusque fructus.*

MEmorant Thalmudistæ summum Synagogæ Hierarcham, dum finito sacrificio benedictione populum impertiret, tres superiores manus digitos lilij forma erigere solitum, cum hac voce, DOMINVS *te benedicat & conseruet*: quo ritu Israëliticis Tribubus, meo quidem iudicio, significare voluit, quamdiù veram Religionem lilio expressam abiecissent, omnium bonorum steriles effectas; contra verò reassumptis laudabilibus, sanctisque Patrum suorum institutis, ab infinita Dei bonitate eas peramoeno prosperæ fortunæ cumulatas rore: Verè namque olim pro-

Oration. ad SS. Cœtum. nuntiauit Constantinus Magnus apud Eusebium: *Ego certè & prosperam meam fortunam, & meas res omnes pietati acceptas refero; testis est etiam rerum omnium ex animi sententia euentus, testes sunt præclara facinora, testes victoriæ contra hostes & trophæa.*

Idem duo Augustissimi Impp. Theodosius & Valentinianus in Ephesino Concilio professi sunt, dum felicem rerum suarum statum, curæ quam pro Religionis augmento gerebant, ascripsêre: Hoc ipsum Franciscus I. regio ore

Nauar. Cõs. c. 5. l. 1. prædicauit his verbis: *Regnum illud tamdiù stare poterit, quamdiù in eo Catholica Fides, iuxta formam à Rom. Pontifice sanctitam coletur*: Vnde Valentinianus Imp. Valentinum fi-

S. Ambr. Ep. 30. lium alloquens rectè aiebat: *De me pessimè iudicasti, si mihi superstitio aliena, non Fides mea, tuo iudicio, seruauit Imperium*: Denique Iustinianum II. Imp. sapienter dixisse fa-

Ep. ad Ioan. PP. teamur necesse est: *Magnam sollicitudinem nos habentes pro stabilitate Christianorum Fidei, hinc Deum adiutorem, susceptoremque nostræ Serenitatis esse confidimus aduersus omnem inimicum*:

Proh Deûm hominumque fidem! tantorum Impp. sapien-

pientia densas eorum qui hoc sæculo cordati, prudentesque haberi volunt, tenebras colluſttare non poteſt? Ecqui, amabo, principes elapſis sæculis feliciores, quàm qui fideli obſequio Religionem coluêre? Ecquis poſſit Theodoſij, Honorij, Marciani, Anaſtaſij, Anthemij, Leonis V. proſperitatem recenſere? Quis Henrici VII. felicitatem, qui coram Chriſti è Cruce pendentis imagine noctes in oratione ducebat, diuinoque sacri altaris cibo ſingulis animam diebus paſcebat? Quis Alfonſo VIII. trecentarum Eccleſiarum fundatore clarior? Quis Vvenceſlao Bohemiæ Rege gloriſior, quem nullum, quamuis vrgentiſſimum negotium à quotidiana Miſſæ frequentatione vnquam deterrere potuit? Quis Alberto IV. Auſtriæ Archiduce, qui Sacerdotibus inſeruire, & cum ipſis canere non dedignatus? Quis Stephano Hungariæ Rege, qui propria manu frumentum ſerebat SS. Sacrificio inſumendum, vitiſque pampinos eidem vinum vſui miniſtraturos? Quis Agigulpho Longobardorum Rege Eccleſiæ immunitatis amplificatore? Edgardo Angliæ Rege, qui non niſi cum probis æque ac doctis conuerſabatur? Cumualuo Scotiæ Rege, qui feroces ſubditorum animos ſanctitate potiùs, quàm prudentia demulcebat? Oſvvaldo Northumbriæ Rege, qui Scotorum Saxonibus Fidem ſubditis prædicantium egit interpretem? Ferdinando tandem III. Hiſpaniarum Monarcha, cui eximia morum probitas Sancti cognomen peperit, qui corporalem nunquam cibum, niſi accepto priùs SS. Altaris viatico ſumere voluit?

Sed præ cæteris quis Rodolphi Hasburgenſis Comitis felicitatem non miretur, qui inſigni ſua in SS. Euchariſtiam pietate, ex Comite, vnanimi Electorum conſenſu Imp. coronatur, vt ei prædixerat Suauiæ Sanctimonialis? Quæ ipſius fortunâ ſplendidior, quæ Auſtriacæ Domui Occidentale peperit Imperium, iamque XIII. Germaniæ Impp. IV. Hiſpaniæ Reges, Galliæque Reginas V. ſuppeditauit? adeò vt ſi proſperos Principum Religionis amantium ſucceſſus mihi ſumerem recenſendos, ipſos in votis parciores, quàm cœlum in ſua erga ipſos munificen-

tia demonſtrarent, cum vota ipſorum expectationem, bonaque ſpem omnem fortuna ſuperarit.

Quem porrò tam glorioſum tædio afficere poſſet ſermonis argumentum, tantum in ſua materia exquiſiti, quantum huic ſæculo neceſſarij, in quo Duces ac milites pietatem parui pendere videntur, furorique ac cædibus tanquam rectè factorum auctoribus, quæ ſumma eſt noſtrorum iniquitas temporum, triumphus decernitur: Dicant, amabo, quibus auxiliis, qua tandem arte, bellique aſtutia Ferdinandus III. Hiſpaniarum Rex Mauros domuit, totque adſtantes præ foribus eius hoſtes, à quibus certum ipſi imminebat exitium, fregit, ac penitus ſuperauit? Quis ipſi auxiliatricem præbuit manum, cuius ope Leonis & Caſtellæ regna cæteris adiecit Hiſpaniis? Quibus armis Seuiliam, Cordubamve famoſas ciuitates, Turdetanum ſeu Bæticum agrum ſæuæ Maurorum tyrannidi ſubduxit?

Et verò Hiſpali ab eo obſeſſa in magna, ſupremaque inopia ſuadentibus quibuſdam, vti Templorum donis eam inopiam leuaret, ne incœpto abſcedere cogeretur cum graui dedecore nominis Chriſtiani, præcisè facturum negauit, *maius ſe præſidium ponere* dictitans *in precibus Sacerdotum, quam in omnibus eorum copiis & auro*: Modeſtiæ & pietatis merces fuit vrbs ampliſſima proximo die ad deditionis conditiones redacta:

Quibus tandem copiis, armorumque viribus idem Granatæ Regem breuiſſimo tempore ſuo ſubdidit imperio? Non aliis, quàm ſancti ſui erga Religionem eiuſque officiorum cultum zeli viribus, inuictoque virtutum robore tantam ſibi gloriam comparauit: Dum enim cum hoſte manus conſereret, hæc verba identidem pronuntiabat: *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo*: Cum aliquando ab eo quæreretur, qua potiſſimùm via cæteros Deceſſores ſuos fortunæ beneficiis ſuperaret: *Patres mei*, reſpondit, *fortaſſis animo gerebant principatum terrenum exaltare potiùs quàm Fidem plantare, augere ſibi populum multum, ſed non ſtabilire diuinum cultum, ideò decepti ſunt in adinuentionibus ſuis*: Idem laudum ipſius præco refert, cum in bello

Pſ. 55.

Roder. p. 3. Hiſt. Hiſp.

bello versaretur, ipsum sublatis in cœlum oculis dicere solitum: *Tu Domine qui scis corda, & renes hominum, nosti quia non meam, sed tuam gloriam requiro, non tam caducorum regnorum, quam Fidei Catholicæ & Christianæ Religionis augmentum desidero*: O si Principes cum aureis istis puræ intentionis armis pugnarent, non tanto ampliùs bellicorum instrumentotum apparatu indigerent?

Ferdinandum porrò Aragonium Castellanæ demùm Coronæ dignissimum latorẽ, cui ob Fidem Religionisque propagandæ studium Alexander VI. Pont. Max. Catholici titulum confirmauit, quis sat dignis efferat laudibus, cum peritus quisque Historiarum probe norit, quanto Religionis ardore incensus, eam ad extremos orbis fines propagari curarit: Nunquid incensis eius in Religionis conseruandæ, augendæque splendorem studiis, meliori simul Hispaniarum fato, inquit Mariana, quod eatenùs factum non erat, quæstionibus habendis aduersus Religionis desertores, atque hæreticos, aliisque in veram pietatem criminibus vindicandis sunt certi Iudices in Castella designati, ab Episcopis discreti (quorum eæ partes ab antiquo erant) Romani Pontificis authoritate, & fauore principum armati, Inquisitorum ab officio nomine? quem morem in aliis Prouinciis frequentem Italia, Gallia, Germania, ipsaque Aragonia hoc demùm tempore Castella est imitata, neque in studio impios conatus vindicandi, se ab vlla gente vinci passa est: Auctor consilij Hispaniæ Cardinalis fuit; Cum enim superiorum licentia temporum multa in prouinciis essent deprauata, Mauris, Iudæisque cum piis promiscue versantibus nullo non commercij genere, praua consuetudine, vsuque non paucos è piorum numero infici necesse fuit; plures sacra Christiana, quæ susceperant patria superstitione abdicata, fide inconstanti, nullo vetante, deserebant, quæ labes Hispali maximè est grassata: In ea vrbe primum quæstionibus in arcano habitis de sontibus grauissimis pœnis vindicatum est: felix ex tam salutari instituto successus opinionem superauit. Lib. 24. 17.

PARA

PARAGRAPHVS QVARTVS.

CAROLVS V. Imp. nitidiſſimum Chriſtianæ Religionis Speculum.

ENimverò ab ipſis Chriſtianiſmi primordiis famoſi pietate Imperatores, quamplurimi Reges, innumeriue principes ſua laudabili experientia Religionem, ipſamque huius ſæculi felicitatem Gemellos Caſtorem & Pollucem fratres, quorum altero moriente, alter continuò deficit, dici, & eſſe comprobarunt; adeò vt ſtatim atque Religionis Fideique ſplendor reuiuiſcit, confeſtim felicitas pariter refloreſcat: quam ob cauſam, inquit Auguſtinus, Conſtantinum Imp. bonus Deus non ſupplicantem dæmonibus, ſed ipſum verum Deum colentem tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet, ne ſcilicet homines, qui in eum crederent, præter æternam vitam colendam, has ſublimitates & regna terrena exiſtimarent poſſe neminem conſequi, niſi dæmonibus ſupplicarent, quod hi ſpiritus in talibus multum valerent, ſed potius vitæ huius beatitudinem propriam virtutis dotem eſſe intelligerent.

L. 5. de Ciuit. Dei c. 25.

Quem verò latet eximia Caroli V. Auguſtiſſimi Imper. pietas, atque incredibilis erga Religionem, Fideique ſplẽdorem zelus veré Catholicus? quis vnquam Princeps ſecundo imperij ſtatu, ac ſemper proſperis conſiliorum euentibus arridente fortuna proprio docuit exemplo perpetuam ex Religionis amore felicitatem oriri, quæ Carolum in ipſis cunabulis tenerrimè complexa, toto vitæ curſu mirantibus cunctis comitata ipſius imperiis adeò tenaciter adhæſit, vt ipſius nutibus omninò regi videretur: nec mirum; inſita nempe à puero ipſius menti pietas, ſanctuſque diuini Numinis timor ac reuerentia, diuinæ initium ſapientiæ omnium ipſius vitæ actionum prouida fuit ac ſolers moderatrix, quæ ipſum in proſperis fallacis huius ſæculi rebus, pompis, honoribuſve, ac delitiis minime inſoleſcere docuit,

ſed

sed potiùs terrenis posthabitis cœlum versus, quod sapientum est proprium, oculos leuare, atque in vltimi finis scopum frequenti cogitatione mentem dirigere, quæ altissimæ summa sapientiæ censetur.

Enimverò Cæsari licet constanti rerum prosperarum cursu fortuna, augustoque ipsius genio arriserit, non tamen irrisit; sanum quippe magni Augustini consilium secutus, quo S. Doctor Christianum de futuro exitu sollicitum esse monet his verbis: *Esto prudens & prospice tibi inposterum in cœlo; imitare formicam, reconde æstate, ne esurias in hyeme: Hyemps est dies nouissimus, dies tribulationis:* Cum omnes absolutissimæ prudentiæ partes expleuerit, hanc quoque vltimam supremamque complexus non solum formicæ solertiam toto vitæ suæ curriculo expressit, sed mirabili pisciculo Vranoscopo perfectè similis, vnico ac summo mentis oculo cœlum contemplatus, Beatorum omnium metam pene continuis suspiriorum iaculis appetiuit. In Ps. 48.

Cæsari de morte seriò cogitanti in more positum fuit, vt ipsius Maiestatis familiares retulêre, inter multa suis vsibus necessaria totius fere orbis suppellectilia, quandam benè obseratam circumducere arcam solitum, non ingentis nummi aut æris pondere grauem, sed paratis ad exequias linteaminibus, institisve refertam, tanquam iuge mortis ac perenne extremi iudicij memoriale: O dignam tanto Imp. prudentiam! quam profectò nunquam meliùs quàm tribus vltimis vitæ annis patefecit, cum Regnorum, Imperiique abdicationem dudum animo meditatus, exequi tandem, ac magna orbis terrarum parte spoliare ipse se statuit, editurus IGNOTVM Principum aulæ PRODIGIVM, vt, cum posset, imperare desisteret; Ipsum, quæso, in Bruxellensibus Comitiis perorantem audiamus, in quibus multis præsentibus coronatis capitibus, postquam Philippum filium Sodalitio Equitum aurei velleris solemni ritu præfeciisset, atque Philiberti Bruxellij Senatoris ore singulis Belgarum Ordinibus significasset, *Cæsarem quod sibi, quod Regi, quod Prouinctis benè vertere, omni se Belgii, Burgundiæque Imperio abdicare, iuratam sibi fidem populis remittere, Philippo filio*

Anglia Regi ius possessionemque Belgij Burgundiæque ex animi sententia tradere.

Hæc Philibertum ritè memorantem surgens improuisò Cæsar interpellauit, atque è codice quem ad subleuandam memoriam attulerat, tanquam è rationario Imperij Gallica lingua recitare ipse cœpit, quæ à septimodecimo ætatis anno ad eam vsque diem peregisset, addiditque: *Eorum operum fidem non alium propositum sibi, quam Religionis & Imperij tutelam; id à se, dum per valetudinem licuerit, ita Deo duce præstitum, vt Carolum hactenùs vixisse, & imperasse nullos nisi hostes pœnitere posit; Iam quando vires, ac propemodum vita deficerent, non sibi futurum dominandi amorem ante suorum salutem.*

Animaduertis, Lector, omnium Cæsarianæ vitæ cogitationum, dictorum, ac præclare gestorum finem, scopumque præcipuum Religionem, quam cum materno lacte hausiam omnibus, quibus potuit, modis conseruare, augereque nunquam non tentauit: Sed pergit ipse conuersus ad filium, quem post alia, quibus regna in eum transtulit, sic alloquitur: *Exemplum hoc meum pauci imitabuntur, nam & ego quem sequerer ex omni retrò antiquitate vix habui: Laudabunt certè consilium, vbi te dignum comperient, in quo prima hæc documenta monstrarentur: Id efficies si quam adhuc coluisti sapientiam, si Dominatoris omnium timorem, si Catholicæ Religionis patrocinium, si iuris legumque, tutelam vera vtique regnorum firmamenta perpetuò retinueris, &c.*

Et quamuis nulla alia Cæsariani in Religionem zeli præter magnifica extremæ ipsius voluntatis ad filium verba, nobis suppeterent argumenta, nullus in hoc Augusto principe zelosissimum pro Christianæ Religionis splendore ardorem extitisse, nisi captus mentis luminibus negare audeat; quem tandem Carolus ex tanto rerum Dominatore iam nullus famoso ad Vallisoletanum Diui Iusti Hieronymianum Cœnobium secessu, in quo omnibus sincerę pietatis officiis sanctissimæ morti præluſit, toto orbi suspiciendum reliquit: Hoc videlicet Mausoleum fuit, quo Cæsar ille Maximus, cui vnus non sufficit orbis, inclusit

ad

ad extremum se, condiditque viuus, inque hasce demùm angustias decreuit ille Gigas, qui Herculeos vltra terminos extendisse manus gloriabatur; adeò Natura facilè redit ad statum, staturamque suam, si quæ illam inflabat, ac distrahebat ambitio, detumescat.

Quotidianam porrò vitam ita degebat Augustus Syluarum incola, vt partem ægro, languentique in dies corpori, partem Deo, animæque suæ tribueret: Dein admonente morbo, qui suprema interminari videbatur, innocentes delectatiunculas parciùs adhibuit; Verùm prima homini cura postmodum fuit statis monachorum psallentium precibus frequenter interesse, non rarò Sanctorum volumina lectitare, ac piis de rebus miscere sermones, solitò crebriùs expiare noxarum confessione animam, ac cœlesti epulo pascere: quin etiam plexo è funiculis tormento (adeò & aliorum exempla, & sui victor semèl animus potuêre) exigere à sese anteactæ vitæ pœnas perseuere cœpit: Quos inde funiculos à Philippo Rege reuerenter habitos, ab eoque morti proximo afferri ad se iussos, & vt erant cruore Caroli patris aspersi, filio Philippo III. traditos, inter Austriacæ monumenta pietatis asseruari fama est.

Postremò exequiarum occasione, quas matri anniuersarias persoluerat, noua incessit animum cupido (si liceret) & suas celebrandi: reque communicata cùm Ioanne Regula ex Hieronymiana familia, qui eius conscientiam moderabatur; cum is insolitum quidem illud, & inauditum, pium tamen ac salutare dixisset, apparari funus sibi quamprimùm iussit: Ergo excitatur in templo tumuli moles, funeralibus illuminatur, atrati circumstant famuli, mortuale sacrum mœsto monachorum cantu peragitur: Ipse funeri superstes suo, spectabat in illo imaginario munere veras suorum lachrymas, audiebat exequiale carmen, placidam sibi requietem beatas inter sedes implorantium, eademque ipse sibi suffragia psallentibus immistus exposcebat; donec sacrificanti propior factus, eique tradens, quam gestabat, accensam facem, sublatis in Cœlum oculis, *Ego te*, inquit,

vitæ ac mortis arbiter oro, quæsoque, vt quemadmodum oblatum hunc à me cereum Sacerdos capit, sic commendatam in manus tuas animam tu, quandocumque libuerit tibi, in sinum complexusque tuos benigne suscipias: Tunc vt erat pulla, fluxaque opertus veste humi procubuit, renouatisque omnium qui aderant lachrymis, quasi depositus, suprema lamentatione comploratus est:

Atque hoc videlicet rudimento Carolus vicinæ iam morti proludebat; namque altero ab exequiis die febri correptus, eaque paulatim exedente consumptus, Toletano Antistite procurante, quæ Christiano ritu luctanti animæ suppeditantur adiumenta, Religiosisque qui frequentes è Cœnobio circumstabant, abeunti hospiti expeditum iter in cœtum piorum comprecantibus, nocte ante festam Euangelistæ Matthæi lucem annorum octo & quinquaginta, ex quibus duos ipse vixerat, ingenti sanè sensu pietatis ac Religionis excessit.

Sic demùm (sententiosus concludit eius vitæ epitomes auctor) Carolus Cæsar annos 40. paternis Regnis, sex & triginta imperij fastigio, ac duos post omnium abdicationem potitus ipse se, dubium reliquit, maioremne laudem in Imperio, totque regnis administrandis, an in iis simul omnibus relinquendis promeritus sit: quamquam ea res vario tunc hominum sermone fuit disceptata, fuitque CÆSAR ABDICANS declamatorum in Scholis, atque in politicorum aulis argumentum: sed omissis ingeniosis horum commentis somnia benigne venditantium, quæ apud plerosque eo tempore super Carolo differebantur, sanè qui Augusti Principis animaduertat aut magnitudinem animi immenso sese terrarum, mariumque imperio exuentis, ne palmario quidem solo sibi reliquo, aut in suscepta semel vita inter ea claustra, secretumque constantiam, toto illo biennio quo victoriam sui extendit, aut sanctimoniam finis, in quem ille non incidit, sed intenta se meditatione composuit, quodque est difficillimum in vita mortem ordinauit, profectò non leuem aliquam, imparemque magnæ menti, sed eximie piam, ac planè

nè de cœlo fuisse causam initi à Cæsare Consilij coniectabit.

PARAGRAPHVS QVINTVS.

Philippus II. Philippus III. & Philippus IV. Maiorum in Religione æmulatores.

PHilippus II. sub optimi parentis discessum noui administrationem Imperij exorsus, cum Religionis studium, quo cultus cœlestiũ, & sacræ Cæremoniæ continentur; Rẽp. tranquillam præstare, ac bonis omnibus affluentem; quin & ciuibus inter se constringendis, & cum suo capite supremo rectore vinculi validissimi instar esse, mores patrios legumque sanctitatem Religionis incolumitate stare, ea cadente res communes perturbari, atque concidere non ignoraret, post ordinatas Belgij Prouincias, paterni in Religionem studij feruens æmulator, sanctiori Reipublicæ parti sollicita pertractandæ manu, constituendis nempe Episcopatibus incubuit: Et quamuis Carolus V. Imp. seriò idem percuperet, ac fila ad hanc telam aliqua submittere iam cœpisset, intercurrentibus tamen armis per prima imperij turbamenta sæpiùs interceptum est opus: Suprema tamen inter monita Philippo filio relicta hoc præcipuum fuit, vti ex Epistola eiusdem Philippi manu ad Margaritam sororem Belgij Gubernatricem scripta constat, *induci se*, Rex ait, *ad augendum eo potissimum tempore Pastorum numerum, quod & multo in dies frequentiùs oppidis, pagisque incoleretur Belgium, & hæresis è finitimis locis in eas confertim prouincias gradum faceret, & consilium imperiumque patris hæreret animo, qui hanc vnam esse rationem procurandæ in Belgio Religionis edocuerat.*

Philippus itaque Rex vbi primùm à bello nactus est otium, Francisco Sonnio Louaniensi Theologo primariæ doctrinæ viro, qui haud ita pridem Vuormatiæ cum Melanctone, Illyrico, aliisque super Religione, iussu Ferdinandi Cæsaris congressus fuerat, misso in Vrbem, vt cum Francisco

Verga regio Legato conſilium ſuum Paulo IV. Pontifici aperiret; poſt aliquot menſes, quibus in ſeptem Cardinalium cœtu agitata res eſt, vti optauerat, impetrauit omnia prono videlicet ad profligandas hæreſes Pontifice, occaſionemque gratificandi Philippo Regi nequaquam aſpernante; namque Belgarum vrbes, in quibus ſacræ nouorum Antiſtitum Præfecturæ figerentur, definitæ ſunt numero quatuordecim, additæque ad quatuor antiquas: Et Philippus accepta facultate nihil moratus, quæſitiſſimo delectu viros ad nouas infulas nominat, editis omnes voluminibus, probataque in Tridentino Senatu virtute conſpicuos, nempe quos & gauderet Pontifex Paſtores dare, & puderet populos non admittere: Nimirum ſapientiſſimus Princeps Prælatorum dignitatem inter maxima regni munera præcipuum in procurando Religionis ſplendore locum tenere intellexit, cum ab eorum ore ſint expectanda veritatis oracula, ipſique magni Dei Sabaoth Angeli cenſeantur, quibus & doctrinæ arietibus euertendæ Chriſti eiuſque ſponſæ hoſtium contumaciæ, ſanctique exempli luminibus illuminandæ cæcitatis munus incumbit.

Ann. 1564. Ad hæc cum Pius IV. Pont. Max. Tridentini Concilij Decretorum vſum ac patrocinium Chriſtianis Principibus impenſe commendaret, viſum eſt Philippo Hiſpaniarum Regi, in ea re cæteris præire, non ſolum ob inſitam homini pietatem, ſed etiam quia Concilium à Carolo parente, dum Romæ ſubſtiterat, impetratum, hæreditario nimirum ſtudio ſibi ſuſcipiendum putauit.

Quin & in arcanis eius ad ſororem litteris ita ſedulò ipſi Religionem committit, commendatque, vt eius curam eſſe primam, ſummamque, ac cæteta poſt illam haberi velit, eo progreſſus, vt ſæpenumerò Gubernatricem doceret rationem hæreticos intercipiendi, eorum tanquam veſtigia & cubilia ipſe monſtraret, etiam indices eorumdem contexeret ea diligentia confectos, ita cuiuſque conditione, vicinia, ætate, ſtatura ad vnguem explicatis, vt mirum profecto ſit Principem in tam multas diſtractum, diuerſumque regnorum curas huic rei quaſi per otium vacaſſe,

cassè, inquirendisque hominibus plerumque obscuris, sollicitudine etiam in priuato ciue admiranda cogitationem manumque flexisse: quo etiam fiebat, vt quoties de Catholicis, qui è Britannia quotidie profugiebant in Belgium, Margarita referret ad Regem, is celeritate homini insolita, præter eos reditus, quos alendis eiusdem insulæ Sacerdotibus Religionis causa apud Belgas exulantibus attribuerat, diuidi in alios sæpe duo aureorum millia, interdum plura, aliquando pauciora, nunquam non aliquid imperaret: qua liberalitate principis inuitante, aliqua dein collegia eiusdem nationis in Belgio Hispaniaque, magno vtique Catholicorum bono institui cœpta sunt.

Eodem tuendæ semper orthodoxæ Religionis zelo animatus, responsa sorori Margaritæ in Belgium per Ducem Egmontium referenda, in iis præsertim quæ ad Religionem pertinent, ex Theologorum, quos ob eam causam coëgerat, placitis monitisque exploranda sibi duxit, in quo doctorum hominum Senatu Regis pietas omnibus admirationi fuit; Euocati enim ad se primores quique diuinæ facultatis Interpretes, consultique quid de Religionis libertate, quam Belgarum nonnulli postulauerant, ipsi sentirent, cum plerique perspecto earum prouinciarum statu affirmarent, auertendo grauiori malo, quod vtique timeretur ex ciuitatum defectione, iacturaque obedientiæ erga Principem, orthodoxamque Ecclesiam; posse Maiestatem eius absque Dei offensa in libero rerum sacrarum cultu populis indulgere; negauit accitos à se illos fuisse, vt docerent an permittere id posset, sed an sibi necessariò permitendum præscriberent; illis necessitatem videri nullam asserentibus, tum Rex in eorum conspectu humi positus ante Christi Domini simulachrum, *Ego verò*, inquit, *diuinam Maiestatem tuam oro, quæsoque Rex omnium Deus, hanc vt mihi mentem perpetuam velis, ne illorum qui te Dominum respuerunt, vspiam esse me, aut dici Dominum ac quiescam:* Atque in hanc sententiam firmatus, suum de religione consilium aperuit in litteris Egmontio traditis.

Denique vt mors Echo vitæ esse solet, sicut in vita Religio

ligionem, pietatemque nunquam non coluit, aux itque pro viribus, ſic in extrema vitæ periodo Diuinæ prouidentiæ nutibus in eius regia perſona miſericorditer ſæuientis, ſimul & antè actæ vitæ ſordes purgantis, toto orbi vt Chriſtianæ patientiæ miraculum expoſitus, benigni patris carum in hoc ſæculo filium corripientis flagellum lubens oſculatus, nec ſtultum quid contra Deum loquutus, famoſi patientum Regis exemplo immenſas diuinæ bonitati gratias egit, quod ſe teſſeraria Chriſti patientis ornata ſymbolis veſte inſignitum in adoptiuorum Dei filiorum, eiuſque filij cohæredum eſſet dignata numerum aſcribere; quo tam nobilis patientiæ exemplo Philonis Carpathij Præſulis ſententiam probauit: qui Chriſtianam olim magnificis hiſce verbis conſtantiam expreſſit: *Vt aurum probatur igni, ſic & Chriſtianorum vita igne tormentorum &ærumnarum tolerantia qualis ſit agnoſcitur, nam benefacere, & mala pati Chriſtianorum eſt.*

In Cant. tom. 4. Biblioth. PP.

Hanc illuſtrem in Fide, Religioneque, ac Chriſtianæ patientiæ ſtudio inflexibilem conſtãtiam egregio ſigillauit facinore; Cum enim magni Principes filios quos vnicè amant, in ſuprema vitæ hora exquiſitis donare ſoleant tenerrimi in eos amoris pignoribus, ecquod, amabo, munus à Philippo in extremis agenti, Philippo omnium Patris regnorum heredi traditum? gemmas forte pretioſas, magnam auri, argentique vim, & alia huiuſmodi, quibus humana pretium fecit cupiditas, atque inexplebilis ambitio? Hæc omnia patris filiique animo ſua iam immenſa copia vilueranr; quid ergo? memorandam Philippi pietatem, æternaque dignum memoria facinus poſteris imitandum omnibus lubens proferam: plexum è funiculis flagellum, quo Carolus V. ſemper Aug. ipſius parens præteritæ vitæ noxas expiare ſolebat, à ſe reuerenter habitum, ſibique morti proximo afferri iuſſum, vt erat cruore Caroli patris aſperſum, filio Philippo III. vnionibus ac gemmis aſpero reconditum ſcriniolo tradidit æternum pietatis Auſtriacæ monumentum.

Proh quantos filio paternæ dignitatis heredi pretioſum

hoc

hoc pignus ad omnem virtutem dedit ſtimulos: cum enim illud maiori quàm Alexander Homeri Iliadem gemmea incluſam theca pretio haberet, vtpote maiorum bonorum nempe Cœleſtium fontem, feruentiſſimis paternæ pœnitentiæ exemplis mirum in modum accenſus, tam illuſtri Chriſtianæ pietatis exemplari omnes vitæ degendæ rationes conformare ſtuduit: Sed me rapit inprimis eximia ipſius in DEIPARAM Virginem pietas, quam tot regiæ munificentiæ Donaria ſacris B. Virginis in Monte-Serrato altaribus oblata ſuſpenſaque mirum quantum deprædicant.

Tuam nunc toto paſſim orbe diffuſam Philippe IV. tantæ Maiorum Religionis æmulator inſignis, Tuam ſanè gloriam nulla circumſcribet ætas, nullaque tempora complectentur, Tuam, inquam, nec æternitas, quam ſolidæ pietatis exercitiis tibi in Cœlis paras, nec poſteritatis laudes amplitudinem capient, ſi quidem Auguſtiſſimam Cœli, terræque Imperatricem Dei Genitricem tuorum Patronam Regnorum præcipuo cultu vniuerſis Imperij tui ſubditis venerandam præcepiſti, quo pio & laudabili in Virginum Reginam ſtudio incitatus, peculiari Immaculatæ ipſius Conceptionis feſti celebrationem tibi tuiſque populis aſſumpſiſti, quam vniuerſæ propenſis complexæ animis Hiſpaniæ, non ſemel te annuente, iubenteque ſolemnes ad Sum. Pontificem deſtinarunt Legationes, quibus in æternam ſuorum erga Beatiſſimam Chriſti Matrem meritorum gloriam euincere totis conatæ viribus, vt ſummus Chriſti Vicarius in Apoſtolica ſedens Cathedra viuæ vocis oraculo eamdem ADMIRABILEM MATREM originalis expertem labis definitiua tandem ſententia pronuntiaret.

Ad hanc vnicæ ſuæ ac prædilectæ Matris & Dominæ prærogatiuam totæ ſuſpirant Hiſpaniæ, continuis cœlum fatigant votis, quo Chriſtum ſuæ optimæ Parentis cultus honoriſque zelantiſſimum ſuaui precum violẽtia cogant, quominùs tot iuſtis debito titulis, totque euidentibus fundato rationibus honore MATREM PVRISSIMAM apud mortales condecorari procuret: Quin & paucis abhinc menſibus ab

eodem Hiſpaniarum Rege Legatus extra ordinem Romam appulit Illuſtr. & Reuerend. Dominus Epiſc. Placentinus, vir pietate doctrinaque conſpicuus, necnon cunctis morum ſuauitate amabilis, qui pro ſuo erga B. Virginis cultum ſtudio hac glorioſa lubens volenſque fungitur ad Alexanxandrum VII. Pont. Max. Legatione, quò omnibus tandem quibus poterit modis, Hiſpaniæ totius nomine, tam ſanctum maioris Deiparæ apud nos exaltationis opus promoueat; Felicem illum Præſulem tantæ Imperatricis augendæ gloriæ deſtinatum, cuius glorioſos Domina omnium optima, ditiſſimaque labores duplicato in terra cœloque fœnore compenſabit! Seruus quippe MARIÆ non modò non perit, ſed temporali à Virgine obſequiis vinci neſcia, & æterna felicitate donatur.

Non mirum ſi tantæ Reginæ cultui mancipatum Hiſpaniæ Regnum totum ferè orbem nominis ſui fama compleuerit, nec vnquam Sol ad eius occidat aſpectum, cum MARIAM habeat Dominam, munificam Protectricem, atque prodigam Dei bonorum Theſaurariam: Adeò verum eſt felicitatem ex feruenti Religiónis cultu ſuam ducere originem; Vnde Valentinianus & Marcianus Impp. hæc memoranda ad Chalcedonenſis Epiſcopos Concilij verba ſcribendi occaſionem ſumpsêre: *Omnia ad veram Fidem, & Chriſtianam orthodoxam Religionem tendentia præponenda aliis rebus exiſtimamus; Deo enim propitio exiſtente, & noſtrum imperium, & communes cauſas meliores fore confidimus:* Quod dum exequi pergent piiſſimi Hiſpaniæ Reges, magis ac magis florebunt in dies, ſi quidem præſtantiſſimi omnium Politici placitum nunquam ipſius promiſſis aduerſabitur, quibus nos certiores facit: *Quod ſi audieris vocem Dei tui, vt facias atque cuſtodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus, quæ verſantur in terra.*

Epiſt. 36. præambul. Conc. Chalced.

Deuter. 28.

SECTIO

SECTIO SEXTA.

HISPANORVM Regum in Apostolicam Sedem reuerentia:

NVnquam meliùs corporis membra se habent quàm cum capiti suo tenaciter adhærent, est quippe mens in capite, quæ tanquam in supremo arcis loco posita stat semper in excubiis, vnde imminentia præuidet mala, quæ quantum potest auertit, singulisve iuxta eorum aptitudinem, exigentiamque necessaria functionibus subministrat adiumenta, vnde ordinatum Microcosmi regnum incredibili pace fruitur, dum inferiores superioribus potentiæ parent ad nutum: Vnde, quæso, tanta in elementari mundo harmonia? nisi quod altiora tam ingentis machinæ corpora inferioribus, nimirum elementis perfectè dominantur, quæ licet contrariis inter se dissona qualitatibus, ad quietum tamen Vniuersi statum, perennemque conseruationem, proprij velut commodi immemores publicæ seruiunt vtilitati: Pari ratione in mystico Ecclesiæ militantis corpore dum inferiores ministri superioribus vnanimi consensu obediunt, ac supremo capiti filialis glutino amoris cohærere nituntur, tunc sana sunt omnia, Petrique nauicula suauibus mutuæ subiectionis, obedientiæque auris subuecta felici cursu tendit ad portum.

Hoc ab ipso Fidei suæ exordio Hispanos minimè Reges latuit, si quidem florentissimum eorum regnum, antequam à Sarracenis inuaderetur, Rom. Ecclesiæ ab ipsis Gothorum Regibus maximè piis fuisse traditum (non ità quidem, vt illo carere ipsi voluerint, sed vt illud aliquo annuo persoluto tributo Ecclesiæ, & S. Petri, à cuius sede Fidem acceperant, obsequio dicarent, idque sub eiusdem Christi Vicarij nutibus possidere innuerent) Gregorij VII. Epistola testatur his verbis: *Comes Euulus de Roceio, cuius famam apud vos haud obscuram esse putamus, terram illam ad honorem S. Petri ingredi, & à paganorum manibus eripere cupiens* L. 1. Ep. 7.

piens, hanc concessionem ab Apostolica Sede obtinuit, vt partem illam vnde paganos suo studio & adiuncto sibi aliorum auxilio expellere posset, sub conditione inter nos factæ pactionis, & parte S. Petri posideret: Idem quoque alibi: *Præterea notum vobis fieri volumus, quod nobis quidem facere non est liberum, vobis autem non solum ad futuram, sed etiam ad præsentem gloriam valde necessarium, videlicet Regnum Hispaniæ ex antiquis Constitutionibus B. Petro & Sanctæ Rom. Ecclesiæ in ius & proprietatem esse traditum, &c.*

L. 4. Ep. vlt.

Reccaredi verò Leovvigildi Visigothorum filij S. Martyris Hermenegildi fratris gloriam nulla vnquam delebit obliuio, qui eximia erga D. Petrum, Romanamque Sedem pietate motus, quosdam à se delectos Abbates viros valde pios ad Apostolorum limina Romam delegauit, quibus ampliſſima Principi Apostolorum munera tradidit offerenda, dequa Legatione magnus Gregorius meminit in litteris ad ipsum Regem redditis: Hanc itidem erga Sedem Apostolicam professi sunt reuerentiam, vt multa alia reticeam exempla, Concilij Bracharensis Patres, qui de litteris à Rom. Pont. ad Profuturum Bracharensem Antistitem datis ita ibi testati sunt: *Si quid illud magnum, vel paruum, quo variari videmur, ad vnam (sicut dictum est) formulam, præfixis rationabiliter capitulis reuocetur; præcipuè cum & de certis quibusdam causis instructionem apud nos Sedis Apostolicæ habeamus, quæ ad interrogationes suas quondam venerandæ memoriæ prædecessoris tui Profuturi prudentia ab ipsa Beatissimi Petri accepit Cathedra:*

Annal. Eccl. An. 599. 25.

Annal. Eccl. Ann. 563.

Berengarius quoque Comes Barcinonensis Vrbano PP. II. cum Tarraconensem ciuitatem à Mauris occupatam recuperasset, eamdem Romanæ obtulit Ecclesiæ:

Ibid. An. 1091.

Ferdinandi Regis Catholici erga S. A. studium reuerentiamque iam suprà tetigimus, cum Ludouico XII. Galliarum Rege à Iulij II. Pont. Max. amicitia deficiente, ac Pisis aduersus eumdem Concilium cogente, Hispanus Rex Pontificis partes suscepit, Legatosque ad Gallum Regem direxit, quò ab iniusta supremi ouilis Christi Pastoris vexatione primogenitum Ecclesiæ filium reuocaret, ipsique

Cap. 5.

mu

mutuam obsequentissimi cum Patre filij consensionem persuaderet.

Pontificem verò Clementem VII. Cæsariani Duces exercitus male mulctarant; Pompeius Columna Card. delectu habito in agro Romano, & Hugo Mancada Prorex Neapoli occurrens incautum ferme oppressêrunt; vnde Pontifex & Cardd. intra Hadriani molem obsessi: Grauis ea clades fuit, graue Christiani dedecus nominis; non defuêre qui capta direptaque Vrbe Carolum Imp. in Romani Pontificis captiuitatem consensisse impudenti ac maledico ore non dubitarint affirmare: Sed quam longe à veritate alienum hoc fuerit, insignive calumnia magno semper viros insectãte tantum scelus Cæsari attributum, quamque luctuosam sacræ Vrbis depopulationem, Christique Vicarij detentionem sibi non imputandam probarit, posteriorà eius facta declararunt; nam ad triste nuntium Augustus, cum Philippi filij ad XII. Kal. Iunij Vallisoleti nati lætitiam celebraret, repentè ludos cessare iussit; insitæ pietatis id argumentum fuit, neque eius voluntate tantum facinus commissum: Et certè nemo vir prudens immoderatos omnes furentis exercitus conatus in Ducem aut Imperatorem reiecerit, cum ipse sanorum optimæ suæ mentis consiliorum rationes quamplurimas in promptu habeat, quibus prudentissimis quibusque interdum abundè satisfaciat. *Ann.1527.* Io. Maria. in Summar. ad Hist. Hisp.

Interim Carolus in Italiam nauigare cupiebat, coronam Imperij de manu Pontificis suscepturus; Eo studio in gratiam cum eo ex tantis licet iniuriis rediit, pactus filiam Margaritam Alexandro Mediceo coniugem, pulsosque in patriam Mediceos restituturum: Rebus omnibus comparatis Cæsar in Italiam ad Imperij coronam nauigauit: Roma propter superiores clades deformata, exacerbatisque ciuium animis, placuit Bononiæ eam celebritatem peragere: Ergo ipso die Natali suo ad VI. Kal. martij Carolus Augustus est salutatus, corona de manu Pontificis capiti imposita; tum Imperator in Germaniam abiit, vbi rebus cõpositis in Ital. rediit; Bononiæ Pont. iunctus, cum eo in Turcas fœdus sanxit, simúlque de Concilio cogendo deliberatum. *Ann.1529.* *Ann.1530.*

Ann. 1534. Clemens vero Pontifex ex Gallica profectione redux, diuturna oppressus valetudine, vrbanis & domesticis rebus ordinatis ad octauum Kal. octob. Romæ decessit: successit III. Id octob. Alexander Farnesius Card. domo Romanus, per omnes honorum gradus ad fastigium euectus; qui delectis nouem Cardd. curam imposuit notandi quæcumque in moribus vitiata erant; tum simul cum Cæsare de sanciendo in Turcas fœdere actum: Conuenit vt Pontifex, Imperator & Veneti classes conferrent: Solutis in Germania conuentibus Cæsar ad Pontificem redux Lucæ in Hetruria cum eo de cogendo consilio iterum consilia communicauit: Postea dum in generalibus Augustæ Vindelicorum coactis Principum Comitiis versaretur, inter conditiones pacis à plerisque Principibus & Germaniæ ciuitatibus expressit, vt congregatorum Tridenti Pontificis auctoritate Patrum sententiæ arbitrioque formanda de Religione decreta permitterent.

Ann. 1548.

Philippus II. sui in Sum. Pont. non immemor officij, eos in magna semper habuit veneratione; Eam, si lubet, ex hoc vno coniicies: Carolus Aragonius Terranouæ Dux Coloniam ad Conuentum de pacificatione instituendum à Rege missus, de Religione Toleto litteras ab eodem accepit, in quibus reuocans ei Rex in memoriam quæ tum de obedientia sibi debita, tum de auitæ Religionis cultu nullius arbitrio submittendis in secretiore commentario iam exceperat, negauit assentiendum Herbipolensi Episcopo suadenti, vt Religionis arbitrium vni Cæsari committeretur, satiùs futurum si Sum. Pont. cuius hæ partes sunt, eiusmodi disceptatio reseruaretur; sin minùs placere sibi, vt Cæsari, sed non sine Pontificis definitione, tribueretur.

Ann. 1579.

Paternæ sectator virtutis Philippus III. nunquam ab eodem erga S. A. obsequio deflexit, & Philippus IV. cuius pacifico Hispaniæ gaudent imperio, filialem illam Maiorum erga Christi Vicarium amorem cultumque singulari studio fouere curauit, fouetque in dies; adeò vt nemini mirum videri debeat si Rom. Pont. in difficillimis Christianæ Reip. temporibus, aduersisque rerum angustiis, non

tam

tam promptam ab Hiſpanis, quam à Gallis vtpote vicinioribus opem ſint experti; Cum enim Hiſpani Reges immenſis terrarum atque marium ſpatiis ab A. S. diſſiti, frequentibus Maurorum in Hiſpanias exundantium aggreſſionibus impediti, non parum in diſſipandis illis perditorum hominum examinibus laborarint, qui fieri poterat, vt diſtentas intra Regni fines copias, eiuſque ſecuritati attentas, iuuandis aliis diſtraherent? nihilominùs de promptiſſima Hiſpanorum Regum pro iuuandis Pontificibus voluntate fidem ſæpiùs faciunt hiſtoriæ, quoties enim ab ipſis aut ad ferendas ſuppetias inclamati, aut erogandis ad Cruciatas pecuniis Chriſtianorum in ſeruitute gementium clamoribus benignas præbere aures, beneficaſve adhibere manus inuitati, dicto faciles ſe præbuêre, ſicque ſupremo Chriſti corporis Capiti ſtrictiſſimo ſemper neceſſitudinis vinculo coniuncti perpetua in ampliſſimis regnis felicitate, bonorumque omnium copia floruêre; nam ſi Antiochus Sedetes Idolorum ſeruus ſummum Sacerdotem Hircanum tanti fecit, vt in eius gratiam Ciuitatem Hieruſalem multis cumulauerit beneficiis, quanta Hiſpaniæ Reges ſummum Eccleſiæ Hierarcham, Hircano, Moyſe, & Aaron magnis Iſraëlitici populi Præſulibus ſuperiorem ſemper veneratione ſunt proſequuti, antiqui Patris placiti optimè gnari, quo ſic aiebat: *Moyſi commiſſa fuit vna plebs Iſraelitica, iſti autem vniuerſa Eccleſia; Et plus quam Angelus hic: Cui enim Angelorum dixit aliquando Deus: Quæcumque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis: ſecundum officium dico, non ſecundum meritum: præter Deum non eſt ſimilis illi nec in cælo, nec in terra.*

Ioſeph. l. 13. c. 16.

In orat. habita in Cõc. Rhemenſi. Ann. 1131.

Nec funeſtos Chriſtianæ Eccleſiæ ſponſi perſequutorum exitum ignorauêre, quos inter Ludouicus Bauarus Siculi regni, bonorumque Eccleſiæ vſurpator, qui in hæreſim Fraticellorum miſerè lapſus, & Sum. Pont. Electionis approbationem vſurpans, extremæ impœnitentiæ pœna mulctatus periit: Federicus item II. Imp. ab Innocentio IV. perculſus anathemate temeritatis ſuæ pœnas dedit, eiuſque filius nothus Manfredus Siciliæ Tyrannus in Vrbanum

num IV. inſoleſcens, Caroli Andegauenſis S. Ludouici fratris generoſo in Italiam appulſu, in mediis ſuorum cadaueribus infelicem perdidit animam, de qua victoria ipſe Carolus victor ad Vrbanum ſcripſit, *Campum oculis corpora mortuorum ſuperiacentia celauiſſe*: Hoc autem perfido atque in Pontifices rebelli Manfredo poſitum fuit epitaphium:

Hic iaceo Caroli Manfredus Marte ſubactus,
Cæſaris heredi non fuit orbe locus.
Sum patris ex odiis auſus confligere Petro,
Mars dedit hic mortem, mors mihi cuncta tulit.

SECTIO SEPTIMA.

HISPANI Capitales Hæreticorum Hoſtes.

2. Paralip. 23. & Deuteron. 17.

CVm ſupremus terrenorum Regum Monarcha Iudæ Regibus ipſo coronationis die tenendam in manu deſcribendamque, ac cunctis vitæ diebus euoluendam Legem eis dari præcepit, ſuam cum diuina Lege coniungendam poteſtatem eos docere voluit, ſi felicitate regnum beari cuperent; perfectiſſimus Iudæ Regum Ioſias ſui erga Legale Volumen officij non immemor, conuocatis in Templo Sacerdotibus, coram cunctis eamdem ſe Fidei ac Legi obedientiam, quam à ſubditis ſibi vellet exhiberi, præſtiturum ſpopondit: Hiſpaniæ Reges ab aliis Regibus ſe vinci pietate nunquam ſiuère, nam ab ipſo penè eorum Fidei exordio ſe nonniſi ad Fidei Catholicæ defenſionem, eiuſque perduelles aut debilitandos, aut omninò extinguendos ſceptro potiri demonſtrauêre.

Hic omnia ſimùl bella congerere ſuperfluum foret, quibus erumpentes in Hiſpanias Mauros tam ſæpè generoſis animis propulſarunt; quædam, vbi de ipſorum religione, ſuprà tetigimus: Vt verò ad noſtra propiùs tempora veniamus; Annus Chriſti 1517. inſignis æque ac funeſtus duabus potiſſimùm rebus fuit, euerſo Ægypti imperio, atque exitialis Lutheri hæreſis ortu; cuius excitandæ hæc occaſio extitit: Iulius P. M. Vaticani Templi ſtructuram

in

inchoarat; Leo succeſſor veniam peccatorum pollicebatur toto orbe, quicumque in eum vſum æs paruum erogarent: Albertus Moguntinus Præſul eius veniæ in Germania euulgandæ Terzelio Dominicano ſodali curam imponit; Vvitembergæ in Saxonia Dux Fridericus ſcholam paulò ante fundarat; Sacrarum in ea litterarum profeſſor Mart. Lutherus Auguſtinianus pro concione populum admonuit, ne ſe quæſtorum impoſturis deludi ſinerent, Romanas merces non eſſe tanti, pecunias poſſe alibi vtiliùs collocari, ab iis initiis hominis vecordia aucta cum multi faciles aures præberent, incendium toto fermè orbe eſt excitatum, quod multi anni non reſtinguant; malum multorum occurſu exacerbatum recruduit, quod contemptu fortaſſis cecidiſſet: Verum præterita accuſare, quàm mutare faciliùs eſt.

Tanto per Germanicas ſerpente prouincias malo, impenſiùs multò quàm ante Summi Pontifices de Fide quæſtiones intendêre, Chriſtianique Principes, vt cuique Religio, reſque publica cordi erat, enixiùs in eam curam incubuêre: Et verò Carolus Imp. cuius in primis auxilium ſpectabat læſa Religio, veteri Cæſarum Exemplo, Leges ſibi ſtatuendas per Imperij ac Belgij Prouincias illicò duxit aduerſus Catholicæ Fidei corruptores: Quare Vvormatiæ in celeberrimo Procerum conuentu Martinũ Lutherum ab Summo Pontifice damnatum, ipſe quoque Septemuirũm Auguſtalium, Imperiique Principum atque ordinum ſuffragiis damnat, proſcribitque, ac proſcriptionis edictum eodem anno qui fuit vigeſimusprimus ſuprà ſeſquimilleſimum per omnes Imperij, ac patrimonij ſui Prouincias proponit. Leo X.

Cum verò nihil propterea malum remitteret, imo, vt (*flagitia impetu valent*) intra paucos menſes ea contagio florentiſſimas ciuitates afficeret, aut afflaret, Cæſar & reis alicubi ſupplicio affectis, & nouis vbique, & amplioribus quæ ſepties repetiit, edictis, medicinam conatus eſt facere furenti, volaticoque morbo: Quin etiam cum poſtulaſſet à Pontifice Cenſores Fidei, accepiſſetque, eorum auctoritati, ſecuritatique cauens multa ſanciuit, quæ anni mil-

lesimi, quingentesimi, quinquagesimique Placito præscribuntur.

Ann.1530. Quid non molitus Cæsar, quominus grassantem multosq; inficientem auerteret contagionem? in Germaniam Imperij sui initio profectus, Comitia Principum Augustæ Vvin-
Ann.1536. delicorum celebrauit: Eius insuper auctoritate Concilium Coloniæ habitum est actionum Præside Hermanno Colo-
Ann.1543. nienſi Præsule: Carolus rebus in Hispania præfecto Philippo filio de Italia & Germania sollicitus Pontificem Paulum III. conuenit, quocum de Concilio œcumenico actum, ad quod iam Legati Pontificij Tridenti Episcoporum aduentum præstolabantur: In Germania sequenti anno cum
Ann.1545. sectariis actum, vt Tridentini Concilij iudicio starent, Conuentus Vvormatiæ ea causa habiti; aderat Imper. & Alexander Farnesius Card. ab auo Pontifice Legatus, sed nihil impetratum, Luthero præsertim nouis libris editis
Ann.1546. faces subdente, qui, iusto tandem Dei iudicio, Isslebij vbi natus erat, ex nimio, quo se ingurgitarat, cibo mortuus in lecto repertus.

Ann.1548. Ad hæc Concilio è Tridento Bononiam translato, ac paulò post soluto Cæsar multum indoluit, quippe qui inter pacis conditiones à Principibus plerisque & Germaniæ ciuitatibus expresserat, vt Tridentinis Patribus arbitrium de
Ann.1549. Religione permitterent: Proximo anno Concilia Treuirense, Moguntinum, & Coloniense habita, quæ omnia sanandis populorum animis instituta.

Ann.1555. Cum autem Carolus Imp. Philippo filio de manu regna latissima tradidisset, & contempto, quam gesto Imperio mirabilior, otij cupidus in agro Placentino apud Hieronymianam Eremum se abdidisset, Philippus Rex vbi in Belgij possessionem intulit pedem, statim paternas de stabilienda in hæreticos Inquisitione Leges nouo edicto firmauit, rem tamen haud promouit implicitus bello, donec anno quinquagesimo nono, cum primū à bello nactus est otium, reuocauit illicò animum ad Religionem stabiliendam, discedensque à Belgio, mandata sorori Gubernatrici, & Granuellano Antistiti dedit, enixè curarent, vt Caroli

pla

placita, & cautiones, quas ipse Rex pro Pontificiis Quæsitoribus confirmarat, exquisitè seruarentur.

Neque hic quieuit Philippi in comprimendis hæresibus ardor, nam Egmontio Duci sororis Legato in Belgium reuersuro amplissimè instructum tradidit commentarium, cuius summa hæc fuit: *Principio se dolore incredibili perculsum audito hæreticorum progressu, certumque ac fixum animo manere, idque testatum omnibus velle; Nullam suis in regnis mutationem Religionis se passurum, licet ea gratia sibi millies occumbendum foret; proinde optare vt gubernatrix Senatum extra ordinem cogat, in quem aliquot Episcopi, ac Rythouius inprimis Antistites Iprensis, totidemque Theologi, atque ex Consiliariis ij, qui Religionis, quique patriæ amantiores sunt, aduocentur, specie quidem de Tridentino Concilio differendi, re autem ipsa, vt rationem commonstrent, qua populi in auita Religione strenue contineri, qua pueri sincere in scholis erudiri, qua in plectendis hæreticis alia iniri via sine offensione queat, non vt ab eorum supplicijs quicquam cesserur (id enim sibi consilium non esse, neque existimaret gratum id futurum Deo, aut Religioni salutare) sed vt in eos dum animaduertitur, spes omnis gloriosa, pro qua se impie deuouent, præcludatur.*

Quo denique calamitoso circa annum sexagesimum suprà sesquimillesimum tempore Caluinianorum impunè debacchantium Hæreticorum furore turbata gemebat Gallia Philippus non dormitauit, vti fusiùs suprà recensuimus, Cap. 5. nam graues ad Galliæ Regem eiusque matrem dedit litteras, quibus molliorem eorum in comprimendis perduellium conatibus agendi rationem carpebat, suarumque copiarum vires obtulit, quo tanto citiùs malo occurrerent, monstrumque iam nimium adolescens, corruptoque venenati sui dogmatis halitu non modo populos, sed & Primates inficiens opprimerent.

Sin autem tanta sollicitudine ad compescendos in alieno Fœderatorum solo Hæreticos laborauit, non minorem suis in regnis ad euellendas penitùs tam contagiosi mali radices nauauit operam, & vt subditi sibi populi ab ea nouarum opinionum scabie, quam fatigando, corrumpendoque hu-

mano generi tartareus hoſtis immiſerat præcauerent, accuratam Cenſorum fidei adhibuit diligentiam, quorum ſuffragiis controuerſiæ finirentur, qui ſtricta iudicij forma de reis ſupplicia ſumpsêre, quorum ſupplicio territi non pauci, in officio ſe continuêre, idque qui ſupplicio afficiebantur, non rarò Eccleſiæ reſtituti: Atque in hunc modum ſtabilita per vniuerſas regnorum ſuorum ditiones Religione indomitam hæreſeon belluam à ſuis procul finibus amandatam in tartarum vnde oritur, quantocyùs detruſit.

Porrò vt orthodoxa firmiùs Religio perſtaret, metus qui lictor eſt Legum fuit à principio intentatus, mulctæque ac pœnæ in contumaces indictæ atque exactæ, mitiores ab iure Pontificio, ab Cæſareo grauiores; vnde labentibus retrò annis ſub Philippis III. & IV. eiuſdem ſeueræ Legum obſeruationis beneficio omnis hæreticæ prauitatis expers atque omninò ſana floret Hiſpania, nam dum ſacra Religionis anchora perſiſtit immota, nil omninò à fluctibus Reipublicæ naui pertimeſcendum; qua in noſtris proh dolor! Galliis emota, quantas ſeditionum procellas, quantas ſtrages experti ſumus: Nec mirum; eſt Hæreſis contumaciæ rudimentum, dumque ex hominum mentibus ſenſim excutit Dei iugum, detrectare, atque excutere humana imperia ſimiliter docet.

An obſcurum eſt huc demùm deſinere noſtro hoc ſæculo ſapientiam hæreticorum, vt iis quæ in Catholica Religione populo grauiora videntur, abſciſſis, ac prætextu in Deum fiduciæ, timore eius extenuato, atque expuncto, omni Religione mortales, Dei iam ſecuros expediant, atque ad extremum nullum eſſe vſpiam Numen aſſeuerent: Quod qui ſibi perſuaderi ſemel eſt paſſus, expulitque ab animo eum, quem natura Dominum impoſuit, is reliqua imperia ac Dominos non minùs aſpernabitur, quam ij, qui vbi defecerint à Rege, minores Magiſtratus facile contemnunt:

Ex dictis itaque patet, quàm glorioſam inuictiſſimi Hiſpaniarum moderatores nominis laudem, atque in delen-

dis

Catholicæ Fidei perduellibus apud posteros famam compararint: Glorioſiſſimus CATHOLICI Regis titulus, quo potiſſimum inſigniti præ cæteris auguſtiſſimis Monarchici Imperij prærogatiuis gloriantur, hæreditarium iſtorum Regum in propugnanda Fide ardorem clariſſimè demonſtrat; Omnium primus Reccaredus in Concilio III. Toletano CATHOLICVS fuit acclamatus, peculiarique velut nota glorioſiſſimè decoratus: Cuius item titulo Chintila in Toletano VI. & Recceſuinthus IX. Conciliis, tandem Alfonſus, ac nouiſſimè Ferdinandus fuêre decorati; *Erat Alfonſus* (inquit Mariana) *belli & pacis actibus peraque inſtructus, animi conſtantia rebus in aduerſis, & perpetua rerum geſtarum felicitate admirandus, Religionis cultor eximius, vnde CATHOLICI cognomentum acceſſit: quod Reccaredo olim Regi, quo tempore vniuerſam Gothorum gentem repudiatis Arij opinionibus in Catholicæ Eccleſiæ caſtra reuocauit, Toletano Epiſcoporum Conuentu acclamatum, intermiſſiſque multis ætatibus Iulius eo nomine II. P. M. in Ferdinando Aragoniæ Rege inſtauranit, effecitque vt conſequentibus Regibus proprium, hereditariumque eſſet*: Vnde Baronius ad calcem anni Domini 638. præſtantiſſimum hoc Hiſpanorum Regum reueritus inſigne ità fatur: *Hæc de Regibus ſucceſſoribus ſancta Synodus Rege ipſo fauente decreuit, vt appareat haud eſſe recentem, vel indebite vſurpatum titulum Hiſpaniarum Regum vt CATHOLICI cognominentur; vtpote tanto facti titulo digni, quod non ſolum iurent ſe fore Catholicos, ſed neque paſſuros quemquam non Catholicum in ampliſſimo ſuo Regno penitùs reperiri.* Lib. 7. c. 4.

Præclariſſimum illud Ludouici Nonnij de Hiſpanis Fidei ardore ſuccenſis encomium mihi venit in mentem: *de Religione quid attinet dicere? cum nuſpiàm penè terrarum plus ſanguinis pro Chriſto ſit effuſum, nec puriùs alibi ſeruata, aut feliciùs in remotiſſimas orbis plagas propagata ſit, &c.* Hiſt. c. 6.

Cum igitur Catholici Hiſpaniarum Reges, motis hucvſque in perduelles armis, de eiſdem magnificos egerint triumphos, quantam iterato nuper cum Chriſtianiſſimo Galliarum Rege pacis fœdere, pro feliciſſimo eiuſdem rei

exitu fiduciam toti Christiano orbi pollicentur? Et verò maximi ipsorum interest hæresim populorum concitatricem de medio tollere, quæ imperij firmamenta apertè conuellit, nempe tot hominum millium vni subiacentium, vnumque timentium vnanimem consensum, quem reuerentia inprimis, ac metus firmant, præsertim quia singulorum interest si vniuersi regantur: Hæc autem firma regni præsidia quid nisi hæresis deiicere conatur? cuius buccinatores Christianæ libertatis specie, in mores vitamque Principum non surdis vulgi auribus assiduè atque acerbè declamant; quorum præceptionibus, & tanquam sacris imbuti animi multitudinis haud mirum si tantum & Principi detrahant de auctoritate imperandi, & sibi addant de immunitate parendi.

Insitum est à naturâ hominibus auersari Dominos, atque ægrè imperia pati, quid facient impulsi quotidianis declamationum flabris, ac tuti fidentesque Religionis obiectu? Satis exemplo sunt, eruntque posteris nostræ, vicinæque Aquilonariæ regiones, quas paucorum hominum turbulentis concionibus excitas toties armauit hæresis in Dominos, inexpiabili populorum, ac prouinciarum clade.

Quare inclyti populorum arbitri, cum tanta Ecclesiæ, vobis, ac subditis damna conciliet hæresis, si florentem Religionis statum, si vestram saluam & incolumem conseruare vultis authoritatem, si in recta ciuitatum regnorumque administratione tranquillam populorum obedientiam, debitamque vobis exhiberi optatis reuerentiam, absque morâ factiosas hæreticorum turmas nouitatis amatrices, dissolutæque libertatis auidas, aut suauibus Christi Legum vinculis astringite, rationabilique subiectionis pacificæ officio continete, aut contumaces, inquietosque perditorum animos meritis coërcete suppliciis, imminentemque vestris perniciem capitibus procùl auertite.

SECTIO

SECTIO OCTAVA.

HISPANI pro Christianæ Fidei penes barbaros, infideles, ac Turcos propagatione zelosissimi.

FIdem virtutum omnium originem esse, vti radix omnis plantæ principium existit, nemo verè Catholicus negarit; *Quid miraris*, inquirit Ambrosius, *si pietatem non agnouit Cain, qui non agnouit authorem, & ideò doceris hac serie Scripturarum Fidem esse radicem*: Et Chrysostomus in exhibendis comparationibus naturæ rerum pictor insignis de Fide sic differit: *Sicut planta absque radice fructum non profert, ita absque Fidei fundamento non prouenit sermo doctrinæ*: Et S. Ignatius M. Fidem *vitæ spiritualis principium* nominat: Angelicus quoque Doctor *Fides*, inquit, *est necessaria tanquam principium spiritualis vitæ, & ideò præsupponitur ad legis susceptionem*: Sed & Eulogius M. Toletanus Antistes Fidem impenetrabile, iuxta Apostoli mentem, Iustorum scutum, *in quo possint omnia nequissimi ignea tela extinguere*, atque mundi vesanos eludere conatus, asserere non dubitauit: *Fundamentum*, ait, *omnium virtutum, signumque victoriæ fides est, per quam iusti viuunt, per quam sancti omnes regna vicerunt*.

Lib. 2. de Cain & Abel c. 9.

In Epist. 2. Corinth. 4.

Epist. ad Ephes. 2. 2. q. 6.

Ephes. 6. 16.

L. 1. Memorial. SS t. 9. Bibliotheca PP.

Hanc porrò Fidei excellentiam cum probè callerent Hispani, vbi primùm in eorum regnis affulgere cœpit, & glorioso S. Hermenegildi M. nitidissimi Hispaniarum syderis agone consecrata, illustri pariter tanti Principis martyrio coronata est, eam tanto deinceps pretio habuêre, vt statim post pretiosam S. Martyris mortem Reccaredus ipsius Frater Regni heres, abiuratis Arianismi erroribus, subditos sibi populos iisdem sinceræ Fidei luminibus collustrarit, eamque pro viribus propagare non destiterit, vnde celebratissimo CATHOLICI REGIS nomine, vti suprà diximus, congregatorum in Concilio Patrum veridico ore insigniri meruerit; cuius illustria posteri exempla secuti,

cuti, Fidei hoſtes ſiue intra regni fines, ſiue ad Occiduas vſque Orientaleſve extremi orbis plagas indefeſſis laboribus inſectati, CATHOLICI Regis titulum theſauris omnibus ſibi cariorem ad noſtra vſque tempora illibatum conſeruarunt: Sanguineas atque mirabiles eorum de Mauris reportatas toties victorias ſuprà percurrimus, haud abſimili Catholicæ Religionis ſplendori, atque immortali gloriæ aduerſus Turcas alioſque Fidei perduelles Hiſpaniarum Regum enituit zelus.

Enimverò Chriſtiani nominis tuendi, atque vbiuis terrarum dilatandi ſemper ſtudioſiſſimi, maiores procul dubio indies conatus feciſſent, ſuaſque feruentiùs exacuiſſent vires; quin & numeroſiores, validioreſque copias in lunatorum Turcarum direxiſſent perniciem, niſi eas continuis Maurorum incurſionibus impetitas, circundataſve intra regnorum ſuorum fines continere fatali quadam neceſſitate fuiſſent adacti: Nihilominùs à ſummis interdum Pontificibus ad arma capeſſenda inuitati, necnon ad reſarciendas Terræ Sanctæ ruinas, componendaſque res multis excitati vicibus reperiuntur.

De Alexandro IV. Pont. Max. Fidem faciunt Hiſtorici, quod Alfonſum Caſtellæ ac Legionis inclytum Regem de lugubri Syriacorum Chriſtianorum ſtatu fecit certiorem, verbiſque quam potuit efficaciſſimis, vt regali ſua munificentia copias ſemper ad laceſſendum hoſtem paratas foueret, ſuoque alios Principes exemplo ad tam laudabile opus incitaret.

Quantam nauauit operam Ioannes XXI. vt Philippum Franciæ Regem cum Caſtellæ & Legionis Rege conciliaret, vt eorum copiis Fidei aduerſarij expugnarentur: Audi ipſius voces ab intimo cordis prolatas, quibus Franciæ Regem ad pacem hortatur: *Habet infauſti rumoris aſſertio, quod humani generis inimicus, pacis hoſtis, amator litium, inter te & chariſsimum in Chriſto Filium noſtrum Regem Caſtellæ ac Legionis illuſtrem materiam grauis diſſenſionis ingeſsit, vſque adeò Principes commouens diſsidentes, vt inter ſe non iuribus, ſed viribus, nec viis pacificis, ſed congreſsibus bellicis exortam dirimere*

Annal. Eccl. Ann. 1276. 47.

mere quæstionem decreuerint: Si diligenti meditatione discutitur, multum hæc Regis vtriusque nomini detrahunt, multum famæ derogatur & honori: Quid enim pietas non tam loquitur, quàm Crucis hostis; quid orthodoxæ Fidei æmulus nefario sermone disseminat? quid submurmurat infidelis? Attendentes igitur tam dispendiosum mundi periculum, & specialiter Terræ Sanctæ, cuius lachrymæ singulariter ad te clamant, &c.

Porrò ad extinguendam hanc erumpentis belli flammam directi ad vtrumque Regem ab eodem Pontifice Legati fuêre: Neque omisit Nicolaus III. eorumdem animos Legationibus ac litteris amantissimis conciliare: *Quia memorati Regis* (inter cætera sic ait ad Castellæ Regem scribens) *& tua dissensio multis est onusta periculis, magnis est plena dispendiis, multorum discrimina secum trahit, vtilia Dei seruitia impedit, animarum exitia, excidia corporum, vastitates rerum, & alia horrenda, quæ accusat Dominus, comminatur, cogit charitas, hortatur pietas vt non desistamus à cæptis, &c.* Ibidem. *Ann.* 1278. 30.

Hoc ipsum idem Pontifex apud eumdem Regem sollicita precum instantia est prosequutus his verbis ad nostrum institutum maximè accommodis: *Ecce, fili carissime, te ac charissimum in Christo filium nostrum Regem Francorum illustrem sermo iste complectitur: Terræ siquidem zelatores illius vos querelis grauibus impetunt, &c. Verum terra præfata dum tuorum & Regis ipsius prædecessorum contra eiusdem Fidei persecutores magnifica gesta recensetur, tuaque ac illius aduersus persecutores eosdem impensa præsidia in considerationis tuæ scrutinio non omittit, in quadam confidentia roboratione consurgens, tibi & ei statum suum confidenter insinuat, & implorans humiliter, quibuslibet submotis obstaculis, ac præcipuè ipsa tua, & eiusdem Regis discordia, quæ maximè desideriis suis obstat, pace sedata, vel treuga prolixiori suspensa suum accelerari succursum, euidentes vtilitates accelerationis exponit, nec postponit immensa dispendia tarditatis, &c.* Ibidem. *Ann.* 1580. 12.

Quin & Clemens IV. Castellanum, Aragonium, ac Lusitanum Reges ad ferendas laboranti Syriæ suppetias vrgere non destitit: Iamque suo loco eximiam à Calixto III. PP. lucidissimo Hispaniarum decore nauatam operam ad

omnimodam, si fieri posset, Turcarum euersionem conspeximus: Atque inter cæteros Principes eximios Christiani nominis propugnatores, quos validis Pastor optimus argumentis ad rem hanc feliciter promouendam excitauit, Alfonsus Aragonum Rex annumeratur, ad quem Calixtus aliquando scripsit in hunc modum: *Infelices Christiani, quos tanta cæcitas exagitat, vt nec prementibus hostibus domestica deponant odia: Surgat igitur Serenitas tua, & quod potuerit huic periculo remedium adhibeat: Cæteri Principes in tuam sublimitatem cuncti ferè contorquent oculos, eam ipsam, quicquid egerit, sequuturi; neque enim Rex est in orbe Christiano apud quem plus auctoritatis, quàm apud te sit, qui regnorum potentia, rei militaris peritia, experientia rerum multarum, & incredibili sapientia cæteris Europæ Principibus antecellis, &c.*

Alphonsus licet conceptum huiusmodi profectionis in Turcas votum domesticis impeditus bellis, frequentibusve Maurorum incursionibus pluries infregerit, morti vicinus sexaginta nummorum millia pro Turcica expeditione Pontifici legauit:

Ann. 1570. Annus millesimus quingentesimus septuagesimus nulla re illustrior fuit, quàm bello Cyprio, & occasione ex eo fœderis inter Christianos Principes sanciti aduersus Turcarum vires sacratissimi, quod paulò altiùs explicamus: Erat Venetis cum Turcis pax ab annis 30. immota: Selimus Imp. à præclaro initio cupiens acceptum imperium auspicari, Arabibus breui domitis, Persaque pacato, de Cypro cogitauit: Ea insula Ciliciæ obiecta, & ab ea angusto freto dirempta Venetis parebat: Missi Venetias qui vltrò dedi petant; recusantibus bellum denuntient: Graue id postulatum visum est: Ventum ad arma: Turcæ valida classe initio Iulij mensis traiiciunt Ductore Mustapha: E duabus eius insulæ præcipuis vrbibus Nicosia ad quintum Idus Septembris expugnata, Famagustam (quæ olim *Tamasus* fuit, aut *Salamis*) itum est: Dum obsidio educitur, Venetorum classis subsidio missa Cretam appulit.

Appulere eodem sexaginta triremes à Philippo Rege missæ Duce Ioanne Andrea Auria Genuensi Octobri mense

se clauso iam mari in hiberna discessum est nullo operę pretio, nisi quod Marcus Quirinus cum duodecim triremibus & aliquot onerariis iussus in Cyprum nauigare Famagustam supplementum & commeatum intulit: Eodem tempore Pij V. Pontificis summa diligentia fœdus inter Philippum II. Regem, & Venetos sancitum est: Ex quo ducentas triremes, peditum millia quinquaginta, equites quatuor millia compararent: Sumptuum sextam Pontifex sustineret, tertiam Veneti, Hispanus conferret dimidium: Pontificiis triremibus M. Antonius Columna Præfectus, Romanus patria, gratus Hispanis; Venetis Sebastianus Venerius Dux fuit: Hispanicis atque adeò totius imperij classici summæ Ioannes Austriacus consensu delectus Imperator.

His ita constitutis Austriacus Messanam Siciliæ vrbem appulit mense Augusto, cuius mensis die nono Famagusta in Cypro annuæ obsidionis malis ad deditionis conditiones redacta est, quas victor barbarus non seruauit: Barbaræ crudelitatis exempla in dedititios edita, nulla fidei memoria: Socialis classis è Sicilia profecta ad sextum decimum Kal. Octobris Echinadas insulas tenuit, sinui Corinthiaco (*Lepanticum* vocant) vbi Turcarum classem agere nuntiatum erat, obiectas: Pugnandi cupidi Duces, militesque conscientiis expiatis expediunt arma: Veneti dextrum cornu tenuêre, Auria sinistrum, medium Austriacus ductabat. Columna claudebat agmen, Aluarus Bacianus Marchio Sanctacrucius in subsidiis cum triginta triremibus curabat. Hostes sinus fauces egressi de more lunata acie concurrunt. Sex nostrorum rostratæ maiores, seu galeatæ in fronte tormentis disploſis conturbarunt hostes; secundum eas primus Austriacus in prætoriam Turcarum impetum facit, quæ, ægrè quamuis, sed expugnata, occisoque summo hostium Duce Hali Bassa, & duobus eius filiis captis victoria ad nostros inclinauit: Miserabilis facies, dissoni clamores, cædere, sequi, nauigia quassari, mergi, capi, mare telis & cadaueribus constratum, atratum sanguine, pulueris nube diem, solemque subductum cernere erat: Magna strages fuit, ducentæ triremes pars captæ, pars submersæ, cæ- *Ann. 1571.*

ſi hoſtes, captique ad viginti millia, è noſtris non pauci deſiderati, iique genere aut factis clariſſimi. Nulla à multis ſæculis victoria illuſtrior fama, iucundior fructu; clara, & antiquis victoriis par ea die laus eſt à noſtris parta. Vchiali pirata, dextro noſtrorum cornu vexato, cum non paucis triremibus euaſit; id vnum ad felicitatis cumulum defuit: Feſta vbique lætitia celebrata inter pios. Pugnatum eſt Nonis Octobris, quo die Toleti quotannis, aliiſque in Vrbibus eius victoriæ anniuerſariis ſacris inſtauratur memoria.

Et meritò; quis enim Chriſti eiuſque Eccleſiæ honoris ſtudioſus feſtos non agat dies, quoties Fidei hoſtes delentur? Viuet æternùm tam inſignis victoriæ memoria, quâ tantum ſuo nomini ſplendorem Hiſpani in nequiſſimorum perniciem Turcorum armati ſub Sanctiſſimi Pontificis auſpiciis vnà cum Venetis, aliiſque nobilibus Italis compararunt: Ecquas tandem terras Hiſpani intenſiſſimo propagandæ Fidei deſiderio non peragrarunt? *Quæ regio in terris veſtri non plena laboris?* ô egregij ſementis Euangelicæ ſatores? Quaſnam vobis referant gratias tot barbarorum greges veſtris cicurati eloquiis, radiãtique Fidei lumine colluſtrati? Quibus veſtræ charitatis reſpondeant officiis, quâ tantũ pro ipſorum ſalute laboraſtis? Quibus in Orientis Occidentiſve regionibus Dominicæ Crucis vexillum non extuliſtis? Quot pericula vitæ terrâ marique non adiuiſtis? Quot labores non deuoraſtis? Quot iniurias ſuſtinuiſtis? Quot maledicta toleraſtis? Quomodo Chriſtum portaſtis? Quomodo prædicatione Eccleſias fundaſtis, fundataſque lætificaſtis? Sint benedicta veſtræ linguæ inſtrumenta: pretioſis Chriſti inſignibus, preſſuris nempè atque ſudoribus veſtra ſignata ſunt membra: *In omnem* ſanè *terram exiuit veſter ſonus, & verba veſtra in fines orbis terræ.*

Ciſtercienſem ſub Bernardi regula militantem Familiam in nullo loco, quàm in Hiſpaniæ Regnis fuiſſe *Terribilem vt caſtrorum aciem ordinatam* ſuperiùs inſinuauimus: Cum enim Templarij milites continuis Arabum incurſionibus fatigati Calatrauam oppidum in Oretanorum populis citerioris Hiſpaniæ non procul ab Ana flumine in muni-

Cap. 7. Ordo Calatrauæ in Hiſpan. Martyrol. Hiſp. 20. Aug.

tiſſi

tissimo & arduo loco situm reliquissent, Sanctio Castellæ Regi huius nominis III. populandum dimisêre; quod cum nullus procerum suo periculo defendendum susciperet, Deo annuente, Raymundus Fiterensis Abbas in Vasconia qui Toleti eo tempore moram trahebat, suadente Didaco Velasquio socio, olim in sæculo strenuissimo milite, Calatrauam à Rege defensandam suo Ordini flagitauit: Sanctius Rex Abbatis sanctitatem cognoscens, ei factum hocce, authore Deo, tradidit, & pauperi Abbati totius illius prouinciæ curam & dominium commisit: Qui ad Ioannem Toletanæ Ecclesiæ Præsulem veniens, & onus super eius humeros impositum referens, ab eo approbationem, & auxilium facilè impetrauit.

Publicato per vrbes negotio, multi quos deuotio incitauit, temperato habitu, vt militaris expoſcebat agilitas, eum ordinem receperunt, & in continenti contra Arabes cædes & prœlia exercere, Domino adiuuante, cœperunt: Hoc fuit militaris huius Religionis exordium, cui regulam præscripsit Raymundus prædictus Abbas: Post D. Garciæ huius nominis III. Magistri obitum, Reges Catholici Ferdinandus & Isabella Castellæ, Legionis, Aragoniæ, & vtriusque Siciliæ gratiam obtinuêre, vt huius Ordinis administratio in perpetuum penes Hispaniæ Reges existeret, & ideò ipsi Carolus V. Philippus II. III. & nunc IV. Hispanici Reges hunc Ordinem rexêre, & regit.

Floret quoque in Hispaniis Alcantaræ Ordo, quem olim & primitùs S. Iuliani del Pereyro dictum fuisse nullus dubitat, cuius nominis origo sumpsit exordium ab oppido, quo fuit institutus in Diœcesi Ciuitatensi ad ripam fluminis Coæ: ab Alexandro III. confirmationem accepit: Postea Lucius III. P. M. ipsi S. Benedicti regulam præscripsit certo moderamine subsignatam, provt militarem ordinem decebat; Crucem viridem in extremis liliatam gerit. Ordo Alcantaræ. Ibid. *Ann.* 1177. *Ann.* 1183.

Sed & in Portugallia Equitum de Auis Ordo militat, qui regulam accepit à B. Ioan. Cirita Abb. Taurocano, & post modum militiæ Calatrauensium se subdidit. *Ann.* 1272. Equit. de Auis in Lusit.

Denique viget Equitum Montesæ Ordo, qui ann. 1317. Montesæ.

sumpsit exordium à Ioanne XXII. approbatus: Et in Portugallia Ordo Equitum Christi, qui in Templariorum locum succesſit, inſtante Dionyſio Luſitaniæ Rege qui Legatos ad Rom. Pont. Auenione commorantem eius nomine confirmationem petituros direxit, cuius ſupplicationibus inclinatus Summus Antiſtes omnia conceſſit, & tunc Ordo iſte militare cœpit.

Ordo Equit. Christi Ibid.

Hæ ſunt in Hiſpaniis aduerſus Dei & Eccleſiæ hoſtes ordinatæ acies, quas Tartarei formident miniſtri, lunatique ſimul cum hæreticis in Chriſtianæ Reipublicæ ruinam coniurati meritò expaueſcant: Sic nempe hæreſes deteſtatur fugatque Hiſpania, vt paratas ad eorum excidium ſemper teneat in excubiis phalanges, quibus nequiſſimos quoſque Fidei aduerſarios penitùs deleat, aut certè ſanioribus imbutos conſiliis ad meliorem reuocet mentem, tutioribuſve Seruatoris omnium caſtris adiungat.

Cum igitur florentiſſimæ Galliarum atque Hiſpaniarum nationes ab ipſis Fidei ſuæ cunabulis Religionem, atque Sedis Apoſtolicæ reuerentiam, defenſionemque tanto ſint ſtudio complexæ; & cum toti infeſtas humano generi hæreticorum peſtes capitali ſint odio proſecutæ, adeò vt numeroſos ipſorum exercitus generosè diſruptos ac profligatos penè ad nihilum redegerint: Cum denique confertiſſimas barbarorum, infideliumque Turcarum acies perfregerint, atque denſiſſimas veluti nubes diſſiparint, nunquid ad vos, ô inuictiſſimi Reges, conuerſos omnium fidelium oculos intuemini? qui perditiſſimos quoſque Chriſtiani nominis hoſtes conſociatis veſtrarum copiarum viribus breui conterendos iteratis omnes expectant votis; Veſtras, quæ-

An. 1603. 5. ſo, feriant aures incenſa Sylueſtri II. è Galliis oriundi verba, qui, vt ait Baronius, primus ſanctæ militiæ claſſicum cecinit commodiori tempore promouendæ, & nunc conciues ſuos ad idem proſequendum excitat, ſic autem intonat:

Ex perſona Hieruſalem deuaſtatæ Vniuerſali Eccleſiæ
Ea quæ eſt Hieroſolymis Vniuerſali Eccleſiæ
Sceptris Regnorum imperanti.

Cum benè vigeas immaculata ſponſa Domini, cuius membrum

brum me esse fateor, spes mihi maxima per te caput attollendi iam penè attritæ: An quidquam diffiderem de te rerum Domina, si me recognoscis tuam? Quisquamne tuorum famosam cladem illatam mihi putare debebit ad se minimè pertinere, vtque rerum infimam abhorrere? En quamuis nunc deiecta, tamen habet me orbis terrarum optimam sui partem, &c. Enitere ergo miles Christi, esto signifer & compugnator, & quod armis nequis, consilio & opum auxilio subueni, &c.

Hæc sanè præcipua fuit ratio, ô Reges, quæ summos Ecclesiæ Pastores ad vos arctissimo pacis fœdere vinciendos excitauit; huc indefessum eorumdem in continuis ad vos directis Legationibus tendit studium, vt videlicet coniunctis simul animis, validaque vtriusque gentis multitudine roborati immanissimis Fidei hostibus non mediocrem incutiatis pauorem; & cum vtrique aduersus Turcas elapsis retrò sæculis gloriosè dimicaueritis, processuque temporis nouas in eos expeditiones dirigere non destiteritis, in hac recenti inter vos renouata, faustoque LVDOVICI XIV. Christianissimi Regis cum MARIA TERESA AVSTRIACA connubio firmiùs stabilita confœderatione totus orbis Christianus felicissimos de iisdem perduellibus triumphos, certissimasque ambobus Monarchis fore victorias iurè auspicatur, si validissimas Regnorum vestrorum copias vnanimi in eos impetu mouere non grauemini.

Recolite, amabo, feruentissimum S. Ludouici in deuinciendis Fideique lumine collustrandis Ægyptiorum, Sarracenorumque mentibus ardorem; Nihil ipsi errantis alicuius ouis reductione gratius, atque vt eos suauiùs ad sacrum Christi ouile alliciat, omnibus, quibus Princeps potest, vtitur lenociniis, quò efferatioris cuiusq; cor deliniat, euincatq; honorabilem aliis sustentationem, certum aliis censum, regium ac verè paternum omnibus defert studium: Quid de ipsius erga Fidem zelo dicturi estis? *Sclauos*, inquit eius laudum præco, *& multos Sarracenos siue gentiles de proprio emi fecit, & baptizari, & prouisionem eis similiter assignauit*: Quis Regias ipsius voces in Tunetani Regis Legatorum præsentia famosi Iudæi baptismatis occasione prolatas non mire

Gaufrid de bello loco.

miretur? Postquam enim de huius mysteriorum pompæ excellentia disseruisset, cum violentum sui erga Fidei augmentum feruorem amplius comprimere non posset: *Dicite*, ait Legatis, *ex parte mea Domino vestro Regi, quod ego tam vehementer salutem animæ eius desidero, quod vellem esse in carcere Sarracenorum omnibus diebus vitæ meæ, ibidem claritatem Solis non visurus de cætero, dummodò Rex vester, & gens sua ex vero corde fierent Christiani: O verè fidelis sermo*, addit Gaufridus irreprehensibilis ipsius actionum spectator, *& omni acceptione dignus! O verbum planè Catholicum perfectione Fidei & charitatis refertum!* Idem c. 41.

Ah Catholica natio nunquid faciem vestram peruadit pudor, frigidum ac debilem vestrum pro errantium, atque conciuium parentum conuersione zelum eximiæ S. Regis in obscuro pro vnius salute Sarraceni carcere mori ambientis charitati conferẽdo? Nunquid deplorabilem Fidei, Christianæque in vobis amicitiæ defectum testamini, qui ne vel minimo pro perditæ vnius animæ earumdem nationis & vrbis, imò & sanguinis tam caro Christi pretio redemptæ salute incommodo vos affici patiamini? Ecquid laborabitis, dum ipsi per viam occurrendo, & sese dabit occasio seorsùm in aurem insusurrabitis: *Quid ergo, nunquid Maiorum tandem tuorum Religionem vis amplecti? Fierine potest, vt animalem semper ducas vitam? An putas Franciam, quæ ab ipso S. Dionysio idem quod profitemur credidit, vera fuisse destitutam Fide, Lutheri & Caluini ad vsque tempora, qui nouas corruptæ fidei regulas præscripsére? Nunquid vestram tepescere in dies Religionem aliarũ more hæresum conspicis? Nunquid Sum. Pont. Fides sese hæresibus viriliter opposuit, eas q; singulis extinxit sæculis? Ne, quæso, vt periculum fugias, naufragium expectes:* Tria vel quatuor huiusmodi verba moderatioribus Hugonottis insinuata, facilius quàm terrifica vanæ eloquentiæ fulminá in eorum animos penetrarunt: Sin autem salutaria respuat monita, feruentibus eius pertinaciam impete orationibus, virtuosis te munias operum exemplis, quousque veri Angelorum panis fames ipsum nostris lubentem volentemque altaribus supplicem admoueat.

CON

CONCLVSIO totius Operis ad Episcopos vtriusque Regni potissimum directa.

EMensa iam suum oratio nostra curriculum, metas apprehendere festinat, in quibus ad vos, ô Illustrissimi ac Reuerendissimi Gallicanæ Hispanicæque Ecclesiarum Præsules sese lubens conuertit, ea potissimùm nixa ratione, quæ Clementem VIII. P. M. compositá iam Gallum inter & Hispanum Reges pace, confestim ad Gallicanos Antistites litteras dare inuitauit: an non renouata oculis intuemur hac felici potentissimorum Regum cõcordiâ, quæ Sanctissimus totius Ecclesiæ Hierarcha ab Lugdunensi Archiepiscopo, cæterisque in eâdem Prouincia constitutis Episcopis maximè peroptabat: *Hac pace*, aiebat, *inter duos potentissimos Reges Filios nostros in Christo charissimos, admirabili Dei benignitate, conciliata, quod crebrò & multa cum gratiarum actione commemorandum est, iam ex eâ in isto potissimùm nobilissimo Franciæ Regno, quod in visceribus Christi gerimus, commoda illa, vt audiuimus, & spiritales vtilitates emanare incipiunt, quas à summa Dei clementia, & à vestra etiam pastorali vigilantia Fratres Venerabiles expectabamus, &c.* Bullar. T. 3. Ann. 1599.

Ad vos igitur, Optimi Patres, in primis spectat, vestrorum Maiorum inhærendo vestigiis optatæ huius pacis incrementa promouere, quò maior Christianæ Religionis splendor magis vbique dilatetur, ac Fidei hostes in suo robore, audaciâque insolescentes comprimantur: Veniant vobis, quæso, in mentem præclara Symmistarum illorum studia, Auiti nimirùm Viennensis contra Faustum Pelagianum scribentis, Gundebaudo Burgundionum Regi sacra dogmata prædicantis, eiusque filium Sigismundum ad detestandos Arianæ impietatis errores persuadentis; Hilarij quoque Pictonum Episcopi strenuè contra Arianos, necnon Arelatensis Hilarij contra Pelagianos decertantium; Germani item Antissiodorensis aduersus eorumdem contumaciam alacriter insurgentis; Prosperi denique Aquitani, Fulberti Carnotensis, Petri Cluniacensis, Vincentij Liri-

nensis, pluriumque aliorum Antistitum, qui in Galliis floruêre, summâque aduersus varias hæreses animi contentione dimicarunt:

Et vos inclytissimi Hispanicæ Ecclesiæ Patres ad priscos vestrarum Sedium Decessores oculos, si lubet, conuertite. Audentium recolite Pontificem Toletanum anno salutis 390. florentem contra Priscillianum scriptis, ac coactis à se Conciliis impigrè manus conserentem; Leandrum insuper Hispalensem Episcopum in Arianos Leovvigildi Regis tempore summa cum laude pugnantem; Isidorum eiusdem Ecclesiæ Prælaturâ insignem, qui etiamnùm adolescens, perfidos Arianos insectari disputando ausus, eosdem publicè erroris conuincens adeò irritauit, vt propè fuerit, quin ab illis necaretur; Leandro deinde in Archiepiscopali solio suffectus, Mahometis deliria, conatusque primus ipse obseruauit, propalauitque, sceleratissimumque hominem Hispaniâ expulit: Acephalitarum itidem protriuit hæresim, Arianosque profligauit: Ætherium Vxamensem Episcopum Elipandi erroribus sese acriter opponentem: Adhæc Pacianum cogitate Barcinonensem Ep. qui imperante Theodosio seniore viuebat Marcionitarum, Apollinariorum, Cataphrygarum, Nouatianorum nefarias sectas valida opusculorum manu explodere satagentem: Idacium Priscilliani dogmata expugnantem: Iulianum hæreses confundentem: Idelphonsum Toletanum Primatem, qui ob singularem vitæ integritatem, susceptamque aduersus hæreticos potissimum Eluidianos DEI GENITRICIS virginitatem impugnantes defensionem, ab eâdem candidissima donari veste promeruit.

Cæteros tandem quamplures clarissimos Antistites Hispanicæ Gallicanæque Ecclesiarum lumina respicite, vt pressis eorum vestigiis, expugnandæ hæreticæ prauitati, reliquorumque Catholicæ Religionis hostium temeritati ac robori contundendis, hâc præsertim initæ ambos inter Reges confœderationis tempestate totis animi viribus intendatis: Nunquam meliùs quàm huiusmodi potentissimos inter Monarchas pacis otio, armorumque Feriis Christiani nomi-

nominis hostes facili negotio comprimi ac retundi posse videntur; quid enim aliud securiùs hæresim fouet ac nutrit, quàm continuò ardens furiosi Martis incendium? Nimium enim verè asseruit doctissimus Apamiarum Præsul, quod *noua orta sunt bella inter Carolum Cæsarem, & Franciscum Galliæ Regem, quæ continuata fuère annis propemodum 38. vnde magna facta est opportunitas Luthero, & eius assectis noua in dies dogmata magis magisque spargendi, & Solimano Turco imperij sui absque vllo fere obice dilatandi:* Spondan. An. 1521. 6.

Dum enim Christiani mutuis inter se contentionibus digladiantur, heu nimium floret Turcarum imperium, augescitque magis, cumque inexplebilis haùd vnquàm satietur cupiditatis sitis, barbarus Imperator maiori ambitionis æstu incensus, ardente bellorum flammis Christiano orbe, nec quicquam de ipsius ruina cogitante proh! quanto impietatis ac tyrannicæ potestatis fastu tumidus, Christianæ Religionis, fideliſque populi luctuosam meditatur vastitatem! vestræ igitur, Illustrissimi Præsules, vestræ omninò sunt partes tantum Ecclesiæ vestrum omnium Sponsæ, imminensque ceruicibus propulsare discrimen; quippe qui inter Seraphinos in ipso propitiatorio, in Dei solio, flamma aurique splendore conspicuo, vt humani generis Legati considetis, illicque, iuxta Chrysostomi mentem, vt œcumenici procuratores cum Deo colloquimini, ecquid vetat quominùs ibidem de procuranda mortalium salute, de Regnorum & Imperiorum tranquillitate, de barbararum gentium conuersione, de militantis Ecclesiæ gloriâ, sanctimoniâque tuendâ, de noxis hominum eluendis, de pace solida & vnica Religionis conseruatrice, & aliis huiusmodi Christiano populo perquàm necessariis seriò agatis, sine quibus aut stare mundus, aut beari homines nullo modo queunt? vnde digressi, in communem prodeuntes fidelium lucem, omni veneratione digni, Interpretes, Dionysio teste, facti Diuinitatis, atque Internuntij, quid aliud nisi Pacem veram & laudabilem, quam solus dat Christus, solaque iustitia, Caduceatores velut Angeli bonæ voluntatis hominibus annuntiatis? *quam Deus ipse*, inquit Theologus, *qui solus rerum* In c. 6. Isayæ Greg. Naz. orat. 12.

Epheſ 2.14. *rum naturas nouit, tanti facit, vt eius & ſe nomine honorandum putarit; quæ quia vt ſit vera, debet ex charitate naſci, &*
1.Io.4.& 8. *à iuſtitia foueri, ideò & harum virtutum naturam ſibi tribuit*
1.Cor.1.30. *Deus, quò per ipſa quoque vocabula nos admoneat, vt has virtutes tanquam Deum ipſum conſequi ſtudeamus, &c.* Non poterant pacis excellentia, & neceſſitas clariùs innoteſcere, quàm ſi intelligamus, & quæ Dei ſunt illi tribui, & quæ ſunt illius Deo: Et ideò voluit ſpiritus veritatis aperire hominibus pacem eſſe Dei, & Deum eſſe pacis, adeòque pacem eſſe Deum ipſum: Quoſnam vero magis deceat ſtudioſos eſſe tanti, omniumque præſtantiſſimi boni conſeruatores, niſi vos Eccleſiæ Seniores, Dei Miniſtros, eiuſque fideles myſteriorum, imò & bonorum omnium diſpenſatores, Pacis Angelos, pacificos nempe mortales inter ac Deum diuinæ gratiæ mediatores ab ipſo Numine conſtitutos? cuius ſerenitate multis retrò ſæculis fruitura ſit Eccleſia, ſi modò capitales eius, auaritiam videlicet, diffidentiamque omnium cauſas perturbationum, bellorum item, litium, rixarum, atque inuidiarum ſemina, è Fidelium animis
Cap.4.1. penitùs eradicare contendatis; *Vnde* namque Iacobus clamat, *bella & lites in vobis? nonne ex concupiſcentiis veſtris? concupiſcitis, & non habetis, & occiditis, & litigatis, & belligeratis:* Quis autem corruptum tot humanæ malorum ſocietatis fontem ſiccare faciliùs poſſit? Quis nociuos eius riuulos citiùs arefaciat, niſi vos Tremendi Conſcientiarum Iudices, & ſalutiferi animæ morborum Æſculapij? vos, inquam ſapientiſſimi rationabilium ouium Paſtores, qui partim efficacibus myſtici eloquij documentis, partim lucidiſſimis ſanctæ conuerſationis exemplis ſyluaticas illas cupiditatum arbores nonniſi lethalium tartari fructuum productrices facili radicitùs negotio exſtirpare poteritis? Et cum regalis Sacerdotij veſtri dignitas Auguſtiſſimorum Regum non modo Collegas, propioreſque Domeſticos, ſed & ſupremos vitæ mortiſque ipſorum animæ commodo diſpenſandæ Arbitros conſtituat, quid paſtorali veſtræ curæ ſollicitudini, quid honorabilius dignitati, quid tandem antiquius charitati eſſe poſſit, quam ſi feruenti precum inſtantia,

tiâ, grauique verborum pondere Christianissimum atque Catholicum Reges recenti fortunatissimæ à Deo pacis munere donatos ad firmandam illam, multosque in annos stabiliendam in vastis regnorum suorum ditionibus tranquillitatem hortemini, cuius suauibus in dies aspirantibus auris clariori potissimùm Religionis vacent amplitudini, & contumaces hæreticorum, rebellionisque auidas mentes suauiori quouis modo conuictas erroris, Catholicæ, semperque vnius, atque inuictæ veritatis lumine collustrent, aut certè in malo nimium obduratas regali sua conterant authoritate.

Meliora, quæso, æmulemini charismata, indefessos veterum conatus Patrum, inuictissimorumque Fidei pugilum in confutandis hæreseon deliriis glorioſos labores voce tandem viuâ, scriptisve renouate, pertinacem hæreticæ prauitatis, nefandæque in Deum, legitimosque Principes rebellionis arcem Scripturarum, Doctrinæ Patrum, Conciliorumve, sed Sanctorum imprimis, vestræque vitæ exemplorum arietibus concutite, susdeque euersam in tranquillæ Hierusalem pacis ciuitatem conuertite.

Quid restat, nisi vt post longæ tempestatis horrorem, cum vixdum remiserint sæui ventorum turbines, abblandienti tandem nobis optatæ tranquillitati vnà mecum gratulemini, iisdemque verbis nostrum exprimamus gaudium, quibus pacem olim pariter reducem affabatur iam citatus Patrum Theologus, & sanctissimus Nazianzenus Præsul Gregorius: *Pax amica, nec re duntaxat, sed nomine quoque ipso iucunda, quam nunc populo gratulor & mihi, haud tamen scio an sinceram satis & stabilem, spirituque dignam Christiano, an potiùs publica, teste Deo, pacta citò deserturam, quo grauior sit nostra condemnatio; Pax amica meditatio nostra, & decus nostrum; quam Dei, & cuius Deum, & quam Deum esse audimus; ac ne sic quidem eam reueremur: Pax amica, bonum ab omnibus quidem laudatum, à paucis autem seruatum! vbinam nos tanto iam tempore reliquisti? Ecquando ad nos (stabilis) reditura es? Equidem te suprà mortales omnes exopto & exosculor, ac præsentem amplector, & absentem eo ani-* Orat. 1. de pace initio.

mi affectus reuoco, vt nec Patriarcha ille Iacob paribus vnquam luctibus, lachrymisque Ioſephum deſiderarit, à fratribus quidem diuenditum, cæterum, vt ipſi videbatur, à fera correptum, & laniatum; nec Dauid amicum ſuum Ionatham in acie extinctum, aut poſtea filium Abſalonem, &c.

Quibus ille prudentiſſimus rerum æſtimator proſequitur Pacis excellentiam, & neceſſitatem; de quibus cum pluſcula apud eumdem, alioſque Patres abundent teſtimonia, facilè ipſos adeuntibus occurrent: Videndum nobis, ac ſeriò cogitandum quid factu neceſſe ſit, ne quando re tam excellenti, quod abſit, & neceſſariâ careamus.

LAVS DEO,
Virginique Matri.

NOTÆ

NOTÆ

Quæ maiori quarumdam rerum elucidationi hîc consultò sunt appositæ.

CApite I. Pagina 14. ad illa verba: *Eminentissimus historiæ Ecclesiasticæ, &c.* Baronius ad ann. Christi 587. n. 29. postquam de Reccaredi Hispaniæ Regis cum Baddâ Virgine Gallicâ nuptiis egit, sic loquitur: Fuit illa Legatio, cuius Greg. Turon. meminit, magnamque Legationem appellat, quâ de nuptiis actum est Regis Hispaniarum: At licet nomen Virginis nuptæ non prodat, tamen quod hoc factum anno certum sit, ex ipsius assertione patet, dum res gestas Francorum prosequens, eadem per annos Regis Sigeberti disponit, collocatque sub anno eiusdem Regis nono qui est præsens annus Dñi 587. & cum reperiatur in Actis Synodi Toletanæ post sequentem annum celebratæ, vxor eiusdem Regis Badda nominata, non alia ab hâc ipsâ Reginâ ex Francis petitâ eam fuisse dicere possumus: Etenim quam constat in matrimonium duxisse Clodosuindam filiam Brunichildis, & sororem Childeberti Regis, longè pòst accidit, nempe, vt ex eod. Greg. patet an. 592. eiusdem Sigeberti Regis an. 14. *Et paulò pòst.* L. 9. c. 26. 28.

Quod verò attinet ad Baddam & Clodosuindam, cum ex eod. Greg. constet, anno post hunc 5. nimirum Childeberti 14. Reccaredum duxisse Clodosuindam eiusd. Childeberti sororem, dicendum videtur Baddam illam, quæ subscripta reperitur Concilio Toletano biennio post has nuptias celebrato, ex vera, *Barony iudicio*, supputatione eamdem esse cum ista Clodosuinda: eo modo Baddam mutato nomine dictam, vel eiusmodi additum ipsi cognomen. *Et paulò pòst.*

Demùm

Demùm ſi negetur Clodoſuindam eamdem eſſe cum ipsâ, *Badda ſcilicet*, tunc dicendum erit Baddam tertiam fuiſſe vxorem Reccaredi, quam duxerit poſt obitum Clodoſuindæ: Verùm non Baddam primùm deſponſam à Chilperico Rege Reccaredo fuiſſe, ſed aliam filiam collocatam apud S. Radegundem in celeberrimo illo Pictauienſi Monaſterio, quam ſuſceperat ex Audouerâ, teſtatur ipſe Greg. quam Baſilam appellatam inferiùs prodit: De hâc igitur inprimis iſta Greg. *Voluit enim tunc aliam filiam illuc dirigere, quam de Audouerâ habebat, & eam in Monaſterio Pictauienſi poſuerat. ſed illa diſtulit reſiſtente præcipue B. Radegunde, ac dicente: Non eſt enim dignum, vt puella Chriſto dicata, iterum ad ſæculi voluptates reuertatur:* Hæc ipſe, qui & eam remanſiſſe in eodem Monaſterio, ex iis quæ inferiùs tradit, oſtendit: Rem valdè dubiam eruditi Lectoris arbitrio decernendam relinquimus.

L. 6 c. 43.
L. 9. c. 39.
L. 9 c. 32.

Cap. II. pag. 51. Ad illa verba: *Totius rei ſeriem, ac non, &c.* Baronius in inueſtiganda rerum antiquarum veritate apprimè ſtudioſus, ad an. Chriſti 1080. aſſerit Alphonſum Hiſp. Regem Ordinem Romanum anteà accipere detrectantem, demùm Greg. PP. VII. monitis paruiſſe, quod colligit ex epiſtola Greg. ad eumdem Regem data, vbi inter cætera ſic inquit: *Nouerit Excellentia Tua, Dilectiſſime, illud vnum admodùm nobis, immò Diuinæ Clementiæ placere, quod in Eccleſiis Regni tui matris omnium Sanctæ Romanæ Ordinem recipi, & ex antiquo more celebrari feceris:* Hoc tamen haud auerſum eſt ab eo, quod adnotauimus; nam ipſe Baron. an. Dñi 1074. recitat Greg. Epiſt. de hac re ad Alphonſum & Sancium Hiſp Reges conſcriptam, cui ſanè obtemperaſſe dicendum eſt: Alioquin per ſex annos intermedios idem Pont. per litteras Alphonſum de ea re commonuiſſet, imò aduerſus eum nonnullâ comminatione inſurrexiſſet, in quam tandem an. 1080. eumdem per litteras corripiens prorupiſſe videtur.

Lib. 9 Ep 1.

Fatendum igitur Alphonſum, ſi non abſque morâ acceptis litteris Apoſtolicis Gothicum amouerit Ordinem, contradicentibus præſertim Clero, ac illarum Eccleſiarum Primati

matibus, saltem paulò pòst, nempe anno sequenti Gregorio obtemperasse, ac in diuinis Officiis Romanum seruari Ordinem omnibus præcepisse.

Hoc manifestè coniici opinor ex eo quod asseritur ab eodem Baronio, videlicet quod Aragonum Rex inter Hispanos Reges primus in recipiendo Romano Ordine in sacris ritibus eidem Greg. hæc per Legatum iubenti obtemperarit: Cum igitur epistola data sit an. Dñi 1074. & Castellani, aliique Hispani Alphonso subditi Aragonum secuti exemplum Gothico Ordini renuntiauerint, teste Io. Mariana, qui an. 1076. post Concilium Burgis à Riccardo Massilienſi Abb. celebratum Hispanos nonnulla Gothis in more solita reliquisse testatur, subditque: *Præterea Aragoniæ exemplo precandi ritus ex Romano more sanciti; prisca Gothorum instituta rebus diuinis procurandis propitiando Numine antiquata.* L. 9 c 11.

Hinc sequitur non multò pòst, ab Aragonibus susceptum Romanum Ordinem, vel saltem post duos annos alteros quoque Hispaniarum incolas eumdem admisisse: Statuenda igitur res est tali ordine, ni fallor: Gregorium initio Pontificatus Alfonso litteras dedisse, de hac re eum monitum faciens (quod accidit ante nuptias ipsius Constantiæ, quæ, vt ex Mariana colligitur, post obitum Sancij, cum quo Alfonsus regnabat, celebratæ sunt:) Verum quia in suis regni finibus Præsules aliique Primates non statim Pontificis voluntati de reuocando Gothico Officio paruêre; Regina ipsa, vtpote pietati admodùm propensa, Romanoque ritui à Gallis seruato, Regi sponso persuasit, vt Legatum à Pontifice, huius rei gratiâ faciliùs promouendæ expeteret: Alfonsum vxori ferè in omnibus assentiri solitum facilè dignoscitur ex vehementi, quo eam prosequebatur, amore; vnde Gallos plures, in Hispaniam conuocauit, primariis eosdem dignitatibus ornauit, quorum etiam consiliis vsus, & in eiusdem Constantiæ, quæ non multo tempore superstes fuit, gratiam, ipsius iam defunctæ consanguineam in coniugem sibi accipere decreuit; vnde Gregorius tanquam acerrimus Canonum vindex aduersus eum insurrexit, vt L. 6. c. 11.

patet in epistola ad eum data, & à Baronio relata an. 1080. Auditis à Greg. Alfonsi nuntiis, haud multùm distulit Legatum pro hac re in Hispanias dirigere, quod sanè valdè congruum esse videbatur, cum Legatum iam ad Aragonum Regem pro sacris hisce ritibus accipiendis otdinasset, vt fatetur Baronius, atque ad Sancium & Alfonsum Castellæ Reges tantùm litteras dedisset.

Ann. 1074. 55.

Missus igitur à Pontifice circa ann. 1075. Legatus, nec fortè alius quàm Riccardus Ab. Massil. quod cohæret Ioan. Marianæ placito ad annum sequentem eius in Hispanias aduentum, ac Concilium ab eo conuocatum referentis; Et hoc colligi videtur haud obscurè ab ipsismet litteris Greg. à Baron. recitatis an. 1079. in quibus ait Pontifex: *Et quidem de vobis benè speramus, quoniam relatione dilecti Filij nostri Riccardi Card. Presbyteri S. R. E. quem nunc secundò ad vos mittimus, bonam voluntatem vos habere intelleximus.*

Ann. 1079. 31.

Alteram igitur Riccardus obiuit Legationem in Hispanias; quâ autem tempestate? an eodem anno, vti paulò antè de eo loquitur Baronius, nempe num. 15. eiusdem anni, hoc nulla ratione affirmari potest ipsum eodem anno bis in Hispanias directum: Prioribus ergo annis cum adhuc Cardinalitiâ dignitate minimè polleret, eâ fūctus est Legatione, ac ope Constantiæ res Ecclesiasticas Concilio supradicto feliciter ordinauit, Romanumque ritum in illis Ecclesiis, Aragonum exemplo præsertim excitatis, quod, vt dictum est, an. 1074. accidit, abrogato Gothico in diuinis Officiis introduxit: quare per aliquot annos Pontifex siluit, nec Alfonsum vltrà de hoc monuit, donec defunctâ Constantiâ huiusmodi ritus innouationis altrice, fidelique adiutrice, reclamantibus Clero, Præsulibus, ac populo, Alfonso non reluctante, Gothicus iterum Ordo in diuinis assumptus est ritibus; vnde an. 1080. Greg. Alfonsum de hac re commonefecit, ac ferè expostulauit: Cui consentire videtur Marianæ testimonium aientis: *Tentatum id quidem aliquoties erat*, nempè de antiquando Gothico Ordine, *neque tamen successerat, quod vulgo homines, sed & primores gentis stari antiquis mallent, nihilque tenaciùs inhæret, quam quod specie religio*

L. 9. 12.

ligionis defenditur: Quod sanè intelligendum est, quod non fuerit hactenùs in omnibus regni Ecclesiis abrogatus, vel iterum susceptus, nam idem Mariana superiùs asseruit Aragonum exemplo Gothorum instituta in rebus diuinis fuisse antiquata.

Cap. V. pag. 182. ad illa verba: *Neque hoc loco cum nonnullis, &c.* Prodiit nuper in lucem libellus, cui titulus: *De duobus Dionysiis:* Conatur ibi auctor Ecclesiasticæ historiæ valde gnarus, multis argumentis comprobare Dionysium Areopagitam diuersum fuisse ab eo, qui Ecclesiam Parisiensem rexit, illumque Athenis, non autem Parisiis martyrij palmâ fuisse decoratum: Hoc autem contra sacra non tam Gallicanæ, quam vniuersalis Ecclesiæ monumenta asseritur: Potissimum huius sententiæ fundamentum Seueri Sulpitij auctoritas in medium profertur l. 2. sacræ Hist. sic aientis: *Sub Aurelio Antonini filio persecutio quinta agitata; ac tum primùm intra Gallias martyria visa, seriùs trans Alpes Dei religione susceptæ.* Vide Bollandum T. 11. & 12. Febr. num. 3.

Ex quo inferri videtur, ante Aurelij tempora, nulla in Galliis fuisse martyria, cum serò Christiana Religio eò peruenerit, Dionysiumque Areopagitam sub Domitiano, vel Hadriano non in Galliis, verum Athenis martyrij coronâ illustrem obiisse: Carolus Sigonius vir eruditus, & sciens antiquitatis (vt notat Antonius Posseuinus) in Notis ad supradicta Seueri verba sic ait: *Hoc parùm verum esse puto, nam S. Martialis Lemouicum, Eucherius Treuiros, Fronto Petragoricas, Sabinus & potentianus Senonas ad prædicandum Euangelium à S. Petro missi, post sub Nerone passi esse dicuntur.*

Hæc autem Seueri auctoritas parum fauêre videtur huic opinioni; incœpisse enim ea tempestate in Galliis Martyria Seuerus affirmat, deinde persecutionem trans Alpes penetrasse: ideoque illud *Primùm* non significat prima vice, verum sub eo Imperatore persecutionem primò in Galliis fuisse agitatam, deinde trans Alpes, vbi seriùs respectu Galliæ Cisalpinæ Fides susceptæ fuit: Neque aliter supradicta verba explicari queunt, cum certum omninò sit S. Caium Mediolanensis Ecclesiæ Præsulem multa in Neronis per- Martyrol. Rom. 27. Septembr.

Rhemis in Gallia S. Xystum B. Petri discipulum sub Nerone Martyrij coronam accepisse legimus, quod idem Vsuardus & Ado in appendice testantur: Verum Hincmarus hunc à B. Xisto Pontifice in Gallias directum fuisse asserit, quod tamen ante M. Aurelij tempora accidit, hoc enim de primo, non de secundo Xysto intelligendum est, cum iam antea Rhemis fides suscepta fuisset, vt patet ex Actis SS. Timothei & Apollinaris; Idem Gregorius Vrsinum à Discipulis Apostolorum Episcopum ordinatum, ac in Galliam destinatum, Ecclesiam Biturigensem primùm instituisse fatetur. Biblioth. Vallicell. L. de Gloria Conf. c. 10.

Et quidem vetus Romanum Martyrologium, cui fidem denegare nemo audeat 29. Decemb. sic habet; *Arelate Trophimi Ep. discipuli Apostolorum:* Ibidem 22. Mart. sic legitur: *Narbone S. Pauli Episcopi discipuli Apostolorum*, cui cætera Martyrologia Adonis, Vsuardi, Bedæ, aliique authores consentiunt: Omittimus hîc consultò plures alios, quos prædicatione ac sanguine Gallias illustrasse, ante M. Aurelij tempora, apud eam gentem firma traditio est, ne plurium incertorum numero fides diminuatur his, quos hàud dubiè constat sub Nerone ac Domitiano, vt modò conati sumus ostendere, nonnullas Galliæ Ecclesias sanctissimè rexisse: his facilè explicabitur Seueri locus.

Secundum contrariæ sententiæ fundamentum est Gregorij Turon. auctoritas, qui scribit tempore Decij Imper. missos in Galliam septem Episcopos, inter quos recenset S. Dionysium Parisiorum Antistitem, vt ex historiâ S. Saturnini colligitur: Hæc autem authoritas, pace tanti viri, suâ sponte corruere videtur; in Actis enim S. Saturnini, quæ Surius recitat 29. Nou. nulla fit mentio de septem his Episcopis in Galliam à Sum. Pont. directis, sed tantùm sub Decio & Grato Consulibus Saturninum ad vrbem Tolosatium amandatum legimus; imò ipse Greg. in alio loco sic ait: *Saturninus Martyr, vt fertur, ab Apostolorum discipulis ordinatus in vrbem Tolosatium est directus.* L. 1. Hist. Franc. c. 30. De Gloria Mart. c. 49.

Hoc autem apertam infert contradictionem; si enim Saturninus ab Apostolorum discipulis in Gallias directus fuit,

quo pacto sub Grato & Decio hoc accidere potuit circa annum Dominicæ Incarnationis 250. quando omnes ferè Apostolorum discipuli iam obierant? Neganda igitur Greg. testimonij fides, seu hunc Saturninum ab Apostolorum discipulis in Gallias missum, diuersum fuisse dicemus ab eo, quem ipse sub Decio Tolosam appulisse affirmat, quod idem de hoc Dionysio sub Decij Consulatu Parisios misso dicendum erit, diuersum nempe ab eo, de quo loquimur, à Clemente in Gallias directo:

Gregorij tamen authoritatem vlteriùs examinare liceat; à quo Pontifice septem isti Episcopi in Galliam missi sunt? profectò à S. Fabiano, Rom. enim Martyrologium die 18. Decemb. meminit S. Gratiani (hic inter septem à Greg. recensetur) à Fabiano primi Turonum Antistitis constituti, quî ergo sub Grato & Decio Coss. hic cum septem aliis in Galliam amandari potuit? cum sub Æmiliano & Aquilino Coss. creatus sit Episc. vt Baron. in Notis ad Martyrolog. testatur? Imò haud probabile est Fabianum, qui vndecim tantùm ordinauit Episcopos, in fine Pontificatus septem in Gallias direxisse, superioribus verò annis ferè duodecim, quibus vixerat, qnatuor tantùm creasse: Alias ergo nationes opportunis Pastoribus non prouidit, Galliarum solùm Prouinciæ caræ illi erant?

Tertium ac validius argumentum, quo aduersarij suam tuentur sententiam, dissoluendum remanet: In veteribus, aiunt, Latinis Martyrologiis S. Dionysij memoria bis ponebatur, semèl nimirùm III. die Octob. sub his verbis: *Athenis Dionysij Areopagitæ sub Hadriano diuersis tormentis passi, vt Aristides testis est, &c.* Secundò nonâ die eiusdem mensis ibidem sic habetur: *Parisiis Dionysij Episcopi cum sociis suis à Fescennino gladio animaduersi:* Ex eo autem quod quis bis ponatur in Martyrologio diuersis diebus ac formis, non sequitur duos esse eiusdem nominis diuersos: Sic Eustathius primò Beroëæ, posteà Antiochiæ Præsul bis in Menologio diuersis diebus ponitur, semèl 21. Febr. ac iterùm 5. Iunij: S. Philippus Gortynæ in Cretâ Episc. bis in vetere Rom. Martyrologio reperitur; semèl 11. Aprilis sub his verbis:

Gor

Gortynæ Philippi Episcopi, qui claruit Antonini Veri, & Lucij temporibus; Et 8. die Octob. in hanc formam: *Gortynæ Philippi Episcopi*; cui Bedæ & Adonis Martyrologia consentiunt, in quibus bis eiusdem Natalis dies recensetur: Beda in suo Martyrol. 27. Iulij sic habet: *Apud Galatiam B. Crescentis Episc. discipuli S. Pauli Apostoli*; sic autem 29. Decemb. *Eodem die S. Crescentis Apostoli Pauli discipuli Viennensis Ecclesiæ primi Doctoris*: S. Alexander Ierosolymorum Episc. in vetere Rom. Martyrol. 30. Ianu. & 18. Martij repetitur; In nouo autem Romano semèl sublatus est: In Menologio Græcorum ferè 50. Sanctorum nomina bis sub diuersis diebus repetita notauimus.

Cum autem nemo affirmet diuersos esse eiusdem nominis eos, qui bis ponuntur in Martyrol. Et licet S. Dionysij mentio bis fiat in vetere Rom. Martyrol. non ideò clarè sequi dicendum est Athenienſem, de quo 3. Octob. diuersum fuisse ab eo, qui Parisienſem erexit Ecclesiam, cuius Martyrium 9. die Octob. adnotatur.

Recedendum ergo non erit à communiori non modò Gallicanæ, sed totius ferè Ecclesiæ sententiâ, quæ Areopagitam Dionysium sub Clemente Pont. Max. Gallis Fidem prædicasse, ibique Martyrio clarum obiisse testatur: Hoc idem S. Methodij Constantinopol. Episc. testimonio confirmatur, qui ante Hilduinum Dionysij Acta à se scripta Romam detulit, vt ait Anastasius apud Surium 9. Oct. *Passionem S. Hieromartyris Dionysij quondam Areopagitæ postquàm Athenarum Antistitis, quam Romæ legi cum puer essem, quamque à Constantinopolitanis Legatis audieram secundum iussionem vestram diù quæsitam, tandemque in maximo Cœnobiorum Romæ sitorum repertam Latino eloquio tradidi. Cesset ergo quorumdam opinio perhibentium non esse Areopagitam Dionysium eum, qui prope Parisium corpore ac virtutibus redolet, &c.*

Methodij opus ab Hilduino corruptum, vt Regis gratiam sibi mercaretur, gratis asseritur; cum enim Areopagiticum Hilduini opus sub an. 834. in lucem prodierit, quo tempore Methodius adhuc degebat, peruenit enim vsque ad an. 847. maximo discrimini Hilduinus ipse sese exponeret,

ret, ſi de Dionyſio profiteretur planè diuerſa his, quæ non tam ſcriptis, quàm voce ab ipſo Methodio adhuc ſuperſtite prædicabantur: Adde quod Ludouici Regis ope ex antiquioribus Græcorum monumentis exemplaria in Galliam amandata fuêre, quibus Hilduinus vſus eſt ad concinnandam de Dionyſij Martyrio hiſtoriam: Quamobrem maximæ temeritatis notâ mulctari dignus eſt, ſi tanti viri adhuc viuentis textum corrumpere niteretur, fruſtráque Regis, ac cæterorum illuſtrium virorum gratiam hoc pacto aucupari moliebatur:

Tredecim verò annorum interuallo, quibus Methodius ſuperſtes fuit, poſtquam prodita fuit ab Hilduino Dionyſij hiſtoria, ad Græcos nunquam hoc opus delatum fuiſſe aſſeremus? quod tamen valdè improbabile eſt, alioqui ipſe Methodius manifeſtæ falſitatis crimine Gallum ſcriptorem conuiciſſet, ſi in Areopagitico opere pauliſper à veritate aberraſſet: Neque Methodium ipſum, vt Ludouico Regi gratum faceret, tunc ſiluiſſe, affirmare quis audeat, cum eximia tanti viri ac præclariſſimi Martyris ſapientia & dignitas apud omnes conſtet, vt Io. Curopalata ex Theophilo Imp. probat: Michaël etiam Syngellus Presbyter Ieroſolymitanus qui ſub Theophilo pro ſacrarum imaginum cultu plura conſtanter paſſus eſt, in encomio de S. Dionyſio idem apertè teſtatur; neque ab Hilduino id mutuari potuit, cum ante an. 834. aut circiter in laudem Dionyſij ſermonem habuerit.

Eodem Cap. V. pag. 201. ad illa verba: *Ab Innocentij I. P. M. Epiſtola, &c.* Sirmondus Tomo 1. Concil. Gall. pag. 39. ſic loquitur; Innocentij PP. I. Epiſtolæ pars olim edita fuit titulo Innocentij ad Epiſcopos Synodi Toletanæ: In veteribus autem libris non Toletanæ ſcriptum eſt, ſed Toloſanæ; atque hoc etiam modo citari hæc Epiſtola ſolet in antiquis collectionibus; quâ de re etſi ambigi non iniuriâ poſſe intelligebam, ſatius tamen viſum eſt illam, cum mutila præſertim hactenùs fuerit, integram vel alieno hic loco extare, quàm ſuo fortaſſe deſiderari: de anno quia non conſtabat, in eum coniecimus, qui ſuperiores proximè ſequebatur:

Benè

Benè loquutus vir doctus, se tamen in Notis retractauit his verbis: Etsi ambigui esse tituli Epistolam monuimus, dubium tamen non videtur, quin scripta sit ad Episcopos Hispaniæ post Synodum quidem Toletanam, sed de rebus in eâ gestis, vel poste à consecutis, idque vt mihi persuadeam ducor argumento non leui quod cap. 17. exponetur; quare antiquam inscriptionem epistolæ restituendam censeo, vt in Toletana Synodo legatur: Et in hoc ipsum fuisse hallucinatum in capite citato probauimus.

Cap. VII. pag. 295. Illic citantur Patres, qui Religiosum laudant Institutum, quorum loca, ex quibus sunt istæ laudes extractæ, non sunt in margine citata; quare hic apponenda duximus: Primus locus est S. Greg. Nysseni in Hom. 7. in Cant. Secundus S. Hieron. epist. 17. Tertius S. Bernardi in Apolog. ad Vvillel. Quartus S. Isidori Pelusiotæ lib. 2. epist. 159. Vltimus est S. Io. Damasc. in vita SS. Barlaam & Iosaphat.

Eodem Cap. VII. pag. 301. ad illa verba *Agalienſi Cœnobio ab Athanagildo fundato, &c.* Quonam pacto, obiiciet quispiam, Athanagildus Gothorum Rex Monasterium Catholicis ædificauit, cum esset Arianus, nondum enim vniuersa Gothorum gens ad Fidem Catholicam reducta fuerat? Sanè quoniam apud se probè de Catholica Religione sentiebat, publicè etiam Catholicis fauebat; & præter quàmquòd identidem à Marco Maximo in suo Chronico statim producitur his verbis n. 6. *Athanagildus Rex dicitur Christianus, Catholicusque secretò fuisse:* Idipsum Lucas Tudens. narrat in Chron. Erâ 587. inquiens: *Fidem Catholicam occultè tenuit, & Christianis* (id est Catholicis) *valdè beneuolus fuit:* Nec mirum, cum multò antè D. Ildefonsus id expressit in Epigrammate de Templis Toletanis, quod cap. 1. retulimus.

Cap. X. Sectione 1. §. 5. Ad illa verba: *Ludouicus XIII. &c.* Tanti Regis pietatem paucis explicuimus, cum sit omnibus notissima, nec sit in toto Regno ciuitas, aut oppidum, pagusve, qui non habeat impressa eius religionis, & singularis in Beatissimam Virginem cultus vestigia: Quis enim

neſcit Gallicum Regnum magnæ Matris ac Dominæ obſequio ſolemni ritu, feſto triumphantis ipſius in Cœlum Aſſumptionis die ab illo dicatum, imperatamque ac ſtabilitam ab ipſo in ſingulis Regni vrbibus eodem feſto die Generalem quotannis Supplicationem, in quâ ſicut olim Conſtantinopoli Impp. facere ſoliti erant, Sanctiſſimæ Dei Genitricis Imaginem in triumphum duci præcepit, quo ſancto ritu, perpetuoque piiſſimus Rex cultu ſe, ſuoſque ſubditos eiuſdem perenni Virginis obſequio æternùm mancipatos voluit.

FINIS.

Errata sic corrige.

Pagina 6.linea 12.decipunt,lege decipiunt, lin. 13.nardus,l.Bernardus, lin. 32.Iampridens leg.Iampridem. Pag.7.in vlt.linea copulati,l.simoribus. P.9.l.21.proaris distingue pro aris. P.10.l.35.Thodorico,l.à Thoeodorico.P.11.l.10.concertatione,l.concertatione, lin.19.adomauit, l.adornauit, lin.20.litterit, l.litteris, lin.22.cum primis, l.cumprimis. P.17.l.18.ornatu,l.ornatui,lin.vlt.Francrà,l.Franciæ, P.18.l.7.ipiâ,l.ipsi. P.24.l.33. immotrali,l.immortali. P.26.l.9. auxiliari,l.auxiliaria. P.30.l.30. numenosi.,l.numerosis. P.39.l.7. excellenix, l.excellentix P.41.l.8. Galias,l.Gallias. P.43. l.1.vitnam, l.vtinam. P.46.l.vlt. apparatuc um,l.apparatu cum. P.56.l.2. habitus, halitu.. P.58.l.penult. carem,l.carnem. P.72.omisix in margine citationes Isa.32.16.Et Eccleſiast.26.19. Pag.78.l.22. Legatia muni, l.Legati munix. P.92.l.11. Nec, l.Hæc. P.94.l.2. dictis regi, l.dicti Regis. ead. pag.l.34. præsidentes, l.præsidentes. P.99.l.9. præstitisi,l.præstitui. P.125.l.18.Anti.tis,l.Antistitis. P.132.l.26.reliquo,l.relinquo. P.138.l.12. præcepiti,l.præcepit. P.140. ad margin. Legarus, l.Legatus. P.140.l.16. treguam, l.treugam. P.146.l.7. ontundos, l.oriundos. ead.pag.l.18. pix,l.præ. P.147. ad margin. cisteic,l.cisteic. P.149.ad marg. Gallien,l.Gallias. P.159.l.3. susunorum, l.susurronum. P.ead.l.23. post verb. componendas adde, propensionem. P.167.l.14. quadragintesimo,l.quadringentesimo. P.199.l.33.terentesimo,l.trecentesimo. P.202. l.vlt.Nicanæ, l.Nicenæ. P.208.l.19. oppotunaq; l.opportunaq; P.211.l.1. notandam, l.notandum. P.214.l.28. post verbum dedisset,addendum (vt) P.221.l.18. consistentem,l confitentem. P.222.l.25. meas,l.metas. P.225.l.14. iuiunio, l.iciunio. P.228. l.vlt.Antonij, l.Antonium. P.230.l.8. discurrent,l.discurrerent. P.231.l.10. Ambrosix,l.Ambosix. P.236.l.22. qubus,l.quibus. P.238.l.8. Consiliis,l.Concilijs. P.242. l.30.Ggilliarum,l.Galliarum. P.246.l.11. interceſlorum, l.interceſſorem. P.253.l.34. cucurrerem,l.currerem. P.266.l.16.Basilicum,l.Basilicam. P.267.l.22. moobo,l.morbo. Pag.268. l.1.benevolentia, l.benevolentix. Pag 292. l.2.nos pereant, l.ne pereat. P.302.l.29. sanctatute, l.sanctitate. P.303. l.vlt eligi, l.elegi. P.304. l.20. post 440. addendum,annos. P.312.l.33.quoque,l.pariter,& conuicem,l.conciuem. P.313.l.19. Alcantata, l.Alcantara. P.320.l.25. eosidem,l.easdem. P.324.l.26. impostetum, l.inposterum. P.337.in margine stel,l.Castel. P.339.l.26. eusq; l.eusq; P.340.l.24.cupiis,l.cupis.P.346.l.30.qui,l.quis. P.359.l.14.petentionibus,l.potentioribus. P.362. l.penult.Dyptica,l.Diptycha, numerus pag. sequentis à 362 ad 393. saltat. P.394.l.9. Iustis,l.iussus. P.ead. l.17. exercitum, l.exercitium. P.404.l.28. possibat, l.possidebat. P.410.l.14. Hispanio, l.Hispanico. P.416.l.1. sufficiant, l.sufficiat. P.417.l.25. vllâ, l.vlla. P.423.l.18. permixi,l.permixti. P.424.in margin.marrum,l.martyrum. P.436. & 437. sunt duplicatæ.P.437.l.27.gratiam,l.gratiarum.P.446.l.12.gnouit,l.agnouit. P.447.l.29. honoficationem, l.honorificationem. P.449.l.vlt. olemnitatis, l.solemnitatis. P.450.l.5. Otentij, l.Orentij. P.455.l.8. supple in margine Theofr. Ab. serm. de vener.SS. P.461.l.30.Reguum,l.Regum.P.480.l.29.frægrantem,l.fragrantem. P.485. l.25.dotulerint,l.detulerint. P.494.l.27.fontis,l.montis. P.495.l.13.tyrannidis,l.testudinis.P.515.l.5.Regina,l.Regna. P.522.l.2.ditabat,l.ditabat. ead.l.28. &c.Gallenum, l.& Galenum. P.523.l.34.Acadeniam,l.Academiam. P.535. l.6. vt in, tolle in. P.539.l.18.Baldi,l.Balbi.P.544.paragr.5.l.3.varietata,l.varietate P.559.l.33.vniuersant,l.viuebant.P.564.l.16.Rgis,l.Regis P.567.l.3.optimæ,l.opimæ. P.574.paragr 3. l.10.instillarit,l.instillarit.P.580.l.2.magitudinem,l.magnitudinem. P.586 l.10.tracidatum, l.trucidatum. P.589.l.35. Oriute, l.Oriente. P.592.l.vlt. supple si ante gloriosum. P.593.l.1. illucque, l.illicque. P 594.l.32. digna, l.dignas. P.597.l.9. direpiionem, l.direptionem. P.600.l.30. tam, l.iam. P.606.l.18. seminarum, l.seminarium. P.610.l.8. viiis, l.viis. P.614. l.1. bonque, l.bonaque. P.615.l.10. Alexander VI. l.Iulius II.P.625.l.21. peculiari,l.peculiarem.P.632.l.1.supple in marg.inter Clement. Epist.151. P.635.l.20. glorioſæ, l.gloriolæ. P.636.l.5. idque, l.iique. P.637.l.25. tanto,l.tanto. P.652.l.17.post eius supple hostes. P.654.l.1.affectus,l.affectu.

Digitized by Google